ORATIONES NICOLAI AVANCINI,

è Soc. JESU,

In tres Partes divisæ.

Quarum

Prima continet orationes,

De Deo, & Deo-homine;

Secunda,

De Beata Virgine, & Sanctis;

Tertia,

Panegyres, Epicedia, Prolusiones, & Exercitationes Oratorias.



ANTVERPIÆ,

ID VIDUAM IOANNIS BAPTISTÆ VER
ISSEN, viâ vulgò Cammerstraet, sub signo
ırum Ciconiarum. ANNO M. DC. XCIII.

Cum Gratiâ, & Privilegio.

AUGUSTISSIMO

ROMANORUM

IMPERATORI

LEOPOLDO,

Hungariæ Bohemiæque

REGI,

Archi-Duci Auſtriæ, &c.

Principi Clementißimo.

RAra Principum, ac prope ſola Auſtriacorum, undeque Sac. Majeſtatis Veſtræ commendatio eſt, in ſummis Aulis amari Muſas. Hauſit id Sac. Majeſtas V. cum ſanguine & virtute, cum Regnis & ſceptris ab Auguſtiſſimo Parente FERDINANDO; qui

nisi se odisset, Musas non potuit nō amare. Ubi ubi FERDINANDUS apparebat, viva omnium scientiarum Bibliotheca videbatur. Hinc omnium ingenia & lucubrationes ad ejus Solium confugiebant, ubi se coli & diligi non ignorabant. Sublato inter Cœlites FERDINANDO procul Aulâ migrassent scientiæ, nisi & harum., & orbis solatio reliquisset *similem sibi* LEOPOLDUM: quem ut verecundæ adorant omnes, ita amant & sequuntur. Neque enim Majestas V. Cæsarea honestos conatus rejicit; sed *Austriacâ* humanitate invitat, & allicit; ut quisquis audet aliquid, ad eandem respiciat. Tentavi eloquentiæ studio, quod in Austriacis Provincijs nondum quisquam, tres orationum Tomulos in lucem dare; non quod singulare in me quidquam agnoscerem; sed quod Majorum judicio ac postulatione acquiescerem. Is verò qualis qualis labor, ut se ad Sacratissimos Majestatis Vestræ pedes prosterneret, addecebat: non eo tantùm nomine, cum cæteris communi, quòd Majestas Vestra omnium ingeniorum

conatus

conatus & provocet, & admittat clementissimè; sed eo potissimùm, quod aliarum Orationum Augustissimum argumentum sit ipsa Sac. Majestas Vestra; aliarum aut votum; aut ornamentum: aliæ Augustissimos Serenissimosque Austriaci sanguinis Principes vel commendent, vel deplorent; aliæ aliorum vocibus declamatæ, vel Majestatis Vestræ, vel Gloriosissimi Parentis; vel Augusti Fratris nomini olim inscriptæ, singulis singulæ chartis impressæ circumvolarent; quas acquisitæ semel à tantis Principibus possessioni eripere, sacrilegium existimabam. Aliæ demùm paucæ harum juri inservire gestiebant. Accedebat, quòd si quid in ea Facultate sum assecutus (quod quàm exiguum sit, equidem intelligo) id totum fontibus Austriacis debeam; ut non ingratus profitear, me in eorum Gymnasijs, & Academijs formatum. Sit ergo Sac. Majestatis Vestræ hoc opusculum, quod tot titulis fecit *suùm*. Cui hoc unum addo, ut quot sunt syllabæ, tot sunt in LEOPOLDUM populorum vota; quot apices, tot omnium

nationum affectûs; quot voces, tot victoriæ; quot periodi, tot annorum ambitus; quibus, quam hæc ætas pollicetur, felicitatem assequatur: ut tandem vel impletus victorijs, vel coronatus triumphis, vel stabili firmatus pace,

TotVs orbIs

LEopoLDo IMperatore

LætItIâ gestIat.

Ita voveo

Sac. Majest. Vestræ

Infimus servus & Capellanus,

Nicolaus Avancinus,
Soc. Jesu.

ORA-

ORATIONUM NICOLAI AVANCINI,

è Soc. Jesu.

PARS PRIMA.

DE DEO ET DEO-HOMINE.



ANTVERPIÆ,

Apud Viduam Ioannis Baptistæ Verdussen, Anno M. DC. XCIII.

Cum Gratiâ, & Privilegio.

INDEX ORATIONUM PRIMÆ PARTIS.

ORA-

ORATIO DE S. SPIRITU.

Spiritus Pacis.

F*Actus repentè de Cœlo sonus, tanquam advenientis Spiritus vehementis*, mugientia inter nubes tonitrua, concussum ingenti fremitu cælum, volantia per aerem incendia, pluviæ in linguis flammæ post speratam, scilicet frustra, toties promissæ pacis serenitatem, delusâ mortalium exspectatione, in mundi trepidantis excidium, nova bellorum & ingruentis de cœlo prælij adferunt argumenta, *Senatus Academice*. Præpropera nimium fuit nostra de indeptâ tranquillitate lætitia: quando advolantem sub innocentis Columbæ specie Domini Spiritum excepimus; qui hodie succensus in ignes, vindictam Numinis *præcedere* videtur, ad *inflammandos in circuitu inimicos*. Inconsulta damnemus gaudia, quæ ad *sibilum auræ tenuis* sine turbidine concepimus; qui hodie violento rursus turbidine Spiritus vehementis involvimur. Adverto tumultuantium ventorum prælia, & animum incessit *Exercitus grandis*; quem à quaternis mundi lateribus allapsus ventus de mortuorum ossibus excitavit: ut novos à vento exercitus, nova ab exercitu bella meritò possim formidare. Video exæstuantia ardore incendia, & memoriæ insper-

 guntur

guntur cineres, funestissimæ, exustæ Pentapoleos, reliquiæ: ut hodierno incendio sua mundus excidia valeat præsagire. Specto diffusas per aerem linguas, & mente recogito *flammeum gladium & versatilem*, quem excubitor Angelus ad Paradisi mœnia in scelerum nostrorum rotavit ultionem; ut non vano metu suspicari possim, multiplicatis mortalium criminibus multiplicatas quoque *linguas* Deum in vindictam *acuisse*, ut *gladium*. Intueor scissarum linguarum divortia; & menti sese violenter intrudit recordatio linguarum, quæ olim in discordes confusæ sonos finitimam cœlo turrim disturbarunt, ut ad evertendam mundi structuram novo prodigio discissas linguas auguremur. Omnia bellum spirant, excidium universi. Sonus, feralis tuba est; quæ Martem accendit. Tonitru, machinarum boatus est; quo meticulosi animi percelluntur. Ignis, fulgur est; quod è machinis micat ad terrorem. Linguæ, excussa grando sunt; quæ sese mortalium verticibus insinuavit. Sed accendat sane bella tubarum clangor: idem partâ pace servit ad triumphos. Servierint aliquando in pugnas linguæ: eædem sunt amicitiarum pacisque conciliatrices. Incendat ignis urbes & oppida, ac latè regiones integras depopuletur; idem tamen hastas & gladios, parmas & acinaces, & universam Bellonæ supellectilem conflat in amica pacis instrumenta. Ut unde bellum metuebamus, inde securam augurari possimus tranquillitatem. Sperate bene Academici: Spiritus pacis est, qui tumultuatur in vento, rotatur in turbine, minatur in tonitru, exardescit in flammis, urit in ignibus, torret in calore, terret in fragore, concutit in vehementia, vibratur in linguis, & per incendia

incendia late omnia populatur. Quod ego ut demonstrem clariùs, accensa tuo ab igne lumina, Divine Spiritus, suppeditabis Oratori: ut persuadeam facundiùs, linguas; ut doceam, Spiritum Veritatis; ut moveam, tonitru; ut accendam, calorem; ut corda penetrem, vehementiam subministrabis.

Charistia ergo, vel si mavultis, tranquillæ Pacis Alcyonia, allapsæ in flammis linguæ post sopitos bellorum metus eloquuntur. Bellum denuntiet Spiritui sancto, qui Pacis Spiritum neget. Enimverò basium ipse est, quo Pater filium, filius Patrem jam inde ab æterno exosculatur. Ardor est, quo mutuos in amores effervescunt: halitus est, quo se afflant: oculus est, quo se aspiciunt: complexus est, quo se amant: unio est, quâ se nectunt: vinculum est, quo se ligant: nodus est, quo se stringunt: ignis est, ad cujus incendia Pater in Filium, Filius in Patrem dilectione mutuâ eliquantur: lingua est, qua sese alloquuntur: Echo est, quæ Filio ex Patre, Patri ex Filio non alio respondet *clamore*, quàm *amore*. Basium amoris est tessera; ardor charitatis est nota; halitus est cordis communicatio; oculus est gratię sedes; cõplexus dilectionis est index; unio pacis est signum; vinculum concordiæ est indicium; nodus fœderis est firmamentum; ignis serenitatis est argumentum; lingua *verbum bonum eructat*; Echo dum alternante sono in pectora *clamat, amat*. Quicquid est divinissimus Spiritus, ardet, urit, spirat, unit, nectit, amat. Ad ipsa vel nascentis, vel renascentis mundi exordia vestras nonnihil revolvite cogitationes. *Verbo Domini cœli firmati sunt*; sed ut lucerent stellis & lunâ, radiarent amica Solis amœnitate, *Spiritus Domini ornavit cœlos. Ipse dixit (Verbum unum) &*

facta sunt omnia ; sed ne sua solvantur compage , Spiritus,*qui scientiam habet vocis,continet* universa,Verbum *in principio creavit cœlum & terram* ; sed quia *erat inanis & vacua* , ne periculo vacui dissociarentur compositæ naturæ vincula,*Spiritus Domini replevit orbem terrarum*. Verbum indigesto primum ordine terræ faciem super infusis aquis distinxit; sed ne tumultuosum cæteroquin elementum in tempestates consurgeret , *Spiritus Domini ferebatur super aquas*;& ne rebellarent undæ , pacata quiete *confovebat*. Sunt , qui avis speciem eo jam tempore induisse Spiritum arbitrentur.Si dicto est fides,ego Alcyonem suspicabor,quæ prima tunc edixerit orbi firmatæ pacis Alcyonia. Verbum ad sui prototypon,& ipsa Divinitatis lineamenta creavit hominem, cum quo amicitiæ fœdere junctum deliciaretur : sed ruptâ pace rebellem ad arctiora pacis vincula, hypostaticamque omninò cum Deo unionẽ reduxit Spiritus; quando Immaculatæ. Virgini *Virtus Altissimi obumbravit*. Verbum discordiæ ac jurgiorum incentores Dæmonas *in digito Dei ejiciebat* : sed *dextra Dei tu digitus* eras, Augustissime Spiritus;qui ut pacem stabilires,pacis hostes æternum amandabas in exilium. Quod si jam inde à prima sui origine suavissimus auræ bonæ vapor,exspiratus è corde Patris,exspiratus è corde Filij,pronissimo semper studio ad pacem inclinavit ; non est profectò,non est, quod de pari ejus voluntate hodierno die dubitemus , si vel loci memoria subeat,in quem de cœlo sese infudit;vel ejus,à quo in nostram tranquillitatem est missus,recordemur. Locus est,amplissimum illud urbium ac orbis Emporium. Hierusalem, (liceat pace vestra interpreta-

ri) *Beata pacis visio.* Qui proximo ad expiratione mundo Spiritum immittit, *Ipsa est pax nostra*, quem hanc intellexisse vitalis auram Numinis non vane suspicor, cum *pacem suam* se nobis *daturum* est pollicitus. Atque inde fortassis est, quod, quem olim vel in Columbæ specie, vel sub imagine fluvij evolasse, effluxisseque à Deo accepimus; hodie Deus sub illustri cœlestis ignis splendore *super omnem carnem effuderit*. Cum enim ferreum sæculum ita teneret orbem, ut & ipsa mortalium corda in duritiem ferream gelarentur; voluit & immisit Amoris æstu cordium gelu dissolvere, & ferri duritiem eliquare. Et felici omninò successu votum tenuit. Nam vix ignis illuxit, jam gelu diffluxit: vix cordibus sese insinuavit credentium, jam eliquantis caloris vi *factum est credentium cor unum & anima una*. Fabula est, nescio quem, apud Lucianum, cùm sua sudantem in Lyparâ, & occulsa flammarum efficacia dissociata ferri fragmina in unum copulantem spectasset Vulcanum, ab eo calentissimis postulasse votis, ut pari artificio sese cum suo dilecto maritaret. Debebat inconsulta vota ad nostra usque tempora differre, dúm mundo illaberetur Amor, cujus vi multorum corda in unum confluunt, dissociatæ animę componuntur in unam. Habet (non diffitebor) habet ignis, quo minatur; sed habet & quo blanditur: ut terrere quantumvis possit, possit tamē & animare. Si forte vos terret, quod Spartanorum aliquando ritu pugnaturis prælatus est ignis; me ad spem vivam serenæ pacis animat, quod vetusta Romanorum legē ad Concordiæ aras accensa flamma Sponsis nuptiali festo prælucebat. Si vos terret, quod ignis Vesuvij, aut Æthnæ visceribus inclusus

ignis violento impetu disjectas rupes in procul dissitas regiones effundat, me ad spem pacis animat, quod idem ignis sub opulentis Dalmatiæ montibus aurum excoquat ad maturitatem. Si vos terret, quòd in suprema aëris regione coactos vapores in fatales accendat cometas; me in spem pacis animat, quod idem in Sole cœlum serenet, & amœnissimâ ludat in stellis serenitate. Si vos terret, quòd deliciosarum sæpè silvarum voluptates unico incendio deponat in cineres; me in spem pacis animat, quod eandem terram fœcunditate donet, quam flammis exussit. Si vos terret, quod militari obsidione coronatas in urbes postremum excidium injiciatur; me in spem pacis animat, quòd ad religiosas Vestæ Concordiæque aras conservabatur immortalis. Si vos terret, quòd amplissima aliquando regna exundante flammarum voracitate devastaverit; me ad spem pacis animat, quòd innoxio circum Ascanij crines affluxu Regiam portenderit dignitatem. Si vos terret, quòd fulguritæ fruges afflentur veneno; me in spem pacis animat, quòd tactis cœlesti flammâ serpentibus, virus omne cōsumatur. Si vos terret, quod eliso de nubibus igne exusta loca desolentur in vastitatem; me ad spem pacis animat, quod iisdem in locis fulgorem siderum imitata gemma, Plinio teste enascatur. Si vos terret, quòd bellorum antesignana Discordia facem rotet; me ad spem pacis animat, quòd suâ etiam Amor ad innocentes delicias flammâ instruatur. Si vos terret, quod nocturnus viator ignium fraude deducatur in devia: me ad spem pacis animat, quòd peregrinus Israël ad terrā *lacte & melle manantem* pervenit. Si vos terret, quod nunquam extinguendo per æternitatem incendio tor-

tor ignis infernum accendat;me ad ſpem pacis animat, quòd ad expellendas ſolo *poteſtates tenebrarum* ſola flamma ſubſervit. Si denique vos terret, quod ultrice criminũ flamma torqueantur Dæmones;me ad ſpem pacis animat,quod *Miniſtros* quoque *ſuos Deus facit ignem urentem*, quos *Angelos* eſſe *pacis* non ignoramus. Quare,ſi me magnopere non fallit cœleſtis hodie pyromantia, luculenta ab Amoris igne deſumo pacis argumenta. Neque vanum illud eſt,quod hæc ipſa flammarum pluvia,linguarum figuras induerit. An quia lingua communicandorum affectũum eſt inſtrumentũ, hac ipſa voluit ſuos nobis Deus amores intimare? An quia mortalis generis è funeſtiſſimo prælio hiantia adhuc vulnera tabo ſordebant; hac linguâ voluit Amor lambere, ut ad perfectam coaleſcerent ſanitatem?An quia ignitum eloquium *Verbum Dei* Magiſtro *Spiritu Veritatis* dilaturi erant in orbem Apoſtoli; non alio potuerunt commodius inſtrumento circumferre,quam linguâ? Et quod (amabo) Verbum? *Verbum bonum* è Patris pectore *eructatum*. Verbum,quod,dum *ſilentium tenent omnia*, concipitur;dum quiete componitur orbis,geſtatur; dum *pax hominibus* per Cœleſtes Ephœbos accinitur, naſcitur;cujus *nomen* eſt Pacis *Oleum effuſum*. Verbum abbreviatum,quod nuper ſolum erat Alpha & Omega,quando *primum* & *noviſſimum*, hominem & Deum,longo aliàs elementorum numero interſtinguente diviſos conjunxit occultato charactere, quem hodie tandem in trifida littera M. tertia inquam in Divinitate perſona manifeſtat;dum completâ literarum triade diu elaboratum verbum **AMO** enunciat.

Vo-

Vocales erant Α'λφα & Ωμίγα, quas *Vox clamantis* evulgabat, sed *in deserto*, non satis completâ harmoniæ suavitate. At ubi *factus est de cœlo sonus*, consonare cœperunt; & unâ interjectâ consonante omnem vel in uno Verbo dulcissimæ melodiæ consonantiam complecteverunt. Nunc demum Platoni credo, *amorem musicum esse*, quando hunc *Pacis* Pæana ab eo compositum esse intelligo: quo non modò vocum, sed rerum omnium concordem facit harmoniam. Quin & verum illud intelligo, quod ex Deorum symposio, abivit in proverbium: *amor musicam docet*. Nec miror Pausaniam asserere, lapides evasisse vocales, quos Apollinis lyra tetigisset; quando vel *digito Dei* contracti Apostoli, *locuti sunt variis*, sed concordibus *linguis*; qui metu & pavore propè in saxa obriguerant. Quid cætera commemorem hujus diei prodigia, quæ mundo omnia verbum *pacis* eloquuntur. Unde si *omnes pariter Discipulos in eodem loco* consedisse auditis; congregatum pacis Concilium existimate. Si lucem advenientis inspicitis; ad pacis Iridem in ea nube depingendam venisse concipite, quæ nuper Triumphatorem Deum cœlo intulit. Si *sedisse supra singulos eorum* legitis; hunc amatæ pacis situm esse credite, lubentesque annuite, ut vel sic Spiritus Domini *requiescat in pace*. Si auram aspirasse animadvertitis; eam vel suspirium Amoris esse vobis persuadete, vel in nunquam extinguendi ignis fomenta administram. Si violento impetu allapsum esse ventũ intelligitis; eum credite, qui *ad dirigendos pedes nostros in viam pacis subserviret*. Nam cùm recessissent aquæ, quæ universali diluvio terram involverant; omnes mortaliũ vias ita infectas reliquerunt;

ut

ut viatores prope *demergemur in limo profundi*, nec *vani pacis cognosceremus*; donec emissus cœlo *ventus siccans*, & à sociarum flammarum ardore calidus, vias nostras emendavit.

Procedamus ergo *in pace*, fortunatissimi Viatores, dum terra favet & aura. Si Currus est vestrum hoc Scientiarum omnium Athenæum, quo Triũphatrix Sapientia circũvehitur; *Spiritus vitæ rotas* impellet ad celeritatem. Si Navis est, quæ Heroas ad aurei velleris illustre præmium deportat; in secundissimos cursus aspirat aura beatissimæ felicitatis. Si *Aquila grandis* est *magnarum alarum*, quę se super humana tollit ad Divinitatis æmulationem; ventus & ignis suã in pennas ministrabunt velocitatem. I licet: *procedatis in pace, Spiritum pacis* assecuti: & quoties per itinerum molestias respiratis, hunc *Spiritum* respirate. Priùs tamen quàm hinc abeatis, dicite Orationi meæ, quæ jam in Spiritu pacis exspirat, *Requiescat in pace.*

Dicta Viennæ Austriæ nomine Facultatis Theologicæ in Basilica S. Stephani.

ORATIO II.

DE S. SPIRITU.

Spiritus Veritatis.

ACademicum hodie Doctorem, *Spiritum Veritatis*, adoraturus adveni, *Senatus Academice*, *Sapientia* jam inde à primis nascentis mundi exordijs *ædificavit sibi domum*, septenis innixã columnis,

nis, ad quas vel ſeptem Liberalium Artium inſtitutiones traderentur; vel ſeptem venturi olim Magiſtri Spiritus dona explicarentur. Volumina deinde, mutos Sapientiæ interpretes, congeſſit; quando vel *complicuit ſicut librum cælos*; vel inferiorem hanc mundi machinam; *vèlut librum unum Divinitate plenum* conſtituit. Tum Diſcipulos congregavit, quos vel à turpi telonij quæſtu, vel à dilaceratis naviculis, & malè contextis retibus, ad Academiam ſuam evocavit. Intravit demum in hanc propè conſtitutã Univerſitatem Magiſtra *Veritas*, quando *de terra* Virginali *orta*, humanæ carnis veſtitæ epomide in viminea Bethleemi cathedra cõnſedit. Sed Pythagoricam tricennali ſilentio ſcholam viſa eſt ſtituiſſe; quæ quamvis *Verbum* eſſet, ſemper tacuit. Donec tandem ſublimiorem in edito monte ſortita cathedram, *aperiens os ſuum cœpit docere*. Sed triennalem curſum nondum exegerat docendo veritas: *Vox* ei primùm ſacrilego Herodis ferro adimitur, qua *clamabat in deſerto*. Tum in examen vocata, oppugnatur mendacijs; & obruitur; condemnatur; & ad patibulum deducta *inclinato capite tradidit Spiritum* ſuum, hoc eſt, Veritatis; quem quia inter *mendaces filios hominum* permanere non poſſe ignorabat, *in manus æterni Patris commendavit*. Remanſerunt inde primi Chriſtiani nominis Academici Diſcipuli ſine Doctore, hoc eſt, corpus ſine animâ, anima ſine vitâ, vita ſine vigore: cœlum ſine Sole, Sol ſine luce, lux ſine radio, arbor ſine ramo, ramus ſine medullâ, medulla ſine fructu: ignis ſine ardore, ardor ſine flammâ, flamma ſine acie. Sed erigite animos, Veritatis Academici. Nondum ſpes omnis veſtra eſt intercisa; non omnino felicitas eſt

ademp-

adempta. Exspiravit Veritas; non diffiteor: sed Spiritus evasit in Patris manus, quas nunquam invidia clausit, semper beneficentia tenet apertas. Spiritus res liberrima est: *ubi vult spirat*; non diu hærebit in divinis manibus, quæ nunquam concluduntur. Spiritus *Amor* est: *Amor pondus est*: Pondus à summis ad ima cogit. Quem ergo nuper Veritas in meridianis mundi tenebris ad cœlum transmisit Spiritum; hodie suo in terras pondere rel[illegible]ntem excipite, Spiritum Veritatis.

Quidquid in hodierno miraculo portentosum est auribus, quidquid spectabile est oculis, quidquid amabile est animis, argumentum est liquidissimæ Veritatis. Ignis, fax est lucidissimæ Veritatis: Lingua, instrumentum est edicendæ Veritatis: Sonus, vox est loquentis Veritatis: Aura currus est ad extremas mundi partes devehendæ Veritatis Ut nulla jam suboriri possit dubitatio, Spiritum illum, qui in hanc Christiani nominis primam Academiam advenit hodie secundus doctor; *docturus omnem Veritatem*. Illud verò à vobis desiderari potissimùm intelligo, qua claritate doceat, quâ efficaciâ moveat, quantum doctrinâ suâ impleat ac sustineat Auditorium. Ex lingua facundiam, ex flamma claritatem, ex igne efficaciam, ex sono immensitatem Auditorij intelligite. *Lingua scientiam habet vocis.* flamma inextinctus est meridies, quæ dum *Veritatem* in amplissima luce constituit, vetustas omnino fabulas extinguit. Mendacij convincit Antiquitatem; quæ semotam ab hominum commercio veritatem in profundas hiantis putei tenebras abdiderat; dum meridiana luce inter flammas & ignes apparet Spiritus Veritatis. Non inficior tunc primum

mum à *Regalibus sedibus* sese in inferiorem hanc mundi regionem infudisse Veritatem; quando *quietum silentium continebat omnia,* & *nox in suo cursu medium iter habebat*; sed ut nocturnis latere non posset tenebris consepulta, luculentissimus tandem in flamma Spiritus advolavit. Fateor eo tempore, quo patibulata Veritas innocentem *emisit Spiritum,* ipsum sese in densam caliginem præcipitasse meridiem, & redivivas Canopi *tenebras,* super *universam terram* excurrisse: sed memini quoque cum *Princeps tenebrarum* factus esset *Dæmonium meridianum,* in ipsum rursum meridiem sese divinissimum Spiritum infudisse, ut *Dæmonium meridianum ejiceretur in tenebras exteriores.* Exinde jam suo semper sedet in meridie Magister Spiritus purissimæ Veritatis. Hinc ut loquatur, lingua est: ut lucem invehat animis, *Candor est lucis æternæ,* & *emanatio quædam claritatis.* Non indignor Poëtis, qui Solem cœlorum linguam esse crediderunt, qua ipsi fortè *enarrent gloriam Dei* clarissimo stylo, ad obfuscatas mortalium mentes erudiendas. Illud ex Veritatis tripode fabulis addo, Spiritum Veritatis sanctissima metamorphosi abiisse in linguam, ut se doceret; in ignem, ut clarissimo stylo rudibus animis loqueretur Veritatem. Si videtis igitur sedentem hunc ignem in Apostolorum capitibus; *Clarissimum* Doctorem concipite ad exponendos Veritatis Aphorismos consedisse; cui non alia dignior cathedra possit inveniri, quam vertices Apostolorum, vel, ut ubi primùm anima ratiocinatur, ibi prima suæ lucis spargat argumenta: vel, ut ubi cœca potissimũ voluntas laborat, ibi serenissimâ face præluceat. Quid jam de docentis efficacià ad frangendam

dam animorum duritiem dubitemus,qui ignito sese illapsu mentibus insinuantem perspeximus *Spiritum Veritatis*? Si in glaciem degeneres homines pectora nostra gelavimus; calor est, ut dissolvat. Si in marmora induruimus; fulmen est, ut disjiciat. Si ferrea rursum sęcula mundo induximus; ignis est, ut liquefaciat. Si ænea corda induimus; ardor est, ut conflet; fiatque *cor unum & anima una*. Sit sanè delirantium Poëtarum fabula, primum humanæ societatis Auctorem fuisse ignem, quem fortè excussum silice materies apta excepit, quem conspicati eminus admiratique homines, & novo quasi prodigio tracti concurrerint primum: gestu deinde, nutu, ac voce conversari cœperint; tum amicitiâ cōgregari, domos erigere, urbes condere, ac tandem Respublicas constituere: certè necdum est efficaciæ illius umbra, qua *Spiritus Veritatis* ignem indutus, disjectam, variasque per sectas pugnantem populorum congeriem *in unitate filij congregavit*. Sit ingeniosæ commentum Antiquitatis, Gallicano Herculi aureas à lingua pependisse catenas, quibus vastam complexus hominum multitudinem colligaret: commenti extinguit memoriam *Spiritus Veritatis*, qui in asperum ingenijs, incultum moribus, studijs adversum hominum genus illapsus, id tandem effecit, ut esset *cor unum & anima una*. Sit è Poëtarum nundinis spectabile monstrum; efficaci vocis illecebrâ incantatos, aliquando lapides in urbis formam coivisse: ex veritatis arcanis apertissimum est documentum, disseptum olim multiplici vocum confusione mundum unius vocis arcanâ vi in *Cor unum unamque animam* confluxisse. Sit ex fabularum regione veritati confine, Promethei industria

raptum

raptum de cœlo ignem valuisse tantum, ut artificiosam luti congeriem animaret in homines: Veritatis ipsa est medulla; ubi hæc ardentissima lingua ex corde Divinitatis prosilijt, efficaci persuasione, extinctam propè Humanitatem revixisse, effecisseque, ut qui pridem exspiraveramus ad mortem, respiraremus ad vitam; & felici cum Divinitate commercio, eundem, qui Patris est in Filium, Filijque in Patrem reflexus halitus, ipsi quoque halaremus. At illud omnino prodigiosum est; in eadem corda, quibus receptus est Spiritus vitæ, mortis amorem subiisse. Hinc evolant primi Veritatis Discipuli in secures; prosiliunt in flammas; præcipitantur in maria; constringuntur in vincula; congeruntur in carceres; aguntur in rotas; discèrpuntur in frusta. Sed exanimantur secures; quia in ignes cadunt: retunduntur flammæ; quia in ardentiores incidunt: mitescunt maria; quia *Spiritus fertur super aquas*: non stringunt vincula; quia igne exuruntur: extinguuntur carcerum tenebræ; quia lucem recipiunt: non enecant rotæ; quia *Spiritus vitæ est in rotis*: discerpti denique non dividuntur; quos Spiritus Veritatis *in unitate congregavit*. Verùm necdum hic obstupescite docentis efficaciam Spiritus, nisi intelligatis, quemadmodùm primâ nascentis naturæ origine dicentis voce vasta hæc rerum extitit Universitas; ita delapsæ cœlitùs imperio linguæ deformatam mundi faciem pristino vigori restitutam. Nam si *semel locutus Deus dixit, & facta sunt* universa, ut diceret, *lingua* fuit Spiritus; ut faceret, *dextra Dei digitus*, quo appendit universum. Si *in principio Deus creavit cœlum*; Cœlum hodie instauravit Spiritus Veritatis, in quo Planetæ septem, septem sunt dona,

na; duodena signa, totidem sunt Apostoli; *Luna est Maria*; Sol ipse Spiritus est, qui & Apostolis lucem infudit, & *Mariam* jam olim, cùm *obumbravit*, Solę Justitię adimplevit. Si nascente mundo *terra erat inanis & vacua*; ne suâ periret inanitate, *Spiritus Domini replevit orbem terrarum.* Si per omnem terræ regionem licentiosè fusus vagabatur Oceanus, *Spiritus Domini ferebatur super aquas*. Si primum fuit loquentis *Dei* imperium *Fiat lux*: primum in allapsu Spiritus quod vidit Orbis est, *facta lux*. Si *divisit* illic *Deus lucem à tenebris*, hodie Spiritus lucem Veritatis ab errorum tenebris segregavit. Si demum *formavit Deus hominem ad imaginem suam*, ut animam viventem traheret, *Creator Spiritus inspiravit in faciem spiraculum vitæ*. O admirandam Academici Doctoris efficaciam quâ non *Domus una adveniente Spiritu vehementer concussa est*, sed universus Orbis fabricatus: quâ vix *notus in Iudæa Deus*, in omnes latè regiones est diffusus. Qui linguã *animorum Imperatricem* dixerunt; non negabunt Divinissimo Spiritui animorum imperium, qui ad nostram omnium felicitatem transivit in linguam. Qui linguæ tenui venâ cor esse alligatum crediderunt; nisi se excordes sentiant, sua quoque corda è cœlesti linguâ pendere fateantur; vel suas ipsi linguas à Divinitatis corde suspendant. Qui linguam affectuum nundinatricem vocaverunt; suos illi vel affectus vendant universos, vel emant affectibus destituti. Qui linguam catenam cordium cum Homero appellaverunt; sua illi erratica nimium & vagabunda corda præbeant ad constantiam vincenda. Qui linguam *calamum scribæ*, cum Regio Vate nuncupaverunt;

suas

ſuas illi pectorum tabulas exponant amoris lege inarandas. Qui linguam verbi modulatricem intelligunt; & verbum hoc obumbrante linguâ carnem olim induiſſe intelligant; & ſua hac linguâ Verba modulari addiſcant. Qui linguam explanatricem Sapientiæ non ignorant, ignorant omnia, ſi hanc non audiant. Vos denique *Doctores Academici*, ſi linguam nobile olim Academicæ Sapientiæ inſigne meminiſtis, quam Majores veſtri, hujus Univerſitatis Doctores de pallio pendulam geſtaverunt, redditam Vobis hodie linguam ab Academico Doctore Spiritu gratulemini. Quam dum accipitis, memineritis quoque hanc eſſe ipſum Divinitatis Cor: ut ſi non ignoratis, *ibi eſſe theſaurum, ubi cor eſt*; Vos pariter, dum Cor Dei recipitis, theſaurum eſſe Dei intelligatis.

Dicta Viennæ Auſtriæ nomine Facultatis Theologicæ in Baſilica S. Stephani.

ORATIO III.

DE S. SPIRITU.

Spiritus ſanctus Mundi vita.

Ergone triumphalis illa nubes, quæ decimo abhinc die Victorem Deum ad pridem merita cœlorum invexit Capitolia; hodie tandem in liberales quidem, ſed inuſitatas tamen pluvias reſoluta, ſtupendo prodigio flammas parturit & incendia? Quis inæſtuantium animorum caloribus quos inflammata poſt abeuntem è terris Deum accenderant

cenderant desideria,non umbrosum aliquod à nube solatium sibi promisisset? Quis in languentium pectorum ariditate rigatricem pluviam non expectasset? Sed placuit sapientiori Cœlorum consilio animorum calores Divinore igne temperare; ariditatem pectorũ superinjectis flammis cumulare. Quas dum inter mugientia tonitrua, & confligentium ventorum turbines cœlo labi animadvertitis, nolite vel repetita in Orbis interitum Phaethontis incendia: vel armatos in Pentapolitarum excidium flammarum exercitus:vel incitata in reorum vertices fulmina animis vestris repræsentare. Fulmina sunt, sed Amoris: non acuta in tela ut feriant; sed divisa in linguas, ut lambant; non ut exaniment à Libitinæ funalibus accensa, sed ut animent Lucinæ facibus animata. Ignem illum,quem ab instaurato mundo sua demisit à nube Triũphator Deus,accendi pridem jam voluit,& ad vitam exardere. Persarũ Regum vel præivit,vel suâ æmulatione stabilivit instituta, qui post confecta feliciter bella ignem labaris præferri voluerunt; non Vastatorem populorũ, sed vitæ nuntium, salutis Interpretem,felicitatis assertorem. Adoratas prioribus sæculis Promethei fabulas extinxit omnino; dum unus in mortaliũ vitã ipsum divinitatis ignem cœlo demisit. Quod dũ apud vos jussus Orator explano; favete animis,cœlum linguis favet:nec patitur vel de Eloquentiæ inopia sollicitũ esse,dum linguas suppeditat: vel metuere in verbis frigus, dum linguis addit incendia: vel ad comptam orationis venustatem mendicare lumina,dũ flammas suggerit: vel ad excitandos affectus calorem quærere; dum sponte in pluvios ignes dissolvitur: vel ad flectendos animos de vehe-

mentia dubitare; cùm inter tonitruum mugitus *factus est repente de cœlo sonus, tanquam advenientis Spiritus vehementis:* nec de Auditorum languore formidare; dum singulorum mentibus vitæ Spiritus illabitur. Sic enimvero mihi non vanus Orator persuasi, tunc demum animam inferiori mundo ereptã, quando, qui se vitam profitebatur, à nobis avulsus patrias cœli sedes repetivit. Hinc revulsâ animâ jacet funerata Ecclesia, & unâ domo, uno dixerim sepulchro, tumulatur. Tenebræ illæ, quæ ab exclusa luce nascuntur in ædibus, pullati sunt recentissimorum funerum colores. Pallor ille, quem Judæorum metus in Apostolorum frontes induxit, certissimus Index est animæ separatæ. Frigus illud, quod per singulorum pectora dispersit formido, mortis est rigor. Silentium illud, quod ora ligat, ademptam vitam prodit. Gemitus illi, qui exaudiuntur, postrema sunt tributa mortuorum. Lachrymæ illæ, quæ per vultus inerrant, vel funus deplorant, vel mortuales sunt sudores. O deploranda scenæ facies! ô spectaculum luctuosum! Jacebit ergo sine Spiritu homo, sine vitâ Ecclesia, sine animâ Mundus? Hæc nempe tua sunt promissa Servator Deus? *Ego veni, ut vitã habeant, & abundantius habeant.* Hæc tua est in pollicitis fides; *Ego vobiscum sum usque ad consummationem sæculi?* Sed bene habet Aud. Spiritus Domini fertur super aquas, quas Apostolorum vultibus dolor inspersit. Novam hinc Mundi creationem, & reviviscentis naturæ animam auguremur. Exoritur ab omni parte ventus, illum crediderim, qui albentem olim ab ossibus campum Prophetæ advocatus jussu mundavit, sparsasque mortuorum exuvias in vivos exercitus animavit. Mortui à vento Spiri-

ſpiritum exſpectate. Cœlum collifis nubibus tonat undique: vel ut ſurdaſtras mortuorum aures increpet,& leænarum in morem rugitu ſuo ad vitam pariat: vel ut tonitrua illa parturientis cœli dolores eſſe intelligamus. Mortui à tonitru vitam ſperate. Linguis de cœlo liberaliter pluit: an ut urſorum inſtar novi partus lambantur ad vitam! an ut ſublatis veteribus linguis (in quibus infeliciſſimæ mortis cauſa malè arroſi pomi guſtus adhuc ſuperſtes reſidebat) nova ſine mortis guſtu lingua ſubſtituatur? Mortui à linguis vitam præſtolemur. Duas in partes ab una radice diſcedunt linguæ: an ut ſublati nuper ſanctioris Eccleſiæ Parentis fiat in nobis *Spiritus duplex*? an ut index lingua cum corde, hoc eſt, cum vitæ fonte conſentiat? Mortui à bifida linguarum ſectione Spiritum expectate. Ignis è nube diſciſſa ruit? an ut rigentes à mortis frigore calefaciat? an ut cum Metapontino Philoſopho diſcamus, rerum omnium animatarum Ignem eſſe principium? an ut reviviſcentibus oculis novam lucem affundat? Mortuis ab igne dies affulgebit. Ruptis veluti fulminibus dilaceratur aër: an, ut qui fugâ & timore cervos indueramus, veluti cervi fulminante cœlo novam ad vitam pariamur? an ut, Semeleio veluti partu, meri naſcantur Mercurij. Divinitatis Interpretes, Legati Apoſtolici; quibus Spiritus ipſe, ſi fulmen eſt, cedat pennas in celeritatem: ſi columba eſt, donec alas in talaria; ſi lingua eſt, inſtillet facundiam, ſi ignis eſt, accendat ardorem. Mortui ab ipſis fulminibus auſpicium vitæ accipite. Quid verò eſt, quod ſedere ſupra ſingulos eorum perhibetur? hoc eſt, immenſus ſeſe contrahit, ut ſingulorum ſe adaptet parvitati. Quid, quod verticibus inſidet?

hoc

hoc est, vel principalem vitæ sedem gaudet occupare, vel ad eam omnino rationem defunctum hominem vitæ restituere, qua primis nascentis Mundi incunabilis ad vitam fuerat animatus. Inspirandum ergo erat in faciem hominis spiraculum Vitæ; & qui nuper *inclinato capite* ad Vitæ mortem *omissus erat Spiritus*, debuit hodie ad mortis vitam erecto capiti insidere: vel ut regiam rationis sedem illustraret in cognitionem; vel ut elanguidam voluntatem accenderet in amorem. Est enim & ipse Divinissimus Spiritus, non Patris tantũ Filijque in Augustissima Triade dilectio, sed in humanis quoque mentibus Amor Deus. Ut si amorem aliquando credidimus vigoris fontem, animi vitam, fervorem mentis, motum cordis, animam animæ; credamus pariter hodie ab hoc uno fonte manare vigorem; hâc unâ vitâ spirare animos, hoc fervore accendi mentes, hoc motu promoveri corda, hac animâ animas nostras animari. Si amorem intelleximus olim esse in pectore flammam, cruorem in venis, in fronte serenum, in brachijs robur, constantiam in pedibus; intelligamus pariter ab hac Divinissimi Spiritus flamma incendi pectora, cruore rigari venas, sereno amœnari frontes, robore firmari brachia, constantiâ pedes stabiliri. Si amorem diximus esse in oculis diem, in aure melos, in ore risum, in lingua eloquium; dicamus pariter hoc die irradiari oculos, melo recreari aures, risu perfundi ora, eloquio linguas fœcundari. O Amor, quantus recentiorem in vitam animis te nostris insinuas! Fabula est, eviduatâ quondam sagittis pharetrâ, post sagittas quoque semetipsum in Teij Poëtæ medullas Amorem infudisse: Veritas est, post innumera Amoris Divini nun-

nuncia ipsum quoque divinitatis Amorem pectoribus sese hominũ immersisse. Lingua illa quæ lucet in capite, ardentis in pectore Amoris est indicium: quæ per tectum erumpit tenuior flamma, depascentis interiorem domum incendij est interpres: qui pyrio ex orbe micat subtilioris flammæ radius; latentis in gremio ignis est index. Erratis A. A. Academici, erratis, si Stoicorum seducti opinionibus, Amorem in corde solum desidere judicetis. Ita cor tribuamus Amori, ut linguam illi non negemus. Dicant ergo Stoici, dicant Amorem ardere in corde: dicemus nos eundem per linguam exspirare. Dicant illi Amorem latere in corde; dicemus nos patere in Lingua. Dicant illi eum corde, suâ veluti nube sese involvere; dicemus nos è lingua fulminare. Dicant illi in corde tela cudere; dicemus nos per linguam jaculari. Dicant illi in corde, suo veluti in fonte, se jactare, dicemus nos linguã canalem esse, quo derivatur. Dicant illi sedere pacificum in corde Regem, dicemus nos pugnare belligerũ in Lingua Imperatorem. Dicant illi Principem in corde leges scribere; dicemus nos scriptas linguâ promulgare. Dicemus, verbo, ita vivere in corde, ut per linguam indubitata vitæ prodantur argumenta. Atque utinam, quod dicere licuit, liceat experiri! Si ignis est sacerrimus Spiritus, addamus suspiria, ne extinguatur. Nihil est luce dignum, ubi flamma hęc est extincta. Corde cedamus in cineres; ut qui in humilibus sese quieturum adpromisit, nostris quietem reperiat in cineribus. Si lingua est, nostris silentia imponamus, ut illa una audiatur: vel si nefas sit silere, cum in munere sparguntur linguæ, indicio melioris vitæ non nisi *magnalia Dei* eloquamur. Si

 aura

aura est,& ventus; dabimus corda in arundines, hoc uno felicissimè agitandas: dabimus mentes in organa, *cum Spiritus supervenerit* in amicam Deo Musicam animanda. Dabimus animos in naves, affectus in vela, per sævientes emoti pelagi tempestates inoffenso cursu beatum in portum propellenda. Veni ignis! veni lingua! veni aura! veni! & quod hoc calamitosissimo tempore votorum est primum, *insuffla super interfectos illos*, quos Martius nuper campus tumulavit: *reviviscant, stentque super pedes suos* exercitus grandis Ferdinando Augustissimo Imperatori. Habes in tonitruis tuis bellorum machinas; habes ignes, quibus succendas: habes in fragore classicum, quo animata militum pectora ad victoriosa bella excitentur: habes exhortationes in Lingua, iras in flamma, in fulmine Victoriam: quam ut in Epithalamium idem gloriosus Triumphator, idemque Augustissimus Hymen, Ferdinando deferas, supplices advovemus.

Dicta Viennæ Austriæ nomine Facultatis Theologicæ in Basilica S. Stephani.

ORATIO IV.

IN NATALI DOMINI.

Sol Salutis; Natus Jesus.

Bona dies, *Auditores*, Dum per licentiosam retro fabularum ætatem nunquam audito spectaculo, non unus hodie nova trabeatus in luce dies sese mundo videndum infundit; sed si Severo ac Tertulliano credimus, centuplicati Soles Romano

mano Senatori, ipsâ nascentis Dei celebritate, totum circum horizontem visi sunt coronare, licebit omnino mihi repetitâ hac orientis in mortalitatem nostram immortalis Dei memoriâ, bonum vobis, felicemque diem apprecari. Enimverò si matutinus diei præco, idemque serenitatis adprecator est Lucifer, illustris Solis ante ambulo; Si *Iustitiæ Solem* Baptista antecurrit; debebam, agnomine fortassis meo non infeliciter damnatus, Solem illum, qui *illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*, unus ego huic Academicorum siderum Coronæ annunciare Et verò felix Præco, cujus *Verbo* uno tota constabit eloquentia Non laboro de Inventione ejus, quod se ipsum in publica via etiam non quærenti mihi obtrudit. Non me magnopere angit orationis suos in ordines concinna dispositio, dum idem est mihi *exordium*, à quo exordium traxit rerum Universitas: idem *Confirmatio*, qui est, sive labantis, sive consistentis mundi firmamentum: idem *Epilogus*, qui est Principium, & finis, *Verbum Dei*. Non inquiro pro elocutione Metaphoras, dum una in uno *Verbo* facta à propria cœlorum sede in alienam exil[illegible] nostri omnes supplet translationes. Non investigo flores Eloquentiæ, dum *florē campi* propono. Non mendico orationi colores, dum *candidus & rubicundus* sponte sese ingerit Homo Deus Oratori. Non diffido memoriæ, dum uno tantum *Verbo* totam complector orationem In pronuntiationem verērer ut tota sese exoneraret difficultas; dum vel ineffabilem effari Deum, vel *absconditum à sæculis mysterium* evolvendum suscipio, nisi, quod inter Thebanas antiquorum fabulas olim censebatur,

veracius in me sentirem innovari, dum in opprobrium vetusti Memnonis durum taciturnitatis marmor ardore Solis in verba eliquatur. Quare audeo rursus, dum novus felicitati nostræ Sol enascitur, sapientissimo huic consessui *bonum diem* advovere. Quod dum pronâ, ut soletis, aure & amico animo excipitis, quanquam velim vos eam novi Solis pectoribus vestris effingere Majestatem, quam capitis augusta dignitas, aurati capillorum radij, explicatæ frontis area, superciliorum rubicundæ Irides, oculorum gemella sidera, corallinum labiorum purpurissum, comis totius vultus gratia amabilem reddat; nolim tamen eum electrino sublimem in solio, peregrinis gemmarum sideribus radiarũ, inter ambitiosa argenti, & auri certamina, inter deliciosa gemmarum & lucis prælia, inter gratas naturæ ac artis pugnas, inter sumptuosa opulentiæ, ac industrię duella, flammeo equorum quaternione per augustos cœli campos provectũ vanâ illusione mentibus ipsi vestris depingatis: Sunt sui ad rapidam celeritatem flammei equi illustrissimo illi Planetarum Principi, dextero cœli oculo, viventium nutritio, ac splendoris omnis parenti Soli: *Soli* meo tardigrada animalia, Bos, Asinusque lento ministerio longe ad orbis felicitatem meliùs obsequuntur, Dum velocitate præcipiti Cœlorum crystalla percurrunt Pyrois, & Æthon, dubium relinquunt sui spectatorem, adducantne diem magis, an præcipiti velocitate abripiant? Tarda gemellæ animantis ministeria diei nostræ servient ad prolixitatem. Sint sui fonti illi luminis, siderum Imperatori, temporis mensuræ Soli, radiantes ab auro currus, gyratæ crystallo rotæ, pretiosi sapphyro axes, virentes smaragdo

ragdo temones, ardentia pyropo folia: Soli meo, pro curru eſt Præſepe; pro rotis ſunt vimina, pro axibus junci,pro ſmaragdo fœnũ,ſtramen pro pyropo. Sint ſui Phœbo, per quos decurrat ſtellati campi;ſint vaſta cœlorum theatra,in quibus Actor Sol toto Spectatore mundo triumphet: Sunt *Soli* meo pro campis anguſtiæ,pro cœlis malè materiatum mapale. Sed non deſunt tamen huic cœlo vel aſſiſtentes mentes Angelicæ, dum *facta multitudo militiæ cœleſtis* ſeſe antro infundit;vel amica veris, ac æſtivantis Amoris ſigna,quæ novus Sol beatitati noſtræ decurrat. Si quem amœna Veris delictat temperies, anni illa renaſcentis Juventus, reviviſcentis mundi anima:revolve in antri cavâ cum mẽte oculos,& alendæ animorum jucunditati amica Veris ſigna novo prodeuntia è Zodiaco intuere. Dum ſpectas *Agnum Dei,qui tollit peccata mundi, Arietem* agnoſce, primum naſcentis floreæ ætatis genitorem. Dum aſſiſtentem cunis *bovem* ſpectas, *Taurum* intellige. Dum geminas in unã perſonam conveniſſe hominis ac Dei naturas vides,*Geminos* reverenter adora. Si quem verò æſtuantis Amoris calor ſollicitat graviùs; dum *paulo minoratum ab Angelis* adoras Deum,Solemque denis retro ceſſiſſe lineis animadvertis,*Cancrum* agnoſce. Dum adſtantem præſepi infantis Dei Matrem colis; *Virginem* reverere. Neque alia, verna præter ac æſtiva Amoris in Zodiaco ſignis require. Neſcit Amor in hyemem cadere. Incendia ſemper vel facere aſſuetus,vel pati;quoquò vadit,æſtatem trahit. Et tamen (audite fines ultimi utriuſque mundi) & tamen Amor Deus, Sol renaſcens in brumam cadit. An ut frigentes mortalium animos concalefaciat? An ut

adamantinam propè cordium glaciem colliquefaciat? An demum, ut hyemali circumseptus rigore antiperistaticâ tandem virtute coactis intra semetipsum caloris incrementis, aperta in æstatis incendia erumpat? Quid verò quod anticipato jure media noctis regna invadit; Sol novus, & tenebras mille radiorum jaculis expugnat? Dicetis prævenire futura quondam lucis dispendia, & nunc splendore suo mediæ noctis tenebras invadere; qui prævidet olim suum in Calvario monte meridiem interfusis tenebris involvendum. Ego verò dicam in mediam procurrisse *potestatem tenebrarum*, ut utrinque totam configeret. Dicetis medium sese collocâsse in tenebris; ut *Lux in tenebris luceat*: ego verò dicam diametralem ad lineam sese Dæmoni *Principi tenebrarum* opposuisse, qui vel suâ audaciâ, vel hominum desidiâ factus erat *meridianus*. Dicetis in nocte lucernam accendisse cœcis mortalium animis: ego verò dicam dũ sopiti dormimus omnes, unum illum cœli oculum Solem pro salute nostra vigilare. Juvent ergo atrorem noctis exesæ rupis cava: at in profundum antri discedentes tenebræ aliud non evincent, quàm ut per angusta rupium, per opticos veluti tubos fœliciùs videantur. Conveniant sacrilegâ in Solem conspiratione Urbes, & suis eũ hospitijs procul jubeant exterminari. Dicam ego Solem commune quoddam mortalibus esse beneficiũ; nullis Proinde mœnibus arrogatione juris detinendum; ne quis ejus accessu prohibeatur. Ejiciatur Bethleemiticis turribus, ac palatijs: facient ut amœniùs splendeat in aperto. Deponatur in viam abjectus; Unus pro certissimo erit viarum Mercurio; unus, nè viarum erroribus abducamur, directore radio

dio facem prælucebit. Abjiciatur in fœnum; nempe, qui *venit ignem mittere in terram*, aptam incendiis nactus materiam, ardores ipse suos geminabit. Involvatur in fascias: nostræ consuletur oculorum imbecillitati, ne præstinguamur. Sed hoccinè ad felicitatis nostræ cumulum facere, an tristè forsan incumbentium ærumnarum portentum dixero? quod vix in præsepe reclinatus, hoc est, virtutis in solium depositus Sol, geminis ex oculorum nubeculis in nimbos dissolvitur. Quisquis & lacrymas ex corde nasci dixit, & Solem *Cæli Cor* appellavit; dabit omnino, Solis nostri lachrymas ex ipsâ Amoris sede natas, in felicitatis nostræ tributum promanare. Quare si una Saturni lachryma per fabularum mendacia excrevit in mare, una lachrymantis JESU guttula amplissimum dabit Oceanum; quo vel ad optatissimum portum dubitantes provehamur, vel nostra naufragium passa impietas fluctibus involuta submergatur. Si lachrymę sunt vivum animi argentum; pretium hoc nostris emendis cordibus Deus deponet. Si lachrymæ sunt lac pupillarum, tenellos adhuc animos nostros ad maturitatē nutriturus Infans Deus, hujus lactis irriguos nimbos ad satietatem suppeditabit. Si lachrymæ sunt vivi fontes, pessimo ardori nostro extinguendo subservient. Si lachrymæ sunt vel affectuum, vel cordis stillicidia: vel cor, vel affectus suas per stillas in nos effusurus puellus oculorum canales reserabit. Si lachrymæ sunt funebribus cadaverum Justis debitum tributum; abluendis erratorum nostrorum cadaveribus balneum puelli fletus ministrabunt. Si lachrymæ sunt interiorum pectoris viscerum vapores; in nostra jam sese corda evaporaturus infans, totus abibit

in vapores. Si denique lachrymæ falsæ sunt; valebunt ad amoris sitim in mortalibus animis accendendam. Quæ si etiam suffragio vestro vera pronuntiatis; annunciate jam tandem palam cum singulari gratulantis animi significatione, anhelanti mundo felicissimũ optatissimumque diem, & communi affectuum consensu palàm edicite, tarda novelli Solis jumenta, & cunas vimineas, & fœni lectum, & innovati Zodiaci signa, & anticipatam exortûs horam, & inusitatas lachrymas plurimum ad universi mundi facere prosperitatem. Quo uno & meum quoque abundè probaveritis institutum, quod ad exortum hujus noctis desideratissimum Solem, *Bonum diem* vobis, *Bonum* mundo sim apprecatus. Quem nemo sanè fugerit, nemo non gratulabundus exceperit, nisi tenebrio, & inter Vespertiliones, vel noctuarum in censum referendus. Una aliquando insequentem Solem vitavit Daphne; sed fugæ datura pœnas in truncum est transformata. Solem qui fugerit, stipes esto. Quanquam qui & fugientem Daphnem persecutus est Sol, & lachrymis truncum irrigavit; spem omninò facit fore, ut si quisquam Solifuga hactenus in stipitem transit, lachrymis Solis irrigetur, efflorescat in Laurum. Sit ergò & solifugis pariter, & pariter Solis Amatoribus Bona Dies.

Dicta Viennæ Austriæ nomine Facultatis Theologicæ in Basilica S. Stephani.

ORA-

ORATIO V.

IN NATALI DOMINI.

Nata felicitas.

NEscio quonam fato nostro evenisse dicam, ut quam diem felicissimã, & singulari affulgentis Dei beneficio optatissimam fore arbitrabamur; eadem nobis tantum attulerit infelicitatis ad mœrorem, quantũ ad communem omnium incolumitatem allatura boni sperabatur. Etenim recentissimum nascentis Dei spectaculum, & intempestivam Oratoris in dicendo temeritatem arguit, & præposteram vestram in audiendo damnat attentionem. Nam si saxeo reclinatum in tugurio infantẽ, VERBUM DEI esse credimus: illud & à me venerabundo silentio coli par erit; & à vobis Oratore posthabito unum decebit exaudiri. Inhumanũ enim est, Divinum VERBUM loquendo interpellare; aures eidem denegare, flagitium. Ne inane Verbum existimetur; omnem silere decet eloquentiam: ut ejus vis, & efficacia intelligatur; omnem ei impendi convenit attentionem. Nemo enim de Verbo dissertarus aut compendio efficaciam, aut efficaciæ compendium aptiùs conjunxerit, quam *Verbum* ipsum *abbreviatum*. Quid ergo Auditores? loquine honestius, an tutius est silere? Par est profectò in utroque offendendi periculum: cùm nec loqui liceat sine importuna Verbi interpellatione; nec tacere sine magno præproperæ in dicendo temeritatis argumento. Quod si ergo & loqui vetamur, & silere prohibe-

mur, par est nos ita loqui, ut sileamus; ita silere, ut locuti esse censeamur. Et sanè si patente hodie rupis cavernâ excipi Verbum delectatur, en me rupem asperam, & confragosam; è qua excepti Verbi ita enascetur ECHO, ut & tacens locutus censear, & loquens tacuisse: hoc quia non meâ facundiâ disertus, sed unâ Verbi eloquentiâ sum verbosus: illud, quia si non integrum, fractum certè & extremum Verbum in fine sæculorum genitum ad vos refundam, tantò audaciùs, quantò diversorium quæritanti Verbo benigniores aures, hoc est, proprium Verbi hospitium, vos concessuros esse intelligo. Atque ego quidem, dum cœlo delapsum puellum conspicor, in eam facilè adducor sententiam, ut existimem nos, non tam optatum nascentis Dei exordium, quam nostræ felicitatis natalem obire diem; qui tantum nobis ad lętitiam afferat beatitatis, quantùm ejus absentia attulerat calamitatis ad luctum. Nam si felicitas, ut ajebat ille, propria est Amoris domus, si in bonitate portum, in prosperitate larem, hospitium in beatitudine, in gaudio carcerem, limen in divitijs, in voluptate semetipsum collocavit Amor: divinitus nobis datam, atque impertitam felicitatem fateamur oportet, qui nato nobis, & lætamur, & gloriamur Amore. Enimverò Amor est puellus ille, qui infantili vagitu rupē personat. Amor est, qui bovem inter, & Asellum aspero reclinis fœno majestatis suę splendorem tenui carnis nube velat; ne lippientes mortalium oculos præstinguat. Amor est. Quò enim aut alio possit, aut debeat nomine aptiùs compellari? Lachrymatur, non diffiteor sed Amoris lachrymas, quæ rigente etiam Borea gelari non possint in duritiem. Lachrymatur: sed

Amoris

Amoris in nimbos diffluit,quibus faluberrimũ paret amato tepidarium. Lachrymatur ; sed non ad cœcitatem,nimium quantum Divinus Amor oculatus. Lachrymatur;sed ut timoris nubibus aliquãdo resolutis,amoris serenitas inducatur: Quid verò quod assiduâ Boreæ flagellantis tempestate impetitur ? hoc est,ventus Amoris ignem flando animat, ne sacra incẽdia extinguantur. Quid quòd prostrato corpore,& amissis propè, aut temperatis Divinitatis suæ viribus humi jacet reclinatus ? hoc est,alas suas sibi incidit Amor , ne à nobis possit avolare , Quid quòd fascijs involvitur ? hoc est,etiam compedes sibi injecit,ne possit abire. Quid quòd hieme summâ,tempestate perfrigidâ urgetur undique?hoc est,fovet æstuantem Amoris calorem virtute antiperistaseos. Quid quòd bovis aspectum vagitu increpat?execratur?hoc est,erecta cornua Divinus Amor execratur. Quid quòd totus in fœno puellus reclinatur.? hoc est, totus transit in amatum admirandâ prorsus metamorphosi;ut ubi omnis caro fœnum facta est,in fœnum quoque transeat natus Amor. Adeò nihil est in hoc Divino infante, quod non Amorem exprimat ; nihil in Amore,quod vivam infantis imaginem non repræsentet. Quòd si verò etiam vetusta placeant Poëtarum , aut Philosophorum commenta,omnia Amoris elogia,elogia esse abjecti in antro puelli judicabitis. Dicetis cum Phœdro Deorum antiquissimum; & omni carentẽ principio,in infantia senem, infantem in senectute, si qua potest cadere senectus in Amorem. Dicetis cum Agathone rerum omnium auctorem,effectoremque, *Per quem omnia facta sunt, & sine quo factum est nihil,quod factum est.* Dicetis cum fabulosâ

losâ Platonis Philoſophiâ; Pori & Peniæ, hoc eſt, ditiſſimi Parentis, Matris egentiſſimum Filium; qui Patrem de cœlo, Matrem nactus eſt aſcendentem de deſerto. Dicetis cum eruditis Poetarum fabulis in publica via jacere, qui cùm locum in diverſorio non inveniret, ad publicam in ſuburbano viam decubuit: ut ſi non oculo, pede ſaltem impingeremus in Amorem, pręcipites ad iniquitatem gradus ſtituri, Dicetis cum Heſiodo, in rerum omnium nocte, quæ chaos veteribus dicebatur, genitum; qui, *cùm nox in ſuo curſu eſſet, altiſſimumque omnia ſilentium haberet*, primam lucem aſpexit. Et ſanè decebat Amorem Deum nocturnũ eſſe, quando *Dæmonium* erat *meridianum*. Decebat eum à tenebris vitam ordiri, cujus propudioſam mortem, ne videat, ſuum aliquando oculum Sol ipſe eſt averſurus. Decebat ſaltem cœlum vigiles nato Deo oculos impendere, cùm geminos mortale genus gemino ſomno ſopiiſſet. Non adducam jam Agathonis placitum, qui amorem fœdus exiſtimabat Deos inter, & homines: nemo enim non credit vili exceptum ſtipulâ Deum ſtipulatum eſſe amicitię fœdus, poſt ſedatam illam nefario hominum ſcelere olim Deo intentatam rebellionem. Silebo diverbium illud, quo Amor res maximè fuſilis prędicatur; quis enim magnâ lachrymarum copiâ non videt Jeſum diffluentem? Tacebo Diotimæ opinionem, quæ amorem Venatorem efficiebat. Venatorem Jeſum is negaverit, qui ejus plagis non fuerit irretitus. Præteribo denique vetus Ægyptiorum inſtitutum, qui compendio omne Amoris elogium complexuri, ſolenne illud (*Vita* & *Mors*) ejus veſtibus inſcribebant: quis enim Divinę Aquilę Joannis non audivit teſtimo-
nium?

niũ? *In ipso Vita erat:* sed amore mortua tùm enim vel maximè Amor vivit, cùm moritur sibi. Phœnicem crediderim, qui è suo cinere exit redivivus. Nõ habet alios Amor cineres, quam Amatum: in quem cùm transivit, revixit. Illud tamen insanæ vetustatis statutũ Amori monumentum non possum nõ improbare, quo Amorem inter Fortunæ amplexus, damnandâ omnino commendatione, proposuit: quasi verò nõ cœlestis magis, quàm Fortunæ orbis teneretur desiderio. Probassem vestrum eruditi veritatis simulatores Poëtæ commentum, si superorũ potiùs orbium felicitatem Amoris brachijs implicuissetis: Nam terræ donatus Amor nõ alium certè quàm cœlestem orbem amplexatur; quem in terras etiam (quæ maxima nostræ felicitatis est portio) crediderim protraxisse. Ludimurne? an res ipsa sic se habet Auditores? ita profectò habet. Nam si cœlum aliud non est, quàm locus æviternę beatitudini destinatus, hæc verò tota perenni Numinis visione continetur; quid est dura sub caute latitans puellus, si non Deus, qui nostris oculis sese exhibet intuendum? Si cœlum est, ubi multus Ephœborum Dei, & in varios ordines distinctus est exercitus, quid terra erit, in quâ *Facta est multitudo militiæ cœlestis?* Si cœlum est ubi immensa luminis affulget Majestas: quid terra erit, cujus gremio suscipitur. *Lux vera, quæ illuminat omnem hominem in hunc mundum venientem?* Si cœlum est, quod rosea Solis filia, eademque & mater Aurora matutinâ purpurâ depingit: quid terra erit, in qua vicina Soli Mater, ad Aligerorum etiam stuporem, refulget *Aurora consurgens?* Si cœlum est, quod ab Oriente Luciferum promit; quid terra erit, in quâ attoniti stupore Magi
vident

vident ſtellam ejus in Oriente? Si cœlum eſt ſumma liquidiſſimorum gaudiorum; quid terra erit, cui Aligeri voce *magnum gaudium, quod erit omni populo,* annunciatur? Si cœlum eſt locus Dei claritate & gloriâ illuſtris, quid terra erit, in quâ *vidimus gloriam ejus, gloriam quaſi Vnigeniti à Patre*? O ſummam temporum noſtrorum felicitatem! Nihil, nihil omninò reliquum eſt, quã ut (ſi umbratilis amore felicitatis irretimur) nosmetipſos explicemus, & à Fortunæ brachijs in Amoris amplexus provolemus. Avariſſimi profectò omnium ſimus, ſi cœlum, ſi Amor, ſi Deus noſtram non exſatiet cupiditatem: ingratiſſimi verò ſi debitum Amori Amoris vectigal non rependamus. Cætera diversâ merce compenſari poſſunt: Amor non niſi Amore rependitur, pretio eò faciliori, quod vel voluiſſe tantùm, eſt liberaliter reddidiſſe.

Dicta Viennæ Auſtriæ nomine Facultatis Theologicæ in Baſilica S. Stephani.

ORATIO VI.

IN NATALI DOMINI.

Factus eſt nobis à Deo Sapientia & Juſtitia. 1. *Cor.* 1.

QUod únum ad inflammanda ſanctiſſimarum animarum ſtudia, ad ſublevandos hebetioris intellectus conatus, ad univerſa Academicorum vota adimplenda deſiderari poſſe videbatur; ut ſemel ſuſcepti in Virtutis ſtadio itineris moleſtiæ, & per mille Tomorum vigilias in ſapientiæ curſu ducendi labores

labores aliquâ ſui parte diminuti nobis compendiarentur: illud ſupremâ hac ſive deficientis mundi ætate, ſive plenitudine temporū, ut ſingulari miſerentis cœli beneficio, ſic exuberanti omnium gaudio eo die ſumus aſſecuti; quo ſub malè materiato Bethleemi tugurio humana carne veſtitus Deus adultam omnem in tenero Infante Virtutem, omnē, in uno eoque abbreviato Verbo ſapientiam explicavit. Convellite jā, licet Theologi, Lōbardos & Aquinates: convolvite Juriſperiti Juſtinianos & Bartholos: disjicite Medicinæ ſectatores Galenos & Hippocrates: exurite Philoſophi Ariſtoteles & Platones: damnate Mathematici Ptolomæos & Archimides: dilacerate Rhetores Tullios & Demoſthenes: diſcerpite Poëtæ Marones & Ovidios; quando uno Verbo faciliùs longè, quàm uno Triſmegiſti cyatho omnem licet exhaurire ſapientiam. Diſpendia ſunt volumina, quando prolixitati pręſtat compendium: enerves ſententiæ, quas unum Verbum ſupplet: quod unum ſi teneas, habes Univerſæ Theologiæ medullam, Compendium perfectionis. Unum verbum cui mille laborârunt volumina, nullum elaboravit; mille vigilârunt ſæculâ, nullum elucubravit: cui jam inde à ſui primordio ſtuduerunt Angeli, & necdum cœperunt: Verbum, quod ſemel dictum ſemper dicitur: ſemper naſcitur, ſemper concipitur: concipitur *ſub umbra*, editur *in ſplendoribus*: ſemper novum, ſemper antiquum: ſemper operans, ſemper quietum. Verbum quod *docet omnem veritatem*, & confundit ſapientes: *illuminat omnem hominem*, & excœcat omnem intellectum: *linguas infantium facit eſſe diſertas*, & elingues reddit Oratores. Verbum quod eſt in Trinitate

filius,

filius, in cœleſtibus ſpiritibus *magni Conſilij Angelus*, in beatorum comitiis contemplationis argumentum, in ſtellarum Rep. primus motor, in aere, *lux mundi*, in mari *ſalutis arca*, in terra omnium centrum, in paradiſo *arbor vitæ*, in campis *flos*, in convallibus *lilium*, in agris *frumentum electorum*, in ſegete *granum*, in collibus vinea, in vinea *vitis*, in vite *botrus*, in botro *vinum*, in ædificiis *fundamentum*, in ſtructuris *lapis angularis*, in urbibus *murus*, in propugnaculis *antemurale*, in regnis *Imperator*, in bellis *Pax noſtra*, in pace Sapientia carne togata, in diſſidiis *Mediator*, in litibus amicitia, in amicitia *Charitas*, in Charitate *vinculum*, in vinculo nodus, in tenebris *lumen*, in erroribus *Via*, in via *Dux*, in diſceptationibus *Veritas*, in cathedra Doctor, in ſenatu Conſiliarius, in tribunali *Iudex*, in foro *Advocatus*, in templo *Sacerdos*, in Altari *Hoſtia*, inter oves *Paſtor bonus*, inter flores *Hortulanus*, inter mortuos *Vita*, inter beſtias *Homo*, inter homines *Deus*. Verbum quod dictum ab æterno reſonuit in tempore, tunc primùm auditum, cùm *medium ſilentium tenerent omnia*: tunc primum viſum, *cùm nox in ſuo curſu medium iter haberet*, *noviſſimus virorum & primogenitus ante omnem creaturam*. Verbum, quod eructatur è corde Patris, excipitur in ſinum Matris; in natura homo, in perſona Deus; natus à Patre, coævus Patri; idem cum Patre, diſtinctus à Patre: Imago Patris, nec tamen aliud quàm Pater. Verbum, quod eſt incomprehenſibile, & comprehendit omnia: inviſibile, & videt univerſa: immortale, & mortem induit: ęternum, & Eccleſię annos auſpicatur: immotum, & de cœlo deſcendit; immenſum, & bipalmaribus pannis

pannis involvitur: independens, & pendet ab uberibus Matris: incircumscriptum, & infantilibus membris definitur. Verbum quod est infans, nihil ignorat; est Verbum & nihil loquitur: tacet & per ipsum *dicuntur omnia:* est Rex, & in caulam abjicitur: est Dominus, & *factus est obediens*; est liber, & *formam servi induit:* est homo, & damnatur ad bestias: est Deus, & *habitu inventus ut homo.* Verbum, cujus divinitatē non cognovit Arrius, distinctionem non vidit Sabellius, subsistentiam ignoravit Eunomius, consubstantialitatem nescivit Ætius, æqualitatem cum Patre non credidit Macedonius, perfectionem non est assecutus Varimundus, omnipotentiam non attigit Abailardus, cum Patre identitatem non intellexit Valentinus. Verbum quod est *Veritas*, & tot erroribus est objectum; est ipsa *sapientia* & stultitia reputatur; quod loquuntur sæcula, nec exprimunt: meditantur Beati, nec assequuntur; Deus ab æterno generat, nec unquam concludit generationem. Verbum quo uno dicto dicitur, quidquid potest Deus totâ loqui æternitate. In hoc uno Verbo suam Deus compendiavit Sapientiam, Justitiam, sanctificationemque nostram delineavit. Adeste quos vel sapientiæ sitis accendit, vel sanctitatis desiderium inflammat, vel utriusque nobilissima trahit ambitio. Non jubeo vos, ut sanctimoniam reportetis, terram sanctam penetrare, vel sacrilegio quandoque etiam pede calcata Apostolorum limina basiare, non terrâ sepultas Martyrum cryptas subire: non antra Pauli, deserta Antonij, Pachomij Asceteria, Hieronymi solitudines inhabitare. Non volo (ut dudum amatâ potiamini Sapientiâ) vos cum Orpheo & Musæo,

Melam-

Melampo & Lycurgo, Solone & Thalete, Pythagorâ & Anacharsi per fastidiosos & rebellantes pelagi tractus in Ægyptum, aut in avulsas ab hominum commercio regiones peregrinari. Anima & sancta fit & sapiens quiescendo. Non amando vos ad Assyriorum Chaldæos, Indorum Gymnosophistas, Persarum Magos, Gallorum Druidas, Samanæorum Brachmanes, Lacedæmoniorum Hipparchos: *Sapientia hujus mundi stultitia est apud Deũ.* Non invito vos ad Pœcilem Zenonis, Lycæum Aristotelis Academiam Platonis, Gnosargen Aristippi, Lacidium Lacidis, Craneum Diogenis & celeberrimas totius orbis Universitates: ubi plus scholastici pulveris bibitur, quàm illimis sapientiæ hauriatur. Non aperio Ulpiam Trajani, Musæũ Plinij, Amalthæum Attici, Bibliothecas Vaticanam Romæ, Constantinianam in Oriente, Marcianam Venetijs, Susianam Persidos, Alexandrinã Ptolomæi: quarum partem non exiguam tineæ devorârunt, nec inde sapientiores evaserunt. Unum Verbum & Magistrorum omnium compensat defectum, & totius orbis Bibliothecas exhaurit. Videor mihi videre exundantes animorũ vestrorum flammas, & toties cùm Sapientiæ amatore Jobo jam in cœlũ extrusa, jam trans mare projecta audire desideria: *Sapientia ubi invenitur?* Si audivistis eam circa *cœli cardines* occupari, *gyrum cœli circuire:* succurrat & illud memoriæ, etiam cum hominibus esse conversatam: ut inde majores in æstus languentia animorum desideria suscitetis. Si audivistis *in altissimis habitare,* & thronũ suum in columna nubis collocasse: non infringite gloriosam ejus obtinendæ cupiditatem, dum gratior hodie allapsus ad aures so-

nus

nus eam *juxta portas civitatis in ipsis foribus loqui* enunciavit. Si audivistis ex Baruch eam toto dissep-tam Oceano ultra *maria* latitare : non extinguant aquæ multæ semel incensam in vobis charitatem, dum certum est hodie eam non ultra *Mariam* habitare. Si audiistis vetustæ superstitionis fabulam, eam cavernis abstrusam hominũ aspectibus occultari, & amatis in tenebris dignissimos luce commentarios meditari; transite animis à fabula ad historiam *usque Bethleem, & videte Verbum quod factum est.* Unum Verbum, sed ingens Increatæ Sapientiæ volumen. Unũ Α᾽λφα & Ωμέγα, sed dignum totâ æternitate commentarium, cujus characteres paucissimi, sed mysteria infinita: momento pronunciatur, sed totâ non explicatur æternitate: dissyllabo sono clauditur, sed immensum & nullâ emetiendum ętate cogitationum campum recludit. Admirati quidem sumus aliquando, cum è Trismegisti ore explicatam hanc mundi mappam, *librum Divinitate plenum* audivimus, cujus Auctor Deus, manus quę scripsit *Verbum* ęternum, calamus Sapientia: cujus tot characteres, quot formæ. Sed nescio quibus legentium vitio depravatus erroribus, & male utentium licentiâ fœdatus maculis, ab ipso Auctore vix aliquid suæ operæ in illo recognoscente damnatus ad ignem, *ut cœli magno impetu transeant, terra autem & quæ in ipsa sunt opera, calore exurantur.* Obstupuimus cum volubilem illam Cœlorum machinam libri in morem cõplicatam ex Isaiæ oraculis accepimus; cujus quot sphæræ, tot folia; quot motus, tot lineæ: quot stellæ, tot verba; quot radij, tot elementa. Sed præterquam quod deviantes motuum erroribus per obliquum

 plu-

plurimæ ducantur lineæ, etiam cœli cœlorum capere nō possunt ejus, quam vos quæritis, Sapientiæ castitatem. Arrisimus aliquando Græcis, qui hominem τȣ̃ Θεȣ̃ ποίημα, *Poëma à Deo descriptum* nuncupaverunt, cujus in fronte imago Auctoris impressa, cujus titulus, *Compendiū Divinitatis*. Sed ô quantis ille mendacijs est corruptus, quando unius hominis errore factus est *omnis homo mendax!* quantis involutus est obscuritatibus, quando per intempestivam lucis ambitionem obscuratus est omnium intellectus! quantis respersus est maculis, quando per *unum hominem peccati* macula *ingressa in mundum pertransivit in omnes!* quàm abominandâ & plusquam Ulyssæâ Metamorphosi, plusquam Pythagoricâ Metapsychosi deformatus est, quando *comparatus jumentis insipientibus & similis factus est illis:* quando homines *versi in malitiam* (cum Boëtio loquor) *humanam quoque amisêre naturam*; quando expunctâ sui Auctoris imagine pro variâ quisque degenerantis à Deo animi inclinatione ambitiosus Leonem, superbus equum, luxuriosus suem, invidus canem, dolosus vulpem insidiator aspidem induêre; ut Boëtij effato, *transformati vitijs non potuerint homines æstimari* quando quem Deus præfixerat titulum, *Compendi[um] Divinitatis*, fastidiosè dedignati, *Typum mundi* inscripsêre. Ut merito Divina Justitia, cujus castigationi commissus fuerat, formidandam illam i[n] ejus verticem fulminaverit censuram: *Delebo hominem, quem creavi*; dedissetque omninò æternis incendijs devorandum; nisi Misericordia Divina innocentissimi Agni sanguinem suggessisset, cuj[us] beneficio eraderentur maculæ, corrigerentur err[ores]

res,castigarentur menda, & totus pristinæ restitueretur integritati. Sed ille, ille liber vestrorum ad se rapit desideriorum incendia, qui uno in *Verbo* sine obscuritate clarus,sine mendo purus,sine errore integer,ad lucem Spiritus Sancti conceptus,à Sapientia dictatùs, digito Dei exaratus, sub umbra Spiritûs Virgineæ membranę impressus,media nocte in lucem editus,ossibus & nervis compactus, humanę carnis pelle coopertus, hodie in Bethleemi officina sub signo Tauri venalis prostat. Cujus *fundamenta supra firmam petram* fundant Ecclesiã, cujus conclusiones sunt pacis principia sine principio, rationes convellunt hæreses & enervant. Quem,per me licet,dicite vos dictante S. Paulo *Novum testamentum*,sed addam ego novo prorsus ritu *ante mortem testatoris confirmatum*, quando universus orbis ad *capiendam hæreditatem salutis* est admissus. Præfigite ei cum mellifluo Bernardo titulum *Liber Vitæ:* sed eradicate simul ex Paradiso arborem Vitæ, de cujus philyris lectus est fructus mortis. Nominate eum cum S.Luca *Peregrinum in Ierusalem:*sed delete fabulas peregrinantis Argenidis, commenta Arcadiæ, & errores Æthyopissæ; quæ in avia per ambages adductæ nunquam patriã attigerunt. Appellate ipsius Auctoris voce *Pastorem Bonum:* sed dilacerate momento *Pastorem Fidum* Guarini, Amintam Torquati Tassi,& Campeggij Philarmundum,qui suis in pascuis innocentes quamplurimas animas perdiderunt. Vocate cum S.Chrysostomo *Scholam Veritatis:* sed damnate Æsopi fabulas,& omnem corruptæ Poëseos suppellectilem, in qua quod legitur,est mendacium; quod discitur,est umbra; quod tenetur,est nihil. Inscribite cum S. Joan-

ne *Plenitudinem gratiæ*; ſed exurite tam hodie deteſtandas, quàm olim decantatas Demophoontis Phyllida, Paridis Helenam, Catulli Lesbiam, Italorum Chloridas, Germanorum Floras, Gallorum Erotillas. Dicite cum Doctore Gentium Paulo, *Theſaurum Sapientiæ & Scientiæ Dei*; ſed addite *ubi eſt theſaurus veſter, ibi & cor veſtrum* eſſe debere. Nuncupate deniq; eum Sacram Scripturam, dummodo in lino, in petra, in membrana, in pelle, in capite exaratam. Æmulatus eſt enim Sapientiſſimus libri Auctor Trajani conſiliū, qui in Auguſta Bibliotheca, quam pro ſuo in eam amore familiam ſuam nominare ſolebat, *geſta Principum* (verba ſunt Vollaterrani) *libris linteis ſcribi juſſit:* quando editum mundo Verbum Virgineis manibus in viles lini panniculos involvi juſſit. Imitatus eſt Samanæorum ritus, qui ut præclara ſua animorū ſenſa ad poſteros tranſmitterent, ea petræ incidebant: quando Diviniſſimum *Verbum* in anguſtū Bethleemiticæ petræ antrum conjecit. Revocavit Pergamenorum inſtituta, qui tenuiſſimæ membranæ ſuas litteras inarabant, quando *Verbum* Virgineo exceptum utero innocente carnis membranâ conveſtivit. Excitavit memoriam Archimedis, qui ne in balneo ab amatâ rerum Mathematicarum tractatione animū dimitteret, per ipſa delibuti ſui corporis unguenta lineas ducebat: quando, quem *unxit præ conſortibus ſuis*, digito Dei deſcripſit. Excitavit memoriam *Hoſtiæi*, qui ita ipſis ſervorum capitibus literas per hoſtilia caſtra tranſmittendas inſcribebat, ut idem eſſet epiſtola, idem bajulus, quando idem *formam ſervi induit*, idem fuit *Caput noſtrum*, idem *Verbum Dei*. O ſi vovere liceret! Quam vellem ego librum illum,

illum, antiqua Jobi desideria æmulatus, *circumdari capiti meo!* quam vellem vestro! ut ubi resident principes hominis facultates, Memoria, intellectus, Voluntas, ibi una esset omnium nunquam intermissa occupatio Unum Verbum exprimere, speculari, intelligere, amare, complecti. Sed ô hebes nimium memoria nostra, quæ toties inculcatum Unicum, idque abbreviatum Verbum non potest retinere! O rudes intellectus, qui tot verba mentis ipsi sibi mentiuntur, unum Divinæ mentis *Verbum* non possunt repræsentare! ô malè feriatæ voluntates, quæ circa *stulta Mundi* occupatæ, *Thesaurum Sapientiæ & scientiæ Dei* nondum adamatis! O si Alcibiades aliquis repente in confertam hanc multitudinem irrumperet, qui non jam Homeri commentarios à Magistro, sed rudibus olim gentibus desideratum *Verbi incarnati* librum exigeret, parique in omnes, qui eo carent, accenderetur iracundiâ, quâ in destitutum Homero Magistrum exarsit; quantis (Deum immortalem!) locus iste alapis resonaret! Certè si pectoribus nostris ea insedisset opinio, quæ apud Xenophontem Socratis animum occupaverat, *Libros esse thesauros Reip.* laudaremus Julium Cæsarem, quod propè Alexandriam in fugam actus rerum aliarum sive oblitus, sive sponte incurius, Commentarium suum per medias fluminis undas elatâ manu detulerit: sed imitaremur exemplum, postquam per tumultuosum hoc mundi pelagus *venimus in altitudinem, & tempestas demersit nos*, majorque nobis animum servandi libri, quam vitæ cura sollicitaret. Laudaremus *Artaxerxem*, quod Commentario suo augustissimum Regij palatij conclave assignaverit: sed æmularemur Sa-

pientiæ amorem,& non minoris æstimatum inexhaustæ Sapientiæ librum Corde, principe animæ nostræ habitatione,reconderemus. Commendaremus *Alexandri* affectum,quo in Homeri Poëmata ita ferebatur, ut cum ea die pervolveret, nocte etiam sub cervicali repositis indormiret,sed non minor nos stimularet sollicitudo,ut omnes uni Incarnatæ Sapientiæ libro vigilias impenderemus, omnem in uno quietem caperemus. Celebraremus in *Friderico Imp.*librorum æstimationẽ,qui cùm non minus eos ad felicem Imperij gubernationem adferre consilij censeret, quam exhiberent arma præsidij, domitori gentium gladio indivisa societate librum conjunxit,cui adjecit epigraphen: *Hic regit, ille tuetur:* sed & ipsi in paria animati studia ad parvæ Reip.moderamen,in qua quisque sibi est plebs & Civis, Senator & Consul, miles & Imperator, Consiliarium adhiberemus Verbi Incarnati Commentarium. Non rideremus, insanum licèt,indulgendum tamen amori,votum illius,qui pro eâ,quâ in Platonis de Rep. libros ferebatur animi propensione, in tineam migrare desiderabat, ut ijs pasceretur; sed excitaremus quoque laudabilem appetitum,& avidam Sapientiæ famem ad instructissimas unius Verbi epulas satiaremus. Recordaremur *Numæ Pompilij* qui moriturus sacros libros sibi adferri curavit, eosque secum sepeliri: sed & ipsi quoque Sacratissimum unius Verbi volumen ad suprema nostra funera nõn segnibus votis ambiremus. Idque tantò impensius, quantò nobis certius est, tum ad expirantium supremam felicitatem, unam necessariam esse Justitiam,tum hoc ipsum Verbum *factũ nobis esse Iustitiam sanctitatemque nostram,* quod hactenus

hactenus *Sapientiam* intelleximus. Quam in rem non mendicabo è fabulis argumenta, ut qui Gratias Mnemosynes filias esse Poëticæ fidei articulo creditis; Verbum quoque Divinũ fœcundæ Patris memoriæ unicum esse partum non dubitetis. Non accipiam à Matre augurium, ut qui eam vel Ecclesię suffragio *Matrem gratiæ*, vel cœlestis Paranymphi voce, *gratiâ plenam* millies salutatis, ejus quoque partum *plenum esse gratiæ* consentiatis. Non desumam fundamentum ex trito illo per Concilia & Patres, ac vulgo etiam jactato axiomate, *Gratia justificat: Gratia expellit peccatum*, ut persuadeam Bethleemiticum infantem esse *Agnum, qui tollit peccata mundi*, & nostrã simul justificationem Illud ex Theologiæ arcanis si vobis persuadetis *gratiam & charitatem* rem unam esse, duas ejusdem appellationes, ac quolibet amoris actu sontes animas ad integerrimam Justitiæ pulchritudinem expiari; ego quoque eundem esse *Justitiam vestram* non ægrè persuasero, quem Amorem esse non potestis dubitare. Nam si Ovidio *Amor ignis* est, vos mundi purgatorium creditis: ego humili voto adoro:

Vre Deus mihi corda; volo cinis esse: sed isto
Vt mens æternum ferveat igne, cinis.

Si Amor Virgilio *Flamma* est vos illam concipite, quæ veteri Platonis parœmiâ *sectionem non patitur*: ego ejus amore depereo:

O ego si muter! migremque pyrausta sub alas;
Hæc ut sola mihi pectora flamma cremet!

Si Amor S. Augustino *Nodus est*; vos illum credite qui *facit utraque unum*: ego illi stringi exopto:

En sine lege vagus, sine fræno liber oberro,
Materies nodo scilicet apta tuo.

Si Hesychio *Aquila* est; vos jam ad volatum ab ea provocari existimate: ego in me vetustas Reguli fabulas ad veritatem transire desidero:

O ego concessis si fiam Regulus alis,
Hujus ut in superas me ferat ala domos.

Si Amor Nazianzeno *Magnes* est; vos illum credite, qui populum respicit: ego qui ferrum trahit, ad quem millies replicato voto inclamo:

O mea si solido durentur pectora ferro,
Vnus ut illa trahat magnes amoris amor!

Tacebo, quod *Luctator* ab Hesiodo nominetur, dum ex S. Bernardo audio Bethleemiticum infantem *armaturâ carnis indutum suo è præsepio, velut è propugnaculo, contra hostes nostros dimicare.* Non tacebo tamen, quod à Diotima fuerit Sophista nuncupatus; cùm ejus argumentis & me & orbẽ sentio implicatum. Tacebo, quod *Auceps* à Poëtis fuerit nominatus; dum ab eo videt Oseas *illos in domibus suis collocari, qui avolant quasi aves ex Ægypto, & quasi columba de terrâ Assyriorum:* sed non tacebo, quòd *Venatorem* vocaverit Agathocles, qui feram per hujus mundi tesqua fugientem insecutus, fecit, quod Indi consuevere: qui ut feram vel ad se alliciant, vel faciliùs eidem se insinuent, consimili se pelle convestiunt: quando *in similitudinem hominum factus est, & habitu inventus ut homo.* Dabo illi cum *Calloto* ingenioso Pictore domitos in fræna leones: sed revocabo in memoriam illum *conculcatum leonem,* qui jam inde à primis mundi incunabulis pavendo *rugitu quærebat, quem devoraret.* Dabo illi cum Alciato fulmen, quod frangat; sed illud mihi animo depingam fulmẽ, quod æterno Patri in hominum excidium armato excussit. Dabo illi

illi cum Orpheo *claves* quibus ad reseranda hominum corda utitur, sed simul meum, vestraq; omniũ corda Divinæ gratiæ aperienda exhibebo. Dabo illi cum Pictoribus flammas; sed protestabor non esse Libitinæ ad mortem; sed Lucinæ ad vitam. Dabo cum vulgo sagittas; sed ego cum obsessa per hostilem exercitum puella, cui ad Amasium aditus non patebat, castissimum Verbum *Amo* inscribam. Non vacat persequi universa quæ Amoris suggeruntur argumenta: Vos tempus solum nascentis, & nati lachrymas considerate; ut in ijs amoris magnitudinem, in Amore gratiam Justitiamque intelligatis. Nox erat: nescio an suis magnis spectanda sideribus, an magis novo Sole superba. Nox tamen erat; an ut qui sub jugo Ægypti diu laboraveramus, tandem desideratâ quiete potiremur? An ut qui, *à facie Dei sub meridiem in paradiso deambulantis fugerat* homo, in tenebris ad eum accedere minùs verecundaretur? An ut qui *in tenebris & umbra mortis sedebamus, ortam stellam ex Iacob* salutis bajulam facilius videremus? Non assentior ijs, qui nihil è tenebris illustre unquam prodiisse existimarunt; sed ut assentiar ijs, qui natum in tenebris Amorem crediderunt, evincit Amor Deus; qui sese in clarissima hujus noctis luce in præsepium reclinavit. Non adstipulor ijs, qui noctem Lemurum spectrorumque matrem edixerunt; sed ut adstipuler ijs, qui Latonam eam diei parentem dixerunt, cogit natus gratiæ meridies in *vespera seculorum*. Non trahor ab ijs qui noctes cœlo exosas censuerunt; sed ut trahar ab ijs, qui gratissima Dijs sacrificia nocte peragi imperârunt, facit hostia illa, quæ hac nocte ad Sacrificium Vespertinum præparatur. Non sequor

eos, qui ut *jugulent homines, surgunt de nocte*; sed ut sequar eos, qui *per noctem quærunt, quem diligit anima*, invitant Bethleemitici Pastores, qui per noctem ad tugurium deducti *invenerunt Infantem positum in præsepio*. Non probo eos, qui mortem media nocte mundum ingressam fabulantur, sed ut probem eos, qui Amorem nocte regnum mortis penetrâsse, eique fatale telum eripuisse comminiscuntur, efficit peregrinus in terris Amor: qui hanc mundi regionem & umbram mortis nocturno tempore est ingressus *mortem nostram moriendo destructurus*. Sed transeamus usque in Bethleem, imò verò pertranseamus, quæ locus ille suggerit, amoris argumenta, Bethleem, si unquam aliàs, hodiè sanè *Domus panis*; sive cum *frumentum Electorum* in paleis exhibet olim triturandum, sive cum *Panem Angelorum* hominibus porrigit manducandum. Ephrata, si unquam aliàs, hodie sanè *Fructifera*, quando *benedictum fructum* saluti nostræ impendit. Prætereamus stabulum, in quo vel quærimur, qui *ut jumenta facti sumus*; vel colligimur ut *oves*, olim *ad dexteram* constituẽdæ. At lachrymas tamẽ vagientis infantuli, quæ in mare affectuum excreverunt, non possumus præterire. Jã enim, nisi inhumanâ prorsus laboremus obstinatione, *intrabunt aquæ usque ad animas nostras*. Videtis illas in plusquam Angelico vultu turgentes, & *filias doloris* dicitis, quibus depravati mundi scelera deplorantur; sed addite etiam suas esse Amori lachrymas, in quas se sponte distillat, ut transfluat in amatum. Dicitis eas *genarum pretiosas esse gemmas*, quibus *speciosus formâ præ filijs hominum adornatur*. Sed addite; si Cleopatræ una gemma cor Antonij emollivit, unam

nam sufficere Christi gemmam, ut rigidum irati Dei pectus emolliatur. Dicitis eas *lac pupillarum*, quod Amori utpote infanti in cibum exhibetur: sed addite unam hujus guttam plusquam Poppææ dolia ad nostram munditiem inservire. Dicitis eas cum Aristotele, *sudorem esse*, quem fatigato ab itineribus æternitatis Deo lassitudo extorquet; sed addite huic mercedem esse Patris benevolentiam. Dicitis eas *stillicidia affectuum*, quæ amoris coquente flammâ distillantur; sed addite, si gutta cavat lapidem, lapidea quoque hominum corda his stillicidiis excavanda. Dicitis eas *vapores viscerum Dei* sese in hominem eliquantis; sed addite hos ipsos vapores nubem moliri, qua Duce *in terram promissionis* dirigamur. Dicitis eas *diluvium Divinæ Misericordiæ*, quod scelerum nostrorum universitatem demergit; sed addite eo etiam cordium nostrorum arcas cœlo propinquiores elevari. Dicitis eas esse *nubeculas*, quibus gemini oculorum Soles ad amicum aspectũ refringuntur; sed addite, roscidas esse nubes, quibus amœnissima Iris imprimitur: Iris clementiæ sedes tribunal pietatis, cœli labium, risus olympi, tricolor cœli baltheus, pons ætheris alti, Dei brachia sese in terras protendentis. Sed addite, ad illam clementiæ sedem nostra judicari delicta; ad illud tribunal pietatis nostros absolvi reatus; illo cœli labio nobis imprimi pacis osculum; illo olympi risu nos iterum amicitiæ restitutos blandè arrideri; illo tricolore cœli baltheo triplici veluti funiculo nos Deo colligari illum pontem nobis super tumultuoso hoc mundi pelago sterni, ut securiore solidioreque via cœlum ingrediamur; illa Dei ad nos protensi brachia nobis dulcissimos in amplexus explicari. Quæ

universa si eò à me dicta esse existimatis **AA.** ut quem reclinatum in præsepio infantem reverenter adoramus, eundem nobis factũ esse Sapientiam & Justitiam non dubitemus, illud quoque desiderari à nobis sapienter hodie concludamus, ut non minùs impendiosi laboris sapientiæ studio didicemus, quàm non otiosi affectus ad ignescentis Amoris pręsepe adferamus. Quod si vobiscum statuatis, patiemini equidem tam inter vana Zenonis Cittici oracula numerari, quod ad eximiam in Rep. dignitatem esset evasurus, si juvenilem ętatem legendis studiosè libris impenderet: quàm inter Parmenidis & Zoroastris fabulas recenseri, universam hanc mundi machinam primum ex igne constitisse: sed tam illud inter Sacrosancta oracula reponetis, qui vestrum Incarnatæ Sapientiæ *librum elucidant, vitam æternam habituros*; quàm inter inviolabiles Veritatis Aphorismos illud accensebitis, eo igne, quem *venit Deus in mundum mittere*, universum mortalium genus esse restauratum. Patiemini tam Joannem *flere, quod non sit inventus, qui librum posset aperire*; quàm exultare Promethea fictiles suas è terrâ statuas igne de cœlo rapto esse animatas: sed tam exultabitis librum vestrum corde clausum ac sigillatum retineri, quàm *igne vos examinari, ut non inveniatur in vobis iniquitas*, gestietis. Patiemini tam sanctissimo numinis imperio sumptum ab *Ezechiele* volumen *in ore ejus mellis* dulcedinem induere, quàm Caristria in Cypri fornacibus animalia igne vivere & delectari: sed & vos sancta quadam invidiâ incitati ad librum illum provolabitis, in quo est *butyrum & mel,* ut *discatis reprobare malum & eligere bonum:* & *mitti ignem in ossibus vestris*

ſtris ad novam animi eruditionem cum Jeremia Propheta deſiderabitis. Patiemini demum tam proverbio circumferri, ſtudioſos Sapientiæ libros devorare, quàm Æthiopum rideri Stoliditatem; qui cùm primùm ignem cōſpexiſſent, in ejus amplexus convolarunt: ſed illud quoque efficietis, tàm ut avidâ fame ſumptus à vobis Incarnatæ Sapientiæ Liber in veſtram ipſorum ſubſtantiam convertatur; quàm vitam veſtram in ſanctiſſimis hujus ignis amplexibus terminetis.

Dicta Viennæ Auſtriæ ad Academicos.

ORATIO VII.

IN NATALI DOMINI.

Viator Deus.

FActus *Viator* Deus Cœli ſemitam ingreditur, *Auditores*: quæ, quoniam edicente Veritate aſpera, difficilis & ardua eſt, à puero teneros artus ad aſperitatem informat. Arduum enim iter delicatos odit Viatores. Qui olim prophetante Daniele futurus eſt *Vir dolorum*, noluit delicatam infantiam auſpicari. Qui arundinem tractaturus pro ſceptro eſt Vir; infans ſtramine, paleiſque manus exercet. Cui diadema daturæ ſunt ſpinæ, jã puellulum mitiores culmi coronant. Qui triturandus eſt olim, *frumentum Electorum*, jam *granum frumenti* cadit in terram. Quem trabale Virum portabit lignum, vile puerum jam portat pręſepe: nudandus in cruce, nudatur in paleis. Ut Rex *dolorum* ſui olim ſanguinis

purpurâ veſtiatur, jam exuitur, denudatur: ut clariore aptetur olim ad Crucis ſolium in meridie, jam ſubmiſſiorem præſepij ſellam implet in nocte. Quia *regnabit à ligno Dominus*, à præſepij vimine regni trahit auſpicium. Decurſurus per aſpera, non exerceatur per mollia. Sybaritarum gaudia non parant ad Crucem. Luctaturus in Circo, non cubet in roſâ, Campanię delicię non parant ad bellum. Non benè fert ſpinas, quiſquis nutritur in roſa. Aptandus ad prælia, ab ungue tenero meditetur arma. Vix degenerat à tenero maturus vir. Conſentit cum flore fructus, cum Aurora meridies. Ne cogites natum ad ardua; quem cunę molles exceperunt. Laconibus cunas dant clypei, quos Matres diſponunt ad arma. Ne cogites erectum ad magna virum, quem puerum vides ad voluptates abjectum: Non potabit ſine fœmineo ſenſu fel, qui antè virum melle victitavit. Ne cogites Annibalis alpes emenſurum, qui primęvum ętatis ver exegit in Pæſto, vel abſumpſit in Hymetto. Sardanapali nō tentant ardua, nec aſpera Adonides aggrediuntur. Qualis tyro, talis miles; ſtabit in acie vir, qui Lacedæmonias ſtetit ad aras puer. Par leoni irrumpet in viros, qui pueros puer non formidavit. Ex ungue leones diſcis, ex infantia virum. Flores imbellem probant Adonidem, invictum Herculem gemini ſerpentes in cunis eliſi. Principium eſt progreſſus augurium, Aſperam cœli viā ut decurrat vir Deus, puer viator Deus viam aſperam ingreditur. Eſtnè de vobis unus, quem Viator Deus ſui trahat in ſequelam? Eſtnè quem laudabilis ſequendi veſtigia incendat cupido? Eja mecum itineris calcate principium, ut egreſſui non ignaros animos præparetis.

Pa-

Patiemini non inviti, si hodiernæ materiæ sua accommodetur eloquentia. Quæ saxa rupesque loquitur, quid mirum si dura sit, & confragosa? quæ exulantem urbibus prosequitur *Viatorem*, quid mirum si fuerit ipsa inurbana? quæ per stramen, & paleas incedit, quid mirum si arida fuerit & infœcunda. Longam verò ne timueritis; cujus principium, finisque *uno* stat *Verbo*, eoque *abbreviato*: in quo cùm dixerit Deus omnia, nisi hoc dixero, dicam nihil. Subite ergò Viatores iter, quibus non tàm stimulo sit oratio, quàm Christi stipulæ incitamento. Animos vestros ita stimulari non dubito, quibus Deus pungitur. Nam si *Verbum Caro factum, habitavit in nobis*, necesse est eodem vos pungi stramine, quo Deus Verbum. Subite mecum Academici: atque ne erremus in viæ capite, inde exordiamur iter, undè Deus incipit esse *Viator*: A stabulo, à fœno, à paleis, undè enim aliàs progrediatur Deus, idem Agnus, & Pastor? A stabulo procedit Agnus. Auditis, quibus jam nunc animus est, per beatam illam æternitatem sequi Agnum quocunque ierit? In stabulo natus Agnus sui sequaces educet ex stabulo. A stabulo procedit Pastor. Auditis oves, quæ ad *dexteram* olim *statuendæ*, vel lupos timetis, vel amatis Pastorem? A fœno procedit Pastor. Auditis jumenta, quæ degenerante homine brutalem declinastis in formam? A fœno lautam mendicate jentationem, ne pòst *deficiatis in via*. A culmis progreditur *Frumentum electorum*. Auditis quos in sui desideria trahit *panis vivus qui de cœlo descendit?* A saxi fornice velut è cella promanat vinum Charitatis. Auditis, quos sobria delectat ebrietas, qui desideratis *in cellam vinariam induci, ut in vobis*

charitas ordinetur? In itineris principio epulemini, *panem de cœlo descendentem, vinumque charitatis*, ut *in fortitudine cibi illius* per viam asperam, & confragosam, & mille undique periculis obsitam *ad montem Dei* perveniatis. Neque enim carere discrimine vias existimaverim, quas Dei filius mediâ nocte cogebatur adire. Non erat tutum ambulare in meridie, cum *Dœmonium esset meridianum*, & latè vias omnes teneret infernalis obsessor. Videtis quos nimia lucis flagellat ambitio? In meridie vestro cavere Dœmonium. Tenebrarum Princeps eam plerumque lucem invadit. Hoc uno nomine secessisse in antrum crediderim Viatorem Deum; ut sese tegeret à Dæmonio meridiano: hoc ut eluderet, pauperibus fascijs, levibusque pannis involvi: hoc uno frigere Amorem, ne suis sese flammis proderet: hoc uno in parva membra contrahi immensitatem, ut assumpta non nosceretur in parvitate: hoc uno totum majestatis pondus reclinare in stipulam, ut ferentis levitate incubantis dissimularet dignitatem: hoc uno ancillæ sinu gestari, ut dissimularetur *Dominus Vniversorum*, hoc infantilibus artubus convestiri, ne plusquam virilis *Sapientia Patris* agnosceretur: hoc trepidare frigore, ne vestrarum calor mentium, vel mundi firmamentũ intelligeretur. Quid verò, quod *subito facta est multitudo militiæ cœlestis*? advenisse credo comitaturas conductivas copias, quæ per obsessum latronibus iter, Viatori præstent securitatem. Adverte periculum, cui avertendo *multitudo militiæ cœlestis* erat necessaria. Unus nocte unâ quot millibus occidendis suffecit Angelus! necesse est discrimen esse grave, cui avertendo militiæ cœlestis multitudo impẽ-

di-

ditur. Stolatus ille fortaſſis prædo, purpuratus latro, coronatus furcifer Herodes timetur, cujus furoribus *Viator Deus* quæritur ad internecionem. Non domus ulla tuta eſt, non receſſus, non angulus, non matrum viſcera, non innocentum. Sed erras Stolate Prædo, Deicida Herodes. Non benè per innocentum viſcera quæris, qui pro nobis factus eſt peccatū. Non invenies *Pacem noſtram* furorę gladij: non invenies Agnum lupe rapax, qui jam tutas in ſtabuli latebras ſe reduxit. Sed ipsâ etiam à nuditate itineris legite difficultatem. Tenera membra nudatur viator. An quia anguſta eſt cœli ſemitá, & amplâ circumflui amictûs dilatatos ſuperbiâ non admittit? an quia itineris difficultas ſarcinas omnes prohibet? an quiâ Amoris calor, quem pectore geſtat, aliquod exigit refrigerium? an quia ſine impedimento curſum expeditè, velociterque geſtit conſummare? Et evaſiſſet profectò cœli Curſor, niſi collapſus jaceret ad ſaxum. Hic *Verbum Dei cecidit ſecus viam. Lapidemne offenſionis* ſuſpicer rupem illam Bethleemiticam? an verò viarum lubricá feſelliſſe gradum interpreter? Habet certè ſuos via cœli lapides, qui cùm offendunt, accendunt. Octavam adhinc diem teſtor, quo novus Viator in circumciſionis lapidem eſt offenſurus; deindè quia lapis in cultrum acutus eſt, acuetur & ipſe ad curſum. Habet ſuum hæc via lubricum, in quo etiam conſtantiſſimus Deus cadit: quam cùm ingrederis, illud Pauli tibimet inclamat: *Qui ſtat, videat ne cadat.* Oculis hic opus eſt, Viatorem Deum ut ſequaris; ſed in pedibus. Elatus oculus vix Deum jacentem in terra videbit. Undè omniū elatos nimium fuiſſe ſuſpicor oculos; quia parvū Deum propè nemo vidit,

dit, nisi illi, quibus in stella nova novum oculum cœlum dedit. Cupidus tamen ipse ab hominibus inveniri, publicam in viam sese abjicit, ut pede saltem in eum impingas, quem superbo oculo prætereires. At qui supra se gradiuntur, dum magni sunt; quid mirum si in parvum Jesum neque pede offendant Restat tamen abjectus: ut si viæ asperitas terret, ipse tibi fiat *Via*; quem dum calcas, in *Via* salutis vestigium figas. Verum patula licet, planaque sit *salutis Via* in *Viatore Iesu*, *quàm pauci ambulant per eam!* Nempè urbium vitia qui ferunt, nesciunt *salutis Viam*. Extra frequentiam exeat, qui velit eam ambulare. Foris non invidia sui est. Ut pateret omnibus, in publico se locavit. Nec alio tecto voluit, quàm cœlo tegi. Viam illam stella ostendit, sed pauci ambulant per eam. Multi videri volunt quærere: at paucissimi student invenire. Agnoscunt omnes & mirantur, nec tamen amant. Felix Virtus, si quot habet sui admiratores, totidem censeret Amatores! *Arcta* quidem est *Via*, quam frigus constringit; amplissimam tamen adgenita Immensitas reddit: & quàm *pauci ambulant per eam!* Florea est, ex quo *Flos campi* in ea jacet reclinatus: & quàm *pauci ambulant per eã!* Hoc miror, quòd cùm flores alat, non placeat delicatis. Aurea est, ex quo in eã sparsus est *Thesaurus Sapientiæ & scientiæ Dei*: hoc miror, quod avaris animis possit displicere. Gemmea est, ex quo de geminis oculorum conchis lachrymulæ gemmant: hoc miror, quod Indiarum sitibundis institoribus ea possit non arridere. Procumbe ergo Via, Viatorque Jesu, Cœli, terrarumque Amor: potes ah! quia *non est locus in diversorio*: non est hic, *ubi reclines caput, & fessus es ab itineri-*

itineribus æternitatis. Procumbit graviſſima mole oppreſſus, qui *peccata noſtra ſuſcepit* portanda. Quàm ſit onus grave *peccatum*, intellige; ſub quo Deus ipſe fatiſcit. Procumbit animi, ut opinor, deliquio, quia infirmitates noſtras ipſe pertulit. Miſerentur tamen jacentis belluæ, & vel anhelitus afflatu temperare deliquium allaborant: miſerentur & venti, qui refrigerium collabenti miniſtrant. Miſerentur jumenta, quę fortè ſeſe offerunt laſſato Viatori provehendo. Sed fruſtra boves. Ibi deprimitur, jacetque Deus, ubi tumidioris frontis cornua eriguntur. Fruſtra Aſelli veſtrâ jam infames à tarditate, *neſcit tarda molimina* Viator Amor. Miſeretur & ſtabulum, quod heu! inamœnis nimiũ fatiſcentem animum reficit odoramentis. Tu ſola crudelis es Bethleem, quæ locum ei negas in diverſorio. Ah urbis inurbanitas! ámpla tibi in advenarum Judęorum hoſpitium aſſurgunt palatia; Civi tuo *non eſt locus in diverſorio*. In exterorum quietem tibi Smyndiridis plumâ turgeſcunt olorina ſtrata; Viator Deus *non habet locũ in diverſorio*. Ergo Viator JESU in viâ durâ quieſce tantiſper, ut diſcat orbis etiam quietem tuam non vacare dolore. Quid agimus AA? Ergonè & nos crudeli Bethleemitarum à ſanguine derivamur, ut nullum Viatori Deo præſtemus ſolatiũ? Unicæ ejus in tanta viarum aſperitate *deliciæ ſunt, eſſe cum filiis hominum*. Ah dura nimis, Marpeſiaque caute aſperiora pectora! ſi Deũ avitâ ſede eliminamus. *Deliciæ ejus eſſe cum filiis hominum*. Ah ingrati nimis animi? ſi advenas, & peregrinos latrones non exturbamus, ut Civi *nobiscum Deo* locum faciamus. *Deliciæ ejus eſſe cum filiis hominum*. Quid inquilinæ faciunt apud te Sirenes?

nes? quid enervis Voluptas? Quod geniales Gratiæ hoſpitantur? *Deliciæ ejus eſſe cum filiis hominum.* Quid belluas, feras, & immania monſtra depravatâ mente conſovisti? *Deliciæ ejus eſſe cum filiis hominum.* Quid ululas; tigrideſque & omne vitiorum genus capaci pectore excepiſti? Ah! ſi te aliqua in Viatorem puellum, in extorrem Deum tangit miſeratio; inquilinas Sirenes ejice; habitatrices voluptates expelle; feras, & ululas, ſtriges & portenta toto procul animo exturba, ut vel angulus pauperrimo Deo aperiatur. Si porrò etiam pergendum ſit, *deliciæ ejus eſſe cum filiis hominũ.* Properate Academici, & pio ad eum acceſſu feſtinate. Jacet; ut inſequentes expectet, & (quantumvis lentè) tandem aſſequamur. Vagit: ut cum *Verbum* factum infans fari non poſſit, vagitu ſaltem revocet à via ſalutis aberrantes. Lachrymatur; ut itineris aſperitatem emolliat. Pedes alligantur faſciis ne velocitate curſus abreptus nos deſerat ſegnius inſequentes. Poſt octavum deindè ab hinc diem ſanguinem ſparget; ut ſi quos retro remanſiſſe contigerit, notatam ſanguine viam reperiant. Properate Academici. Nunquam hæc via cito nimis, ſæpè nimis tardè initur.

Dicta Viennæ Auſtriæ ad Academicos.

ORATIO VIII.

IN NATALI DOMINI.

Semina Paſſionis in Chriſti Nativitate.

T*Ranſeamus uſque Bethleem, & videamus hoc Verbum, quod factum eſt,* Academici; Equidem

dem *cum medium ſilentium tenerent omnia, factũ eſt Verbum Domini*, ut interſtrepente nullo facilius ipſum mortalibus auribus exciperetur: quod audiri tunc demum poteſt, cùm humani tumultus conticuerint. Extra urbem *ſecus viam cecidit Verbum caro factum:* ut vel extra hominum frequentiam exeat, ſi quem ejus tenuerit audiendi cupido: vel ipſa palam ſalutis Via incedentibus occurrat, & in avia deflectentes revocet; vel ut commune Verbum palam proſtare in univerſorum ſalutem intelligamus. Sed ſi cui fortè mortales curæ, & intempeſtivi mundi tumultus liberam audiendi poteſtatem ademerunt; non eſt admodum hic auribus opus, ubi oculis Verbum novo portento ſeſe exhibet intuendum. Fortaſſis & ipſum videri mavult, quam audiri. Ne auditu perciperetur; factum eſt *Verbum infans:* ut oculis ſpectaretur; humanæ carnis indutus eſt mole, & vel ipſo noctis in meridie non memorabili prodigio pleniſſimam lucem accendit. Oculos ergo date Spectatores Academici, illuſtre cœlum imitati; quod, ut vivum hoc *Verbi* miraculum ſpectaret acutius novâ ſeſe ſtella oculavit. Oculos date: Amoris *Verbum* eſt: certiùs per geminos luminum orbes illabitur, quàm per inflexas aurium cavitates: ſegniùs irritant animos demiſſa per aures Amoris verba, quam quæ oculis ſunt ſpectata fidelibus. Oculos hodie date, olim etiam aures impenſuri, cũ ſuâ infantiâ ad maturitatem viri evolutum *Verbũ, voce magna exclamabit,* & *cum clamore valido ſpiritum reddet.* Oculos date, ut in Verbi naſcentis hiſtoria, hiſtoriæ quondam morituri præludium videatis; veluti in ſemine ſpicam, in flore fructum, in fonte fluvium, in ingreſ-

ſu

ſu finem, veſperam in aurorâ. Quod ego dum vobis hodierno die propono, illud eſſe *Verbum* concipite, in quo uno facundiſſimus Orator Deus dixit Univerſa. Ut mea proinde unico etiam Verbo abſolvenda ſit Oratio: non indiga ulterius Exordij, ubi in Principio erat Verbum: non Confirmationis, ubi Verbo Domini etiam cœli firmati ſunt; non Epilogi, ubi Verbum eſt Alpha & Omega, Principium, & Finis: non Figuræ, aut Tropi, ubi unica Metaphora Verbi reliquarum defectus ſupplet. Quid quod meæ plurimum, & veſtræ quoque conſulatur memoriæ? nemo enim tam hebes eſt, qui Verbum, idq; abbreviatum non poſſit memoriâ continere. Atque ut in naſcentis Domini periodo nihil omnino conſpiciatis, quod non inaudito illi prodigio occaſui Numinis præludat; jam ego magnę illi Cœnæ, quâ ſemetipſum traditurus eſt in eſcam, non abſimile prandium, aut dicam melius, jentationem præmitti animadverto. Diſcrimen cœnæ à jentatione non facit cibus, ſed tempus: idem, qui ad vitæ veſperum dabitur Agnus in cœnam, nunc in Nativitatis aurora jentatur. Sed hodie fortaſſe ſe dici Agnum patitur: tunc Aries nominandus; ubi vel ingentia à fatali cruce increverint cornua, vel ſentibus hærebit implicatus. Utinam verò, qui nunc infans, liberam fandi haberet poteſtatem! qui quondam ubi ad liberam loquelam maturuerit, dicturus eſt, *Hoc eſt Corpus meum*, idipſum, quod in fœno recline jacet, ſuum eſſe corpus non pernegaret; niſi quod olim fortaſſis ſolis paſtoribus epulandus apponetur, hodie etiam lupis, ac jumentis, vel quia teneris potiſſimum Agnis inſidiantur lupi, vel quia ut hominibus ſe daret, jumentis dare debuit, poſtquam homo
com-

comparatus est jumentis, & similis factus est illis. Sed & sanguinem olim per largissima fluenta facturus irriguum, hodie per tenues rivos florem sanguinis lachrymas à gemina oculorum crystallo dimanat: illum quondam daturus in potum, istas hodie in antecœnale lavacrum propinat. Denique frumentum electorum in culmis, & aristis jacet hodie, ex quo olim panis vitæ, panis Angelorũ post multam triturationem in mortalium salutem conficiatur. Sed desideratis etiam sapientissimis Divini Verbi super cœna quondam institutionibus, quandam in apposito jentaculo spectare adumbrationẽ? Quamvis infans Verbum, sapientiam loquitur ad has dapes, ut nõ tam epulas, quàm Gymnasium instituisse videatur. Hic sedem Sapientiæ occupat, dum in sinu Matris collocatur. Facultatem non unam docet omnium Magister disciplinarum, Theologiam universam compendio tradit, dum in infantilia membra divinam contrahit immensitatem. De Deo ut tractet, se ipsum exhibet. Beatam ut aperiat visionem, pastoribus se primum demonstrat: vel ut discas cum Pastoribus potissimum delicias suas esse Agno: vel Pastores olim præcipuè secuturos Agnum quocumque jerit. Ut Angelos, eorumque exponat ministeria, subitò facta est multitudo, militiæ cœlestis collaudantium. Ut Medici nos erudiat institutis, ipsa salus nostra facta est infirma, & ęstuantem amoris febrim in seipso flagellante circùm Decembris gelu attemperat. Si non profecerit, septima abhinc die venam incidet, in suo sanguine infirmitatis nostræ daturus indicia. Nescio vero an non caloris impetus Patris Sapientiæ dolorem capitis excitarit, qui in impotente ęstu debuit panneis quasi

ſi vinculis alligari. Inſtitutionibus Juris ut nos imbueret, factus ipſe eſt juſtitia noſtra:factus ſub lege legum Conditor, & Dominus univerſorum formã ſervi accepit, & ſub agreſti caſa politicam inſtituit. Regum ſchola factum eſt præſepe: gubernandi artes accepturi Reges advolant ab Oriente; ſubmittunt ſua lachrymulis diademata, ut melioribus illa gemmis illuſtrent: ſceptra ſua, Dictatricesque Juris virgas inclinant in paleam, in qua mortalium ipſa procumbebat Juſtitia. Artes ut doceret, ab Alpha incepit, quod ineruditæ Juventuti tot Indicibus oſtendit, quot ſtipulis pungitur; quod quisquis didicerit, ipſum non poterit Omega ignorare. In Rhetoricam flores ſparſurus, ipſe ſe repræſentat *Flos campi*; in Eloquentiam flumina immiſſurus, geminos oculorum orbes in flumina recludit. Dialecticam quondam traditurus in ſpinis, hodiè à ſtipulis auſpicatur. Orbem univerſum ea Magiſtri dignitas in Auditorem merita, tres tantum habuit Auditores, ut quisquis in Academico pulpito eruditior ſedes, non ſolo Auditorum numero glorieris, ſed & in ternario Auditorum numero bos unus eſt, alter Aſinus, ut animo non cadas Doctor, ſi plures tuâ Diſciplinâ eruditi ſint eruditionis incapaces. Unica conſervabat omnia conferens in corde ſuo Maria; ut ſi vel unum habeas ex diſcipulis accuratum; tuam benè impendi aſſiduitatem non dubites. Jam verò dum præſago vos animo trans torrentem Cedron effuſum in amœno ad lętitiam ſuburbano, mœrores inter pavoresque luctantem, ſudantemque irriguo ſanguine Redemptorem conſpicamini, ego in ſuburbana Bethleem egreſſus futuri quondam Amoris anteludium in rigidâ puelli cerno frigillatione. Cõ-
cutitur

cutitur hic primum,ut ibi toto pondere collabatur. Rorem hic ſtillat candidum,rubicundam olim tota corporis à nube pluviam diſperſurus. Candidus ipſe ſponſus eſt:ut olim ſit rubicundus,ſanguinem daturus. Ut totus aliquando inter olivas homo cruorem ſudet,totus in ſtipulis Deus ſudat lachrymas. Deus totus oculus eſt: dum ocellos pupuli perfuſos lachrymis intueris, totum Deum lachrymis ſudare crede. Sed mirum eſt ſudare,dum riget,facile mihi mortis ſudorem perſuaſerim in vitæ principio:facilè quos morbos Vita noſtra ſuſceperit, animadverto; quibus à tam frigido ſudore antidota fuere mendicanda, facilè ex algente quondam ægritudine noſtræ præparanda ſanguinis balnea ſubodoror, quibus è lachrymis hodie tepidaria præparantur. Neque dolores flentis doloribus olim ſanguinem ſudantis Dei minores exiſtimate. Cruciatus magnitudinem aut ex ſanguine arguite, aut ex ſolatiorum apparatu. Unus olim in Dei mœrentis ſolamen ſufficiet Angelus;hodie ad jacentem in præſepio Deũ *facta eſt multitudo militiæ cœleſtis*, ut quanto per majora ſanguinis indicia, dum minora ſuppetunt ſolaminis pharmaca, ſeſe prodet in Oliveto doloris acerbitas;tantò eadem hodie per majorem neceſſariorum ſolaminum apparatum oſtendatur,dum per minora ſe lachrymarum ſigna manifeſtat. Quid verò illud eſſe exiſtimatis, quod nudus in ſtramine procumbat puer?hoc eſt ut tricenis vendatur argenteis,hodie venalis proſtat in Amoris officina. Quid illud,quod fœtentem halitum geminæ beſtiæ innocentiſſimi puelli vultibus inſpirant? niſi quod putreſcentem quondam, & pluſquam beſtialem animam inhaliturus eſt Judas, dum ſacrilego oſculo filium

lium hominis tradet, pulcherrimæ amicitiæ symbolo ad parricidiale sacrilegium abusurus. Sequentur & vincula, proximus enim est gradus ab osculis ad amplexus: sed quia crudelitatis est basium, non alios trahet amplexus, quam funium & catenarum: quos ego jam vilibus panniculis, pauperibusque fascijs video adumbrari. Nam vinculatur liberrimus Deus, ut evagatam nimis libertatis nostræ licentiam compescat. Ligantur beneficæ manus illæ, sed non impediuntur beneficia; dum illis nos vinculis asserimur in libertatem. Vinciuntur Evangelici pedes, ut sequentium consulatur tarditati, & segnitiē nostram sua Dux non nimium prævertat velocitate. Pectus quoque amoris sedes involvitur fasciis, ut amorem omnem vel coërcendum vinculo scias, vel infantilibus fasciis recentem semper involvendum esse intelligas. Totus in vincula arctatur Deus, ut fasciculus myrrhæ colligatur. Totus vincitur Deus, ut servilem, quam acceperat ex ancilla, conditionem fateatur. At vinctus ad tribunalia protrahetur, ut sistatur reus Deus; & hoc credo jam Herodes imperavit; dum puer per atrocissimos lictores tota Judæa inquiritur. Verùm si per innocentum tantummodo viscera severissimo examine investigetur; non mirabor olim, si nullā in eo pro tribunali stante Pilatus causam inveniat, quod si in tumultuaria accusatione respondebit nihil, iterum infantiam induisse cogitabo. Si sub flagellorum ictibus crepabit frumentum electorum, triturari existimabo, quod hodiè jacere in culmis videmus. Si Verbum Dei ceciderit inter spinas, rosam dicemus, aut lilium inter spinas, quod primas hodie foliorum nives explicârit. Si educetur extra urbem, non habiturus ubi reclinet

clinet caput suum, hodie ei non esse locum in diversorio audiemus. Si deducetur in montem, hodie ad vallem constitisse intelligemus. Denique si funestam Tragœdia morientis sortietur catastrophen, in ipsa Protasi jacta doloris semina inveniemus. Quid enim moriturum in ligno non argues, qui vitam auspicatur præsepis in ligno? Solem obscurandum non concipies Deo moriente in meridie, qui media nocte nascente eodem clarissimam simul exortam lucem inaudivisti? Duro postremū in strato indormiturum non suspicaris, cui stramen, & fœnum, stipula & præsepe primos apparantur in somnos? Tumulandum in saxo non præsagies? quem saxea mortalium corda in saxum pendentibus undique tophis horridum exclusêre. Ut vel hinc nascentis humanæ Salutis Auroram cum morientis occasu affinitatis habere plurimum, asseverare debeamus. Quam in sententiam, si vestra quoque se flectant arbitraria flectantur & mores. Non bene obstupescis in Puero Deo magno; quæ moribus non depingas. Illa te probas majoris æstimare, quæ tibi reddidisse propria majore studes imitatione. Illud ergo molire unum, ut vesperum cogites in aurora, qualemque disponas occasum, prope ab ortu mediteris. Hoc unum si nascentis cum moriente Verbo persuaserit similitudo, felicissimè cum nato hodie Verbo universa mea Oratio concludetur.

Dicta Viennæ Austriæ nomine Facultatis Theologicæ in Basilica S. Stephani.

ORATIO IX.

IN NATALI DOMINI.

Apparuit φιλανθρωπία.

TRanseamus, Academici, *usque Bethleem, & videamus Verbum, quod factum est.* At enimvero in ipso dictionis aditu, una omnes subit admiratio, quod inconsultus Orator, ad spectandum Verbum, non ad audiendum pastoritiâ vos adhortatione evocaverim. Verba ad aures allabuntur, oculos non irritant: è lingua cadunt, non incidunt in aspectus. Verba concipiuntur in gutture, parturiuntur in ore, nascuntur in labiis, vivunt in aëre, spirant in aurâ, in auribus expirant, & suo veluti sepulchro tumulantur. Si ad concipiendũ considerationem; ad proferendum eloquentiam; ad excipiendum attentionem vestram evocassem; benignior equidẽ in animos oratio descendisset. Sed si memineritis à perspicacissimo Divinorũ Contemplatore Joanne *Vocem Aquilæ* aliquando *visam, Verbum* quoque à vobis videri posse non diffidetis. Si vox sui aliquando Spectatores oculos habere potuit, quæ dum adlabitur, elabitur; dum affluit, diffluit; dum affulget, extinguitur; dum spirat, exspirat; dum exhibetur, consumitur; dum nascitur, denascitur, dum oritur, moritur; dum in lucẽ editur, educitur in sepulchrũ: nolite dubitare Vestris quoque obtutibus amabile à Verbo spectaculum instruendum; quod dũ affulget, tenebras fugat; dum allabitur, collapsos erigit; dum affluit, immundos abluit; dum spirat, *inspirat* denuo *spiraculum vitæ*; dum nascitur, sepultos exsitat: dum oritur, *Mors* ipsa *moritur*; dum in lucem

editur,

editur, publico veluti typo omnium legendum oculis exhibetur Virgineę carnis membranę inaratum. *Videamus* ergo *hoc Verbum*, in quod æterni Patris oculi ſemper hærent defixi; in quod unum gaudent totas acies pupillasque inſumere cœleſtis curiæ Inquilini. *Videamus hoc Verbum*, quod unum dignum eſt, in quod humani obtutus nunquam avocandi defigantur. *Videamus hoc Verbum*, ſed immenſum, abbreviatum; omnipotens, infirmatum, nulli peccato obnoxium, *in forma peccati*, æternum in tempore, immortale in carne mortali, *inviſibile in ſimilitudinem hominum factum*: incomprehenſibile præſepij anguſtiis comprehenſum. Videamus depauperatas divitias; deſpectam gloriam, ſplendorem velatum, contemptum pulchritudinem; Dominum in ſervitutem redactum; Poſſeſſorem omnium ejectum hoſpitio. Videamus *Sapientiam* infantem, *firmamentum* proſtratum, *Solatium* afflictum, *ſpem* jacentem, *gaudium* illachrymans, *lætitiam* flentem, *majeſtatem* attritam, faſciis vinculatam *libertatem*. Videamus venuſtatem in ſtabulo, amorem in frigore, fortitudinem in tremore, delicias in fimo, altiſſimum in tuguriolo, Regem in caulâ, Deum æternũ *unius diei infantem*. Verum eſt quod ingenioſo lemmate expreſſit ille, qui Soli intercurrentis Lunæ Eclipſi luctanti in Symbolũ erecto inſcripſit: *Cùm deficit habet ſpectatorem*. Sed non minus verum præſumo fore, ut cùm Divinus Sol à Sapientia in infantiã; à majeſtate in vilitatem; è Cœlo in terram; à ſolio in præſepe; à gloria in abjectionem; à ſinu Patris in ſinum egentiſſimę Matris; ab opulentia in egeſtatem; ab increata luce in mortales tenebras; à dexterâ Dei in medium animalium inaudito prodi-

gio *deficit, habeat*, quoque Academicos oculos sui vigilantissimos *Spectatores*. Sed quod illud demum est Verbum, cujus vos tantopere desidero Spectatores? Si dicam esse *Verbum gratiæ*; addicet Paulus: *Apparuisse gratiam Dei Salvatoris nostri omnibus hominibus*. Si dicam Verbum humanissimæ benignitatis: adstipulabitur Gentium Doctor: *Apparuisse benignitatem, humanitatemque Salvatoris nostri.* Si dicam esse verbum divini in nos Amoris, dicam cum Græca voce Divinam tandem in humanos artus advenisse φιλανθρωπίαν. O spectaculū dignissimum sanè, in quo uno defigantur aspectus, insumantur acies, consumantur pupillæ, toti oculi absumantur! Apparuit φιλανθρωπία. Sed enim verò, ubi reliqua Divinarum series perfectionum! Solinè cessit Amori Scena, reliqua post Sipariū clausa latuerunt attributa? Non apparuit *Omnipotentia*, quæ paribus viribus Deum de Cœlo detraxit, hominem in Deum assumpsit; quæ majestatem depressit, elevavit humilitatem? Non apparuit *Sapientia*, quæ puritatem Divinam humano luto conjunxit, omnipotentiam debilitavit; æternitatem infantiæ maritavit, immensitatem parvitati copulavit? Non apparuit *Bonitas*, quæ infinitâ illâ sui in tres Personas communicatione diffusa, totam quoque Divinitatem infinitâ in hominem profundit liberalitate? Nō apparuit *Iustitia*, quæ ut ad æquitatem ponderis bilancem revocaret, contra scelerum nostrorum gravitatem semetipsam appendit? Nō apparuit *Immensitas*, quæ nullum reliquit mundi angulum, quem suâ luce non irradiaret? beneficientiâ non repleret, gratiâ non fœcundaret? Non apparuit *Majestas*,

quæ

quæ mundi Reges terruit, & Angelorum obsequia cœlis evocavit? Apparuit omninò, apparuit Potentia & Bonitas, Sapientia & Justitia, Immensitas & Majestas. Apparuit *potentia*, sed *infirma*; *Sapientia* sed *infans : bonitas*, sed *compendiata*; *Justitia*, sed *inermis : immensitas*, sed *contracta: Majestas*, sed *dejecta*. Apparuit Potentia in stipula; Sapientia in puero; Bonitas in egestate; Justitia in medio animalium; Immensitas in præsepi; Majestas in fœno. Apparuit Potētia sine Regno, Sapiētia sine populo, Bonitas sine divitiis, Justitia sine viribus, Immēsitas sine diversorio, Majestas sine imperio. Apparuit Potentia fascijs illigata, Sapientia velata carne, Bonitas recondita, Justitia tecta, Immēsitas occulta, Majestas incognita; *Deus absconditus*. Unus amor, Unus (quia Sol est) abscondi non potuit: quia inquietus est, tegi non valuit: quia flamma est, non sustinuit occultari. Apparuit effusissima in homines φιλανθρωπία. Cujus imaginem si oculis nondum visam animo altius desideratis imprimere; nō equidem velim ut ex Poëtarum umbris, nescio quem in lucem eruatis Amorem; quem ridentem vultu, serenum fronte, radiantem oculis, rubentem genis, amœnum ore; jucundum gestu, velocem motu, puellum ætate animis ipsi vestris depingatis. Non velim antiqua illa Amoris simulachra in memoriā revocari, staturâ pusilla, oculis cœca, corpore ad nuditatem devestita: quæ si non fuerunt tantùm ingeniosa Poëtarum mendacia, certè fuerunt mortuæ amoris vivi picturæ. Est enim & amor noster (non negabo) est staturâ pusillus, oculis cœcus, corpore nudus. Pusillus; ne tibi levibus assueto graviorem sarcinam imponi conquereris. Cœcus, cui geminæ oculorum

luces jam prope lachrymis extinguuntur,ut tua videri crimina dissimulet. Nudus, *qui omnia sua dedit*, ut dilaceratam attritamque innocentiæ vestem resarcires: Pusillus, ut tui cordis non excedat magnitudinem,quo totus ambit circumscribi. Cœcus,cui natant submersi in lachrymis oculi;è quibus ariditati tuæ copiosa flumina derivantur. Nudus, qui *exinanivit semetipsum*, ut tibi gloriæ vestem suppeditaret. Pusillus,ne vasta tui,tuarumq; rerum spatia occupaturum credas, contentus punctum unum,sive cordis,sive animę tuę obtinuisse. Cœcus cui nubes tuis temperandis æstibus præparatæ oculis insederunt. Nudus, ne queri posses eum aliqua sui parte te latere voluisse,si eum imitatione exprimere desiderares. Pusillus, ut quam vultu præfert semper, animo aliquando tuo afflaret juventutem. Cœcus,cujus oculi in limpidissimos fontes commigrarunt, abundantes aquas eluendis sordibus evoluturos. Nudus demum, ut sincerissimus amicus, candidissimum pectus aperiret Amico. Sed clariora sunt hæc & in animis vestris ipsa Amoris face magis illustrata,quàm mea possint Oratione. Illam ergo ex Ægypto in mentis oculos Amoris statuã revocate,ab artifice nobilem,à materia marmoream, à mole operosam, ab opere magnificam,ab ornatu sumptuosam, à pretio auro parem,& non tam suo marmore gravem,quam ingestâ auri gemmarumq; tempestate ponderosam. Locus illi erat fori umbilicus, basis Erythræum marmor cui alterius duntaxat pedis extremâ plantâ insistebat,altero in aërem sublato, alterum ad volandum provocante: vultus ardenti similis,oculi flammei,os hians,lingua sitiẽs, passæ in auras alæ manus tremulã semper, & solli-

citã

citâ inquietudine Austrũ suum inquirentem magneticam acum ostentabat: cui ingeniosus Poëta. Lemma adscripserat: *Donec potiatur Amato*. Universi operis præcipuum illud erat argumentum, marmoreo in schemate ostendere, Amorem nunquam jacere, aut stare; nunquam sopiri, aut quiescere; nunquam extingui, aut satiari, *donec potiatur amato*. Quod cùm mente cõcipitis, simul animo cogitate, quantùm jam inde ab ipsa orientis mundi insania φιλανθρωπία caluit & arsit, hiavit & sitiit; cucurrit & volavit; sollicitaque semper versata est inquietudine, *donec potiretur Amato*: Videte enim illum in Damasceno campo post fundatam terram, libratos cœlos, diffusum aëra, non jam solenni illo dissyllabo: *Fiat*, ad quod cætera rerum universitas exstitit; sed totius Trinitatis impendio, auxiliaribus veluti petitis operis in unius structuram hominis laborantem. Dixit, *Fiat*: & momento coierunt in orbem Cœli, radiârunt in lucem geminæ Solis Lunæque faces, effulserunt in gemmas Stellæ; undavit aër, librata est terra, intumuit mare, fluctuârunt lacus; fleverunt fontes, iverunt fluvij, volârunt aves, vixerunt animalia, steterunt arbores, viruerunt rami, floruerunt campi, natura omnis venustissimam in scenam digesta exiliit in theatrum. Unus ut homo, viva cæterarum rerum epitome, universi compendium, perfectiorum naturarum epilogus suo ex nihilo *in animam viventem* excitetur, etiam personæ cæteræ in laboris partem evocantur. Non equidem quod vel laboris elegantia tuam excederet Sapientiam φιλανθρωπία, vel dura & intractabilis materiæ natura tuæ resisteret facultati: sed

 quòd,

quòd, quemadmodū nos in ea demum opera vires omnes, & solertiam, ingenium & industriam, laborem & facultates advocamus, quarum sua tandem perfectione completarum ardenti tenemur desiderio, ita tu divinissima φιλανθρωπία hominis inflāmata desiderio, quidquid divinitatis est, in eum elaborandum impendisti. Videbas (Tertulliano credo) videbas, in illa Virgine terra typum Immaculatæ tuæ Genetricis Mariæ: videbas in Adami formatione tui ipsius Incarnationem; in Adamo jam expresso tuæ humanitatis simulachrum intuebaris: & subeunte violentiùs affectu morarū jam impatiens accelerando operi, deducendæque ad suam veritatem figuræ, omnes Divinitatis personas advocabas. Quod quidem æstuantis Verbi desiderium, nolite tunc primùm divinâ mente conceptum existimare: sed primùm tunc nascenti mundo ita manifestatum credite, ut nullam componi ad quietem valeret, *donec potiretur amato*. Ardebat enim adeò in patria adhuc sua felicitate, flammante illa hominis cupiditate, ut perpetua suorum Seraphinorum ventilatione ad refrigerium indigere videretur. Si meministis aliquando Augustam Dei majestatem immortali in solio consedisse, circumfusam adstitisse cœlestis militiæ panegyrim; utrimque latera stipasse Seraphinos, continuoque volatu ita alas exercuisse, ut tamen nunquam sua statione avolarent; meministis pariter illud alarum exercitium non fuisse motum aliquem suâ Cælestes illos Spiritus è statione in locum alium proferentem, sed repetitam, perpetuamque pennarum concussionem, qua ardentissimæ φιλανθρωπία refrigerium adferebant, dum in-
testinis

nis flagraret incendijs, nunquam extinguendis,
ec potiretur amato.

Amor ! ô Iesu ! nimium te vota fatigant,
ec datur ulla quies, donec potiaris amato.

nenta effluunt, tu annos reputas; horæ præte-
t, tu lustra numeras; elabuntur dies, tu sæcula
nses; evolvuntur hebdomadæ, tu seculorum
iades arbitraris.

empè adeo longa sunt semper amantibus horæ.

t cognata *amoris* nomini est *mora*, sic exosa
ntis animo. Torrentem Amorem dixeris; qui
ssita indignatus repagula aggesto aquarũ pon-
vires auget, & perrumpit. Ventum nominave-
ui terrâ conclusus, immurmurat primum, per
em deindè sese volvit revolvitque cavernam, ac
m contineri impatiens, incubantes sibi mon-
aculatur. Nubem compellaveris; quæ ubi va-
cumulatione intumuerit, jam suo ipsa ponde-
par non distillat in guttas, sed uno oppida &
, campos & agros, & regiones & Provincias
ragio contumulat. Ignem nuncupaveris; qui si
ur in angustias, semetipsum violentior urget;
perrupto tandem carcere, liberas auras nan-
r. Alas sortitus libertatem amat; in libertatem
vincula detestatur: Scopo intentus ad metam
perat: impedimenta aut transilit, aut perfrin-
um medius inter Seraphinos ageret, ipsis ar-
r Seraphinis æstuabat. Aspiciebat hominem,
abat. Hinc si impatientem moræ credidistis
em; credite & Augustino, dum *Pater filium*
distineret; productoq; illum desiderio crucia-
omenta illi in annos, horas in lustra, dies in
annos in seculorum myriades commigrasse.

 Si

Si audivistis unigenam Patris *in consummatione* tandem *sæculorum in destitutionem peccati per hostiam suam comparuisse* ad complendũ opus illud, quod Prophetico vaticinio *in medio annorum* futurum acceperatis;agnoscite , quàm producta inter labentium annorum series visa sit Philantrophiæ Deo; qui cùm vix nobis *annorum medium* illuxisset,sua jam ad mundi vesperam ac seculorum consummationem dilata esse vota existimabat. Si legistis Syriacum illũ Viatorem, Mesopotamicum Peregrinum,cùm lassatum itineris asperitate corpus in tumescentem obvij prati herbam dormiturus reclinasset,promissas è Cœlo ad terrã usque scalas conspexisse, quarum supremo margini Deus innitebatur:legite pariter apud Hebræum Historicum,non fuisse illum quiescentis Numinis situm;sed *jam pedes in Scalâ habuisse*,ut diu desiderato sese tandem descensui adaptaret.

O Amor ! ò Iesu ! nimium te vota fatigant :
Nec datur ulla quies,donec potiaris amato.

Si denique admirati estis Sacratissimæ Triados internuncium Gabrielem susceptâ sacri Hymenæi legatione , incitata velocitate præcipites Euros prævertisse, illud non minus hodie cum mellifluo Doctore obstupescite ; *qui Angelum miserat ad Virginem,ab Angelo inventum esse cum Virgine,* illaque salutantis verba (*Dominus Tecum*) non tam fuisse futuri adventus annunciationem, quàm attonitam præsentis jam Domini admirationem. Ex quo in eam facilè mecum sententiam concedetis , moram semper Amori exosam,fastidiosam esse suorum votorum dilationem. Non sustinuisse proinde divinissimam φιλανθρωπίαν,sua proferri desideria,sed inclinante

:linante Amoris pondere, incitante desideriorum
mpetu ablegatũ Interpretem prævertisse asserite, ut
tandem potiretur Amato.
Et hic demum diu desideratis humanę carnis indu-
us exuvijs, suo veluti repositus in centro conquies-
it. Confringamus ergo vetusta Ægyptiorum mo-
umenta; diruamus erectas Amoris statuas; succi-
ımus passas in aërem alas; inquietam acum mani-
ıs eripiamus; dum noster ad omnium retro fabula-
m invidiã Amor suis potitus desiderijs cõquies-
:. Ne legantur amplius illa vetusti lemmatis rude-
: *Donec potiatur amato:* epigraphen illi novam
scribamus: *Potitus amore quiescit.*

En desiderijs data meta. Potitus amore
Noster sub rigidâ rupe quiescit amor.

c, oculati Sapientiæ Proceres, vigiles aperiamus
ılos; ut *videamus Verbum quod factum est.* Ubi
t inquieta desideria quiescit amor, unus iste la-
nobis imperatur, ut *videamus.* Erravi. Una no-
ılla quies imperatur, ut *videamus.* Nam si su-
na beatorum quies est Deum videre; quotquot
simus usq; Bethleem, ut videamus Verbum, ad
quillam beatitudinis quietem properamus. A-
videamus, contractam in angusta membra im-
sitatem, ut malè à nobis arrogatæ magnitudi-
nbitum castigemus. *Videamus* nudum, & per-
n à nobis olim innocentię vestem agnoscamus.
mus in similitudinem hominum factum, ut
lim *esse sicut Dei* flagitaveramus, hodie evada-
Certè eorum, quæ videmus, compendiosa ali-
ı oculis imago depingitur. Amor est nostri ac-
; desiderio, quem animis nostris intuemur.
ınó visum à nobis probabimus argumento, si

perfecta ejus imago mentibus adspectantium imprimatur. Hoc uno videndi ejus nos ardere desiderio evincemus, si nulla sit votis quies, nullæ desiderijs feriæ, nullum Amori otium,

Donec potiatur Amato.

Dicta Viennæ Austriæ ad Academicos.

ORATIO X.
DE PASSIONE DOMINI.
Christi Patientis Tragœdia.

NAtalis iste humanæ salutis, idemque demortuæ vitæ funeralis dies acerbissimam patibulati Amoris Tragœdiam in memoriam revocat & in lachrymas, *Mœstissimi Auditores*. Obstruuntur eloquentiæ fontes, ubi natura in lachrymas diffluit, & Verbum Dei in sanguineos fontes aperitur. Ubi animorum sensus dominatur, verborum pompa nõ attenditur. Doloris acerbitas non admittit phaleras: colores & pigmenta odit perpessio calamitatum. Non laboratur de verborum jejunio, quando animus curis pascitur, luctu oculi satiantur. Ibimus, quò doloris impellet acerbitas, quò fluctuantem amarum pelagus jactabit lamentationem. Non decet eloquentiâ ludere; quando feralis Catastrophe est argumentũ. Barbarus nimis est animus, qui in alieni sanguinis funestâ scenâ suæ facundiæ exercet levitatem. Ibimus, quò trahent funes, quo raptabunt catenæ, quo crudelis feritas incitabit. Eamus. Jam enim prima feralis Tragœdiæ scena reseratur. Abripiunt oculos frondosi colles, invitant animos virentes umbræ, irritant aures ludentes venti, trahunt affectus florentes horti, & composita ad amœnitatẽ

regio

regio amores omnes extorquet. Sed heu! ſubit memoria noſtrorum ſcelerum, quæ maleſanâ libidine ſeſe primùm per amœnum horti theatrũ ad noſtrũ interitum, ad Amoris Cataſtrophen cruenta Protaſi actaverunt. O cruda Protaſis! quàm ſeſe tandem in Cataſtrophen exonerabit! Læta plerumque initia funeſtiſſimos exitus ſortiuntur. Vix gaudij aperitur ſcena, jam irrumpit calamitas. Subingreditur *Fortitudo*, & ubi *infirmitates noſtras ſupportat*, debilitatur. Subintrat *Fiducia*, & pavore concutitur. Apparet *Angelorum lætitia*, & triſtitiâ ac mœrore obruitur. Accedit *Sanitas*, & tacitis ad cruorem vulneribus ſauciatur. Infert ſeſe *Vita*, & penè emoritur. Futura Tragœdiæ Cataſtrophe nõ jam per umbras & involuta veluti ſymbola, ſed vivaciſſimâ ſui frõte exhibetur. Laborioſiſſimum ſpectaculum cruentum ſudorem extorquet Protagoniſtæ, ipſosque è cœlo Angelos ad commiſerationem evocat. Si tam liberali ſanguine depingitur Idæa; quibus fluminibus peragendam Hiſtoriam auguremur; Adeſt interim congeſta in *Chorum Poteſtas tenebrarum*, ut *lucem mundi* trahat captivam: & quàm verum ſit illud: *Qui agit malũ, odit lucem*: non tam per ipſas temporis offuſas tenebras, quàm per immanem actionis crudelitatem demonſtrat. Sed non potuit in tenebris ſcelus peragi, quod patrabatur in *lucem*. Famulares tamen ſuperaddunt faces impuriſſimi tenebriones; quia vel omnẽ Amoris ignem per detegandam barbariem extinxerant; vel ad Juſtitiæ Solem caligabant, vel futuro ad Cataſtrophen funeri, quia jam in Protaſi funalia pręparabant. Ut capiatur Deus, oſcula admovẽtur, Amoris arma, quibus cùm buitur odium, *Vitam* capit ad *mortem*. Adſtringitur

tur liberrimus Amor odij vinculis; ligatur Innocentia, raptatur Humanitas, mancipatur Deus. Additur ſaltatio Choro; ſed quæ vel pede quatit *Terram benedictam*, quàm aliàs nunquam Impietas calcavit: vel quam diffugientes per avia Amoris Diſcipuli inſtruxerunt: quibus in hoc pedes paulò ante abluiſſe videri poſſit, ut leviores ad fugam redderentur. Succedit cruenta Epitaſis. Innocentiſſimus Juſtitiæ Sol ad iniquitatis tribunalia, per poteſtatem tenebrarum abripitur. Siſtitur rea Æquitas, arguitur Sanctitas, agit Calumnia, teſtatur Mendacium, Adverſarius ipſe arrogatâ Judicis poteſtate condemnat innocentiam. Stat interim ſine favore Bona cauſa, ſine Advocato Innocentia, ſine Patrono veritas, ſine voce Verbum. Quid enim loqueretur, cui jam nuper ferale Herodis imperium ad ſaltatriculæ vocem ipſam *Vocem* eripuerat? Quid loqueretur, qui clamoribus obruebatur? Solo ſilentio ſe tuetur, qui nihil habet, quod defendat; cùm vel cauſæ bonitas retundit calumnias, vel conficta accuſatio ſuâ ſe ſtoliditate confutat. O miſera ſemper innocentia, cui ſolum ſilentium patrocinatur! Loquitur interim ad focum Petrus, eliquatis ad prunas verbis; cui antea pavor ora congelaverat. Loquitur, ſed mendacium: quia *Veritas* conticuerat. Loquitur, ſed inſipienter, quia *Sapientia* obmutuerat. Quid verò barbara Tenebrionum turba? ne per noctis tenebras luceret *Lux vera*, gemina illi oculorum ſidera obnubunt, An quia Divinis oculis ſua videri ſcelera pertimeſcebant? An quia, qui Deum *ſpeculũ* eſſe intellexerant, ſuam ipſi ſibi objici immanitatem exhorreſcebant? An quia, qui uno ejus aſpectu emollitam in lachrymas Petram conſpexerant,

rant,

rant, suam quoque mitigandam crudelitatem metuebant? Chorus per noctis sannas & ludibria à potestate tenebrarum in Solem Iustitiæ feralis est actus; in quo alapis ad numeros lusum est: & amœnissimus ille vultus, *in quem desiderant Angeli prospicere*, turpissimè est defœdatus. Protrahitur inde ad Pilati Prætorium: sed *cùm nullam inveniret in eo causam*, nutare incipit per Catastasin Actus. Timet Prætor eum absolvere, qui suâ nos innocentiâ in libertatē asseruit. Transmittitur ad Herodē à Pilato, & fœdus amicitiæ inter utrumque sancit, utrique odij materia Postulantur ab eo miracula, dum exhibentur. Videtur *Veritas*, nec agnoscitur: spectatur Verbum, nec intelligitur: apparet Sapientia, & illuditur. Induitur veste candidâ primus æternæ gloriæ Candidatus; & quem jam plura negarunt tribunalia Innocentiæ calculum, ostendit in veste. Retrahitur ad Prætorium, Clementiæ locus quæritur; crudelitatis invenitur. Insons agnoscitur Deus, & Latroni comparatur. *Quid mali fecerit*, non constat, & Sicario posthabetur. Absolvitur homicidij reus, vitæ Auctor Deus condemnatur. Abripitur ad supplicia toties absolutus. Nudatur pudor, & videri cæteroquin impatiens, prima gravissimaque à spectantium oculis vulnera experitur. Alligatur Columnæ mundi Firmamentum. Stringuntur lora, expediuntur catenæ, & tota illa Virginea terra flagrorū sulcis in spem fructus melioris inaratur. Describuntur sævitiæ calamo in innocente membrana sincerissimi amoris characteres. Denique Dolorum Rex retortis in diadema spinis coronatur: ut hinc agnosceremus, vel *non esse mollem ad astra viam*, qui *Viam Cœli* spinis redimitam intuemur: vel

vel qui per improbiſſimas Voluptates Genio noſtro roſas præcerpſeramus, ſolas nos *Flori Campi* ſpinas ſuperſtites reliquiſſe: vel demum intelligeremus etiam in Regum capitibus nutare Coronas, niſi adactis ſpinarum aculeis radices agant firmiores. Coronato jam Dolorum Regi, ſuum quoque ſceptrũ, erepta è vicina palude canna, exhibetur. Fragile credidiſſem omnino ſceptrum, & quovis vento agitabile, niſi illud manus Dei ſuſtineret. Sterile exiſtimaſſem, niſi eſſet *Terræ Benedictæ* commiſſum. Sed ſenſim evolvenda eſt Cataſtaſis, in funeſtiſſimam Cataſtrophen deſitura: explicanda implexio; peripetia aperienda. Oſtenditur populo *ſpecioſus formâ præ filijs hominum*; ſed cùm *non eſſet ei ſpecies, neq; decor. Homo* pronunciatur; cùm eſſet *Vermis & non homo; opprobrium hominum, & abjectio plebis*. Sed viſo *Agno* ferociunt Lupi. Cogitur feralem in *Chorum* rabies; ſimulata Clementia concertat Antiochoro. Illa ad infamem Crucem depoſcit inſontem: hæc Regem *Crucifigi* ſacrilegium arbitratur. Vicit multitudo, ſed impetu, non ratione, & ſimulata Clementia deſijt in barbaram crudelitatē: dum ad Judicium conſtituta, contra omnes fori leges, contra omnem juris ordinem, Accuſatorũ poteſtati Innocentem tranſcripſit. Ad Cataſtrophen ergo, patientiſſime Jeſu. Subi ferale jugum, qui jugum noſtrum confregiſti Innocentiæ non ſupereſt Patronus ullus in foro iniquitatis. Imo hic ſummum ſcelus eſt fuiſſe innocentem. Ubi abſolvuntur Latrones, & ſeditioſi; non eſt quod clementiam prẹſtolentur Inſontes. Fulminatur ergo ſententia, ſilente Judice, arbitrio exaſperatæ multitudinis: *Crucifigatur*. Oneratur ſuo patibulo Deus; quod cùm extra urbem profert,

fert,meritum urbi supplicium tollit. Labasceret sub immani pondere exsangue corpus, nisi recentissimus amor suppeditaret vigorem. *Cadit* tamen subinde *Verbum Dei secus viam*, *& conculcatur ab hominibus*. Tunc(si unquam aliàs)*ambulavit Iniquitas in semitis Iustitiæ*. Sed quia temulentus plerumque est furor, ab irreflexâ recti lineâ facilè exorbitavit; & quem in *Firmamento mundi* defixerat pedem, demigrante in plantas animorum rigore, expertus est lubricum. *Stetit* tamen *in via peccatorum* crudelitas,quæ lubricavit in *via Iustitiæ*; & properato ad Golgothæum collem itinere supremā feralis Tragœdiæ scenam aperuit. Extenditur in Crucem Protagonista Deus,ut omnem impleat Amoris mensurā. Transadiguntur ferro pedes,ut ab amoris meta non discedat. Explicantur in altum brachia,ut fulminantem desuper Numinis iram excipiant. Denique confectâ Tragœdiâ emoritur *Vita in ligno*, ex quo primùm inter Paradisi delicias Mors fuit decerpta. Claudite jam, Academici, lamentabili Commo funestum spectaculum. Præit exemplo Natura, quæ acerbissimo sensu concussa diem extinguit, Cœlum funerat,rupes confringit, sepulchra eruit, & omnem latè Regionem convellit. Extincto Sole, quam diem speremus? funerato Cœlo, quæ gaudia designemus? confractâ petrâ, quid nisi,ut olim,fontes aperiantur lachrymarum? Apertis sepulchris, quid nisi Vita tumuletur?convulsâ latè regione, quid ni etiam corda nostra convellantur? Denique quia extremi casus suprema acerbitas Verbum eripit,doloris imperijs muto silentio obsequatur.

Dicta Viennæ Austriæ ad Academicos.

ORA-

ORATIO XI.
DE PASSIONE DOMINI.

Orator in Cruce JESUS.

TAcete Sanguinariæ trucidati fraterno ſcelere Abelis voces, dum non minus ad clementiam pronus, quàm vindictam exoſus Orator Deus, ad capitis noſtri tutelam facundiſſime perorat. Acerbiſſimæ ſunt reis vindictæ voces, quos ſui explicatione dilata tamdiu torſit abſolutio. Sperata clementia adhuc reos ſuſtentat in vita, ne ante ſupplicium collabantur in mortē. Ut irritatæ Juſtitiæ ferrum extorqueas, perora facundiſſime Jeſu pro *Domo tua*, quam proprio tibi ſanguine fundaſti: flectetur ad miſerationem Auditor, ad clementiam Judex, & plenam in tui ſanguinis eloquentiâ reus homo indulgentiam nanciſcetur. Deponite ſollicitos metus Rei Auditores, Jam cauſæ veſtræ Advocatus Orator Deus Gethſemani hortum ingreditur; ut vel ad pervincendum blandiùs Judicis animum *flores* ſuæ legat *Eloquentiæ*; vel umbratili exercitatione ſuam diſponat orationem, Invadit Exordium metus & pavor. Hic eſt exordientium affectus, ubi cauſa propè eſt deſperata. Sed ſupplet Oratoris efficacia cauſæ noſtræ iniquitatem. Primum Judicis animum tentat, ut penetret: genua lunat, ut mentem flectat: Patrem vocat, ut Judicis oblivionem inducat: ut benignam clementemque ſententiam extorqueat, in terram prolapſus à *ſcabello pedum ejus* oſculo benevolentiam captat. Ut cruentam Auditorum panegyrim ſibi conciliet, ducem Judam exoſculatur.

culatur. Ne verò liberè quaquà versum evagetur, vel in publica mundi confusione confusè tumultuetur Oratio, Orator ipse vinculis coërcetur. Quæstionis status ad Iniquitatis tribunalia instituitur Intentione pugnant falsi testes:tota depulsio silentio peragitur. Hoc uno se in aulis Principum tuetur clypeo Innocentia. Non opus est congestis in catenam argumentis,ubi *nuda Veritas* exhibetur. Si quę adferuntur momenta, ea ex Contrariorum ac Repugnantiũ loco eruuntur:Stat enim oppositus Angelorum lætitiæ mœror,fortitudini pavor,cónstantiæ metus, Veritati mendacium,Innocentiæ scelus, Justitiæ iniquitas, probitati calumnia,muto Verbo clamores inconditi, Sapientiæ illusio. Adhibentur rationum firmamenta ad Columnam, ad quam ne *Veritas* corruat,alligatur erecta,& flagris licet concussa non excutitur. Elocutionis stylus æquè fluidus est, ac concisus; æquè acutus ac amplus, æquè asper ac mitis. Numerantur incisa in Præsidis Romani Prætorio,& liquidissimæ toto pavimento periodi diffunduntur.Censentur acumina per hortentem paliuris coronã,& ampla liquidissimæ eloquẽtiæ ora totâ Oratoris fronte aperiuntur.Asperrimus injuriarum ordo per lorariorum catervas disponitur, & miti clementique vultu excipitur. Nulli hic Tropi,nisi quos *Illusiones* appellamus.Illæ per Põtificias ædes,per Judicis Prætorium,per aulã Regis in unum *Verbum* congeruntur.Illud miremur,Auditores, tot, tamque gravi,& acuto cum sensu Ironias in unum Verbum potuisse convenire. Nullæ hic ad ornatum figuræ, cùm ita deformatus esset ille ***præ filijs hominum formosissimus,*** ut ***non esset ei species, neque decor.*** Nisi inter figuras annumeres,

vel

vel infamem calumniarum *Repetitionem*, vel institutas ad crudelitatis tribunalia *Interrogationes*, vel silentis Verbi *Aposiopeses*, vel nostrorum scelerum propositas imitatrices *Ethopœjas*, vel amoris non tam fictam, quàm veram in Deo apparentem *Prosopopœjam*, vel extremam ac lamentabilem *Gradationem*, quam suâ onustus exedrâ eloquentissimus Orator ad ferale Calvariæ jugum instituit. Hic demum Epilogi locus omnes Eloquentiæ vires evocavit; omnes judici, reis, & Oratori affectus imperavit. Detrahuntur primùm Oratori vestes, ut quem pro reis concepit sensum, nudo cū pectore aperiatur. Expanduntur utrinque manus, vel ut eo gestu Judicis severitas ad clementiam flectatur, vel ut impetratâ veniâ primus in reorum amplexus occurrat Orator; vel ut fulminantis adhuc Dei furor eâ corporis compositione sustineatur. Attolluntur in altū oculi, vel ut à nostris sceleribus jam oculos Dei aversos intelligamus; vel ut lachrymarum cataractæ totæ ad deplorandam nostram iniquitatem recludantur. Pertunduntur ferri ministerio pedes & manus: vel ut plura efficacissimo oratori aperiantur ora; vel ut plures liquidissimę eloquentię fontes reserentur; vel ut copiosiores in orbis salutem periodi deriventur. Sitit orator, ut quàm calide pro nobis dixerit, agnoscamus. Cum *clamore valido emittit spiritum*, vel ut orationis vehementiam percipiamus, vel ut per scelera nostra longè semotus ab humano consortio Deus supremum exspirātis clamorem exaudiat. Denique pectus ipsum adactâ cuspide aperitur; vel ut nondum satis explicati per verba sensus, legantur in corde; vel ut qui per mortem obmutuit, jam Amoris ore loquatur; vel ut affecti-

bus,

bus, qui Orationem sequi consueverant, expedita ad sui effusionem via patescat. Et verò commota est, Oratoris Eloquentiâ penè omnis, qua latè patet, natura. Expallescit dies, obscurantur sidera, pullatur aër, discedit velum, franguntur petræ, contremiscit terra, rumpuntur sepulchra, exsurgunt Manes, mortui viventibus commiscentur, natura omnis commovetur. Persuadetur Auditor, & credit, palamque confitetur, *Hunc esse verè Filium Dei.* Perrumpunt affectus in animos, quorum jam impotentes Auditores *revertebantur percutientes pectora suâ.* Placatur Judex: coercetur stricta in fulmen dextera: componitur inclinata ad severitatem ira: impetratur clementia: Reus absolvitur. O potens unius *Verbi* Oratio? in cujus flumine extinguuntur nobis debitæ flammæ: cujus vehementiâ expugnatur Deus: cujus flexanimitate rigidus cœli furor inflectitur ad commiserationem. Hæc ubi *Orator* dixit, vixit. Sola enim Verbi vita est, dici. Extincto *Verbo* me verbum deficit. Obmutesco.

Dicta Viennæ Austriæ ad Rhetoricæ Auditores, postquam repræsentata fuisset Cædes innocentis Abelis.

ORATIO XII.
DE PASSIONE DOMINI.
Pictura Amoris & Doloris.

INcarnati ad vitam Dei jucunda memoria & patientis ad mortem Jesu acerba recordatio in eundem diem contracta, geminos mihi genio impares, professione pares; indole dissidentes, studio conspirantes; intentione contrarios, eventu consentien-

tes;

tes; labore discrepantes, sine concordes Pictores, Amorem doloremque objicit, sui quemque ipsius in eâdem fabulâ delineandi curâ ita occupatos; ut quidquid alter lucis per colores induxerit, alter profundiore umbrâ sepeliat; quidquid alter pulchritudinis efformarit, alter crudeli nimium æmulatione deformet. Uterque Deum pingit, uterque hominem. Uterque in Virgine membranâ, alter in Uterum Virginis contractâ, alter in patibularem Crucem distentâ. Uterq; sanguine; alter per tenues venarum canaliculos infuso; alter totis artubus liberaliter effuso. Uterque spectandus; alter ut adoretur: alter ut illudatur. Uterq; in tenebris; alter in noctis meridie; alter in nocte meridiei. Uterq; ad pretium; alter omnis thesauri, alter triginta argenteorum. Uterq; operi veluti consummato subscribit lemma: *Ecce Homo:* alter ad expergefaciendum in animis amorem, alter ad concitandam furoris crudelitatem. *Ecce Homo*, quem superveniens in Virgine Spiritus S. efformavit *speciosum formâ præ filijs hominum.* Ecce Homo, *cui non erat species, neq, decor, opprobrium hominum & abjectio plebis.* Ecce Homo, *imago bonitatis Dei, primogenitus ante omnem creaturam.* Ecce Homo *inter peccatores reputatus, novissimus Virorum. Ecce Homo*, Rex, sed illusus; Dux, sed captivus; *Princeps pacis*, sed bello fractus; Sol, sed obscuratus; Lux mundi, sed extincta; Via, sed male calcata: Vita, sed mortua; Veritas, sed mẽdacijs obruta; Sapientia, sed stulta; Bonitas, sed exosa; Majestas, sed contempta; Innocentia, sed accusata; Justitia, sed rea; Judex, sed damnatus; Leo, sed catenatus; Agnus, sed occisus; Vitis, sed vindemiata; Lilium, sed inter spinas; Speculum, sed confractum;

fractum; rerum Idea, ſed confuſa. *Ecce Deus* olim incarnandus uno nobis ſalutari Verbo (*Ave*) intimatus: *Ecce Homo* uno fatali. Verbo, Ave, proditus ab immani crudelitatis ſatellitio diſcerpendus. *Ecce Deus*, ab Angelo primum deſtinatæ in Matrem Virgini annunciatus: *Ecce Homo* inter funeſtas Oliveti umbras ſupremum ab Angelo confortatus. *Ecce Deus*, per Incarnationem ingreſſus in mundū: *Ecce Homo*, per extremos cruciatus eliminatus è vitâ. *Ecce Deus*, in anguſto Virginis clauſtro conceptus ſilentio: *Ecce Homo*, in publico orbis foro *cum clamore valido* emortuus. *Ecce Deus*, per ſummum amorem ad humanæ naturæ complexū deductus: *Ecce Homo*, per ſummum nefas ad funereæ Crucis amplexum evocatus. *Ecce Deus*, quem *introducens Pater in orbem terrarum propoſuit Angelis adorandum*: *Ecce Homo* pet ludibrium Rex joculari Judæorum ſalutatione, ignominioſâ corporis ac genuum curvatione adoratus. *Ecce Deus*, per Incarnationem tenella compactus in membra: *Ecce Homo* per acerbiſſima tormenta toto corpore dilaniatus. *Ecce Deus*, qui per humanitatem aſſumptā primùm nobis humanus apparuit: *Ecce Homo*, pluſquā barbarâ, pluſquam belluinâ Judæorum inhumanitate tractatus. *Ecce Deus*, quem mundo datum amœniſſimâ pacis næniâ ſalutaverunt Angeli: *Ecce Homo*, quem mundo ereptum funebri leſſo Angeli pacis amarè fleverunt. *Ecce Deus*, in primâ vitę lineâ Paſtoribus annunciatus: *Ecce Homo*, in primâ mortis lineâ à lupis dilaceratus. *Ecce Deus* Matris deliciū: *Ecce Homo* acerbiſſimus dolor genitricis. *Ecce Deus* ſalutis principium: *Ecce Homo* finis ſæculorum. *Ecce Deus* ſpectaculum factus Angelis & hominibus:

minibus: *Ecce Homo* ludibrium factus gentibus & Judæis. O quantum potuit nimium crudelis Dolor! qui lætitiam afflixit, gaudium contristavit, constantiam terruit, fortitudinem concussit, potentiam enervavit, majestatem exinanivit, firmamentũ prostravit, libertatem strinxit, justitiam oppressit, innocentiam condemnavit, salutem occidit, animam exanimavit, spiritum extinxit, vitam funeravit. O nimium crudelis dolor! Sed non potuit tamen exhausto quamvis belluinæ crudelitatis robore, non potuit efficere tantùm, ut non prospiceret è vulneribus amor, & per ipsas lassati furoris reliquias viva amoris argumenta legerentur. Quod dum attento spectatis oculo, illam vobis Aristidis ingenio inventam, manu delineatam imaginem objectam existimate; qua ad occupatæ per militarem furorem urbis mœnia fugitiva Mater deprehensa exhibebatur, & cùm infantem lactaret, crudeli per ubera vulnere sauciata, ita tenellæ soboli lac ministrabat; ut, quin simul cum lacte sanguinem biberet, prohibere non valeret. Ita vulneratum Doloris acerbitate concipite Salvatorem, ut in ipsis vulneribus amoris ubera agnoscatis. Apellis & Protogenis renovari certamen credite. Quamcunque Protogenes Dolor lineam trahit, eam superinductâ aliâ Apelles amor distinguit. Quare dum ego per doloris lineas progredior, vos amoris industriam cogitate.

Prima doloris linea ad amoris mensam est ducta. Accumbit unâ Mors & Vita. Uno pascuntur epulo, uno potu inebriantur discordes convivæ. Agnus epulandus apponitur, sed à Lupo devoratur spectante Pastore. Amicus concordiæ panis viscera mordet ad odium. Non satiatur Doloris fames

Amo-

moris epulo. Vinum charitatis propinatur: ſed inebriat ad furorem. Teſtamentum conditur à parente: ſed deſignatus hæres abſtrahitur à crudelitate; & injurius in Patrem meretur exhæredari. Pignus futuræ gloriæ porrigitur: ſed accipitur ad interitum. Imitatus Menelaum crudelis Dolor, caſtra & cædes delineat in menſa: æmulatus Paridem amor ſuos amores depingit in mappa, & ut ſui apud nos numquam deficiat recordatio, *memoriam facit mirabilium ſuorum*. Exindè unà Dolor, unà & amor rapiuntur in Olivetum. Ille inter umbras, tædium, pavores, mœroreſque diſponit in aciem: *Mediator Dei & hominum*. Amor pacis oleas, ad ſanciendam perpetuam cum Deo concordiam, quærit. Dolor formidandam pingendæ imaginis ideam rudi quidem penicillo, ad vivum tamē deſcribit in mente: Amor Apellæo prorſus artificio Protogenis ſui æmuli lineam lineâ tenuiore diſtinguit, & formato Doloris corpori lineamenta inducit charitatis. Nihil agis crudelis Dolor, ſi amoris elegantiā ſepelire meditaris. Si calicem mortis amarore plenum propinas, illum amor in communē languentis mundi ſanitatem exhauriet. Si violentum toto corpore ſudorem exprimes; inde amor vel lavandis criminibus noſtris balneum apparabit; vel fœcundandæ Vitæ arbori perennes rivos impartietur. Si lachrymas oculis, contriti cordis indices, evocabis, illas amor deplorandis ſceleribus noſtris accommodavit. Si toto corpore fletum imperabis, Deum totum oculū confiteberis; efficieſque ut qui oculum amoris ſymbolum credidimus hactenus, Deum amorem noſtrī veneremur. Si defluente per membra rivo terram inundabis, liquorem ſuggeres miſcendæ terræ, unde

novus Adam efformetur. Si proſtratum ſolo affliges Amor vel illius os ſui objectu oppilabit, quo vindictam olim inclamabat; vel efficiet, ut quæ *maledicta ſpinas & tribulos germinabat*, in feliciores longe roſas à Jeſu ſanguine, quàm ab Adonidis cruore, purpuraſcat. Si ſuo proſtratum ſanguini immerges; Amor vel per hunc fluvium ad beatitatis portum enatabit; vel illam extinguet facem, quâ olim per Adæ ſcelus totus orbis conflagravit. Si deſtitutum viribus in terram abjicies: Amor etiam brachia explicabit, ut inimicam terram amicitiæ ſtringat in amplexus.

Nihil agis cruente Dolòr ſi ſævis; ſævior es, ſi blandiris. Sæpè cadit mentitos inter amores animus, qui ſtetit infractus inter dolores. Ubi viribus locus clauditur, aperiatur dolis. Sæpè quæ non potuit furor mœnia penetrare, tenuiore rimâ dolus occupavit. Mentitur ergo blanditias furor, amores dolor; ut perſonatus evincat, quod non poteſt apertus. Ut parricidio pectus transfodiat, blanditur oculis amabilitate. Per aures, per os, per manus tentantur doli. Per aures amicitiæ vox *(Ave)* infunditur ut per ſummum odium è pectore anima extrahatur. Sed ô me felicem, inquit Amor, cui vocem illã audire rurſus conceditur, quæ primum per Angelum in mundum illata, ſalutem nunciavit. Impurum os divino applicatur: ſed, ô me beatum, inquit Amor ſi vel ore meo appoſito valeã os mendax oppilare! O felicem me animorum expugnatorẽ, cui os, cordis janua, ſponte ſua aperitur. Baſium divinis labris imprimitur. Sed ô felix ego Eliſæus, inquit Amor, ſi jam fœtentem poſſim ad vitam revocare? ô felix ego, ſi jam putentis *in faciem* poſſim *inſpirare ſpiraculum*

raculum vitæ. Manus in amplexus explicat, ut hyæna ſtringendo occidat. Sed ô felicem me, inquit Amor, ſi ita me ſemper *teneas, nec dimittas!* vili me alijs pretio vendidiſti non repugnantem, ut ſcirent univerſi, quàm facilè ematur Deus, nec ullus ſuam ad me comparandum inopiam cauſaretur. Tibi ego memetipſum liberaliter dono.

Sed non diu tegitur ignis, quin erumpat in incendia: non diu ſimulatur odium, quin violentius ardeat in furores. Ab amplexu Judæ abripitur Jeſus in amplexus catenarum. Irruunt in *Lumen* verum *filij tenebrarum*, & inter faces & laternas non agnoſcunt Authorem lucis. Furias crediderim, quæ cùm cœcæ ſint, faces præferunt. Conſtringunt manus illas, quæ *ſolvere* venerant *compeditos*. Trahuntur in catenarum amplexus brachia, quæ noſtros in amplexus è cœlo Deus protendit. Coarctantur explicatiſſimæ illæ manus, quas effuſa liberalitas nunquam paſſa eſt occludi ad benefaciendum. Vinciuntur munificentiſſimæ illæ palmæ, quæ in *digito Dei ejiciebant Dæmonia*. Ligatur illa dextera, per quam Deus *dedit dona hominibus*. Linea hæc fuit Protogenis Doloris, at Apelli amori *funes ceciderunt in præclaris:* facti ſunt funiculi Adam, vincula charitatis, quæ credebantur crudelitatis inſtrumenta. Extinxit ignobile lemma: *Stringit, non unit*, quod neſcio quis Poëtarum affixit nodo, diſcordi matrimonio repræſentando: & nobilem ſuis nodis affixit epigraphen: *Et ſtringit, & unit*, dum vel ſic *manere nobiſcum* voluit *uſque ad conſummationem ſæculi*. Damnavit ad fabulas Herculem, qui ne deſertos Tyrios ſuo patrocinio deſtitueret, ſe paſſus eſt vinculis colligari; cùm non tam efferata rabies

 Judæorum,

Judæorum, quàm *Deus Pater* (verba sunt Abbatis Ruperti) *colligavit filium, non imbecillitatis vinculo, sed imperio charitatis*. Superavit Samsonis Historiam, qui in Philistæorum ultionem erupit è vinculis; quando ne *Deus ultionem libere ageret*, passus est libertatem catenari. In catenis suis annulos numeravit, quibus nos non semel fœdifragos denuo sibi *Sponsus Sanguinum desponsaret in fide*.

Per catenas raptatur ad tribunalia iniquitatis condemnanda Justitia. Proteritur per iter pedibus Flos campi, ut etiam iniqui currant in odorem suavitatis. *Granum frumenti cadens in terram conculcatur ab hominibus, panem vitæ daturum*. Botrus Cypri pedibus subjicitur; sed calcantes inebriat ad furorem. Calcatur via, quæ ducit ad cœlum; & per eam ad Furiarum habitacula deducuntur. Primum judicium incipit ab injuria. Finguntur calumniæ, quia culpa non invenitur. Solo silentio se tuetur Veritas, quamquam *multi falsi testes accedant*. Ubi non erant convenientia eorum testimonia, secura sine patrono stabat Innocentia. Jussus loqui Deus, loquitur veritatem: at judicio barbari non rectè loquitur *Verbum Dei*. Servili cæditur alapâ, à servo, qui solam in eo videbat formam servi, quam ex Ancilla natus acceperat. Adjurat filium Dei Caiphas, & filium Dei condemnat. *Sacerdos* illius *anni Sacerdotum in æternum* persequitur. Iniquus Judex sententiam fulminat, antequam causam intelligat. Discindit vestem, quæ nimis angusta erat iniquitati. Blasphemum pronunciat, & blasphemat. Summa delicti est, innocentia. Summa sententiæ est, *Reus est Mortis*. Sed in doloris materia amoris artem attendite. Ut nostra pro tribunalibus excusentur delicta,

inno-

innocentiam suam ostendit: ne nostra succumbat causa, ipse stat reus: ut judicem flectat, silentio causam perorat. Ut absolvamur nocentes, *qui peccatum non fecit*, condemnatur.

Abstrahitur hinc ab Pilatum, abducitur ad Herodem, reducitur in Prætorium, ut quandoquidem deerat causa Judicibus, Judices causæ non deessent. Veste candidâ per ludibrium induitur. Sed Amor illâ vel nos cœli Candidatos instituit, vel ereptam olim à serpente Innocentiæ vestem restituit. Dolor ad columnam alligat, & totam illam terram benedictam sævissimè arat; sed Amor sementem amoris prosеminat. Dolor cruento charactere Virgineam illam membranam inscribit: sed Amor ne quidquam atro notetur calculo, rubricam Amoris scribenti suppeditat. Dolor repetitis ictibus *lapidem angularem* fatigat; sed Amor eum aptat ad æternum ędificium. Dolor Christum petram percussione pertentat; sed Amor Israëli suo uberes in potum aquas deducit. Dolor *lapidem quem reprobaverunt* contundit; sed Amor inde scintillat amore. Dolor ab omni parte sanguinem extrahit; Amor illum epilepsiæ nostræ sanandæ impertit. Dolor patientiæ Regi coronam spineam imponit; Amor nobis in illis rosas immortalitatis depingit. Dolor insontis caput paliuris perterebrat; Amor firmandæ in capite nostro *coronæ pulchritudinis* invenit artificiũ. Dolor innocentis tempora rubis involvit; Amor *ardentem in rubo* Deum nobis repræsentat. Dolor aculeos adhibet in tormentum; Amor aculeis utitur in sagittas cordibus nostris expugnandis. Dolor Coronato Regi paludamentum injicit; Amor illud nobis explicat in tutelam. Dolor per ludibrium

ejus dexteræ calamum imponit; Amor eo utitur ad ſcribendum volumen Amoris. Neſcio an ſit ex fabulis, an ex hiſtorijs: eam fuiſſe olim Principibus conſuetudinem, ut exercituri juſtitiam arundinem manutenerent: hoc ſcio Amoris Regi exercituro clementiam datam arundinem, ne graviter feriret. Neſcio an ſit commentum Plinij, an naturalis indoles cannæ, ut exvenenet ſerpentes: hoc ſcio virtute hujus cannæ *foras ejectum Principem hujus mundi* ſerpentem.

Necdum ducta eſt ultima picturæ linea. Dolor patibularem humeris Crucem imponit; ſed Amori *factus eſt principatus ejus ſuper humerum ejus.* Dolor onuſtum propellit ad Calvariæ montem: Amor ſtillante adhuc ſanguine viam notat, ne à vijs Jeſu greſſus noſtri aberrent. Dolor ſub pondere gemitus extrudit; ſed Amor efficit, ut pro ſua reverentia exaudiatur. Dolor funeſtiſſima in quercu extendit innocentem, ut *maledictus* agnoſcatur, *qui pendet in ligno:* Amor feliciorem eventum ſuggerit, ut *in ipſo benedicantur omnes gentes.* Dolor trabalibus clavis manus pedesque trajicit: Amor ſic clementis Dei oſtendit imaginem, qui nec pedes in ultionem movere velit, nec manus extendere poſſit in fulmen. Dolor infamem Crucem è terra erigit; Amor illam eo loco *plantat,* quo Adami oſſa ſepulta credebantur, ut novus Adam veteri Adamo implantetur, & auctor vitæ mortis parenti. Dolor irridet nudum; Amor adeundi paradiſi privilegium accipit à nuditate, unde Adam nudus eſt ejectus. Dolor ſitim accendit; Amor è quinis fontibus aquam vitæ propinat. Dolor Spiritum vitæ illi eripit, ſed Amor Spiritum vitæ nobis infundit. Dolor

lancea

lancea latus aperit : Amor cor suum amoris sedem ostentat. Dolor caput inclinatum pingit, quia *filius hominis non habet, ubi reclinet caput suum.* Amor caput inclinatum efformat, ut nos osculetur; cor apertum, ut amet, brachia extensa, ut amplexetur; totum corpus expositum, ut redimat. Dolor denique & Amor ultimâ jam ductâ lineâ absolutissimo operi subscribunt *Consummatum est.* Accedite Picturæ Contemplatores Academici; & ductam per Doloris lineas Amoris effigiem taciti considerate. Nullum acerbius oculis spectaculum, nullum jucundius animis excogitari potest; quàm Deus per crudelitatis ministeria extinctus; Homo per durissima Amoris obsequia ad vitam revocatus.

Dicta Viennæ Austriæ ad Academicos.

ORATIO XIII.

DE PASSIONE DOMINI.

Deus per scelera nostra occisus.

SPectaculum ab orbe condito luctuosissimum: Deus suspenditur, occiditur. Laxentur in gemitus ora, in lachrymas oculi; exulcerata corda in lamentationem. Confusa rerum Universitas non patitur in ordinem digeri Orationem: pallentia dolore sidera tremorem ingerunt Oratori: funereum ac pullatum cœlum, in eloquentiam lumina non admittit: concussum trepidatione solum constantiam negat affectui. Eamus sine lege in publico hominũ scelere, sine artificio in extrema Dei calamitate, sine ornatu in defectu Lucis, sine apparatu in acer-

bissimis morientis Dei cruciatibus, sine ordine in summa Divinorum humanorumq; confusione. Nec scelus ordinem patitur, nec dolores. Consilij fræna lenti temperatique animi tolerant; exulcerati dolore, furoreque præcipites, excutiunt. Affectus, qui legem capit, mediocritatem non excedit. Sui impos moderationem ignorat. Currit in avijs, stat in præcipiti, alget in igne, fervet in bruma, cœcutit in die, videt in nocte, tentat inausa, rumpit infracta, nullo obviantis naturæ vel rationis obstaculo retinetur. Eamus per nostrorum scelerum fœditates inornatè, per cruciatuum tumultus inconditè, per æstuantem Divini in nos Amoris Oceanum constanter. Quæcunque enim in morientis Dei historia calcari semita potest; ea est, vel nequitiæ nostræ per summam crudelitatem desævientis in Deum; vel Amoris Divini, sese per acerbissima tormenta in nos liberaliter effundentis. Sed (quod miremur attoniti) per scelera nostra commendatur Dei Amor: per Amorem, iniquitatis nostræ crescit magnitudo. Illius immensitas hujus est mensura: istius immanitas illius est decempeda. Quocumque sese offensarum amplitudo protendit, excurrit non impedita Amoris libertas: quocunque sese Amoris latitudo effundit, nostrorum damnanda licentia criminum evagatur. Ex offensæ igitur magnitudine Amoris vim intelligite; ex Amoris amplitudine nostrorum scelerum percipite gravitatem. Scelus Amorem ad vivum describit; Amor nostram oculis animisque objicit pravitatem.

Primos igitur dolores Christo inter amœnitatis illecebras in suburbano horto nostra crimina disposuerunt: quia primum mortalium scelus ad communem

nem

nem omniū interitum inter amœnas horti delicias olim est perpetratum. Hic infelix malus, mali omnis fœcunda radix, ferventissimâ ebullientis sanguinis pluviâ irrigatur; vel ut in meliores jam fructus, *poma nova & vetera*, Amori toties desiderata, imposterum germinet; vel ut calore perusta ad sterilitatem penitus exarescat. Hic elata in vesanum tumorem superbia hominis depresso ad terram Deo prosternitur. Hic refractariorū ad Divina obsequia mortalium reluctantia spontaneâ obsequentis Jesu obedientiâ eruditur. Hic timore audacia, pavore temeritas, trepidatione furor, sudore acedia; vigiliis somnus, mœrore intempestiva voluptas, & improbè affectatū à nobis non moriendi desiderium vitæ præsentis tędio expiatur. Hic in discipulorum sopore universi nostri generis torpor excitatur. Hic omnium membrorum iniquitas sanguineo omnium membrorum balneo abluitur. Hic extinguendę nostræ cum Deo inimicitiæ osculo Deus, amoris symbolo, traditur inimicorum crudelitati: ac demū sacrilegè à nobis usurpata in omnem Voluptatem excurrendi licentia ingestis in Amoris Christi pedes vinculis, retortis in brachia funibus, constrictis in colla catenis per immanem barbariem castigatur. Rapitur ergo instar fugitivi à nocturnis Furiarū satellitibus Lucis Author, futurus præda crudelitatis: & primus tentatę olim *à facie Domini* fugę pœnas exsolvit. Sistitur ad tribunalia iniquitatis Integritas: sed ad eadem Pontificia vestis, Religionis sacrarium, dilaceratur. Rea inconditis circumfrementium clamoribus pronuntiatur Innocentia: sed modestissimo suo silentio, unico insontis animi præsidio, nostram ad excusandas culpas facundissimam

 eloquen-

eloquentiam accuſat. Accuſatur ſceleris Puritas, quia ſpontè peccatorum noſtrorum maculas ſuſcepit. Obruitur mendaciis Veritas; ſed iiſdem *omnis homo mendax*: luculentiſſimè arguitur, Deus Divinarum legum corruptor ad humanum Judicium caſtigatur; quia noſtra Divinæ voluntatis prævaricatio ad Divinum Judicium erat advocanda. Denique quia vultus noſtros vel adſcititio colorum mendacio honeſtavimus, vel molli nimium blandimento tractavimus, vel ad herilem ſeveritatem majeſtatemque compoſuimus; Dominus *formam ſervi indutus* theatralis veluti ſcurra percutitur alapâ; & *Regis gloria* vultus ferreâ militis dexterâ verberatus livore dehoneſtatur. A ſacro ad profanum tribunal deducitur, ut ſacrilega noſtrum ibi condemnetur audacia, qui in ſacra & profana rei utraque nefariè commiſcueramus. Quòd ad Regis aulam catenis violenter protrahitur, noſtræ eſt ambitionis argumentum, quâ ad Aulicos honores non invitati ſpontè provolamus. Quòd tentatori Regi non reſpondet, intempeſtivam cum *Principe tenebrarum* converſationem Protoparentum noſtrorum accuſat. Quòd ſe, ſuaque miracula ſilentio tegit, noſtram noſtrarumque actionum jactantiam retundit. Quòd vilipenditur univerſi pretium, exorbitans noſtri æſtimatio effecit. Quòd veſte candidâ, inſigni Innocentiæ teſtimonio per ludibrium induitur; vel innocentes plerumque in Aulis irriſui habitos notat; vel perditam olim à nobis Innocentiæ veſtem deſignat. Sed non diu tegitur Amor; qui ſive quod æſtu interno ferveat; ſive quod videri amet, veſtibus denudatur. O execrandum ſeræ poſteritati facinus! Nudatur Deus, & virginea illa candi-

candidissimi corporis membra deteguntur. Quo uno scelere tot mortes inferri Deo crediderim, quot sunt oculi spectatorum. Nam si Virginitas vel ad suos oculos exhorrescit, quo sensu animi sustinebit alienos? Si ulli aspectus est telum, Virginitati est hasta. Sed quia ferventissimâ in luctâ nostris cum sceleribus Amor versabatur, vetere Luctatorum lege vestimentorum impedimenta abjecit, quę prostituto primùm pudori fuerunt inventa. Seposito amictu patuêre in vulnus membra, quæ malè olim *ficuum foliis* protexeramus. Incubit mox toti corpori horrenda flagrorum tempestas. Ita, qui *castigat omnem filium, quem diligit*, cùm omnes à pientissimo parente degenerassemus in hostes, extra unum reperit neminem, in quem castjgatio, dilectionis nota, imprimeretur. Tunc primum in Amoris symbolum verbera transierunt, quando se toto impetu in Amoris dorsum exonerârunt. Sed quis miretur, *supra dorsum ejus fabricare* potuisse *peccatores*, quando ipse factus est *Fundamentum*? Quis miretur tot characteres in Virgine illa membrana rubricâ describi, quando ipse factus est *Liber Vitæ*; qui atri calculi notas ignorat? O portentum! Etiam Impietas nostra ex eo tempore in *Libro Vitæ* est descripta: etiam crudelitatis nostræ moles in Sacrosancto *Fundamento* est collocata. Atque ut profundiore niteretur fundamento, spinis illud in capite est effossum. Aptissima hæc nequitiæ instrumenta per deliciarum amorem suppeditavimus, quando *coronavimus nos rosis in Iuventute*, solliciti nimium ut innocentes *emarcescerent*. Adactæ sunt in caput spinæ; sed nostrum necdum hodie torporem satis exstimulant. Coronata est spinis

Vinea Domini: ſed etiamnum irrumpunt feroces *Apri,* qui *eam depaſcuntur,* etiamnum doloſæ *Vulpes eandem demoliuntur.* Erumpit per aculeorum vulnera copioſiſſimus ſanguis,ut vel iſto diſcamus erubeſcere qui ad flagitia frontem perfricuimus. Hoc coronatus diademate, hac ſui ſanguinis indutus purpurâ noſtrorum criminum victor Amor ad editum noſtræ iniquitatis Capitolium, ampliſſimũ ſuæ charitatis theatrum emittitur. Hic ultimæ crudelitatis vires à furore noſtro, hic ſupremam ab Amore dilectionis robur exeritur. Hic funeſtum barbaræ immanitatis trophæum,fatalis arbor,plantatur ad mortem; ſed ut *Vitæ fructum* proferat; Amor ſemetipſum appendit. Suſpenditur *Vita,* ut occidatur; ſed per mortis vulnera ſuccus Vitæ dimanat. Diſtrahuntur utrinque per immanem feritatem brachia; ſed illâ protenſione Arcus Divino Amori intenditur. Imprimuntur manibus ac pedibus clavi; ſed typo illo Amoris characteres efformantur. Adigitur in pectus haſta; ſed illo vulnere Auguſtiſſimum Amoris ſacrarium aperitur. Quid plura commemorem? Iniquitatis noſtræ crudelis inſania hic retunditur, ubi Divinæ pietatis incitatus ardor non reperit, quo amplius progrediatur. Hæc ſunt egregia improbitatis noſtræ ſpectacula, hæc Divinæ pietatis ſingularia argumenta. Quæ cùm animo recogitamus,quantum nos delectat proniſſima Dei ad patiendum charitas, tantum nos pudeat noſtræ ad Deum occidendum crudelitatis.

Dicta Viennæ Auſtriæ ad Eloquentiæ Auditores.

ORA-

ORATIO XIV.

DE PASSIONE DOMINI.

Phaſe, *ſive*, Tranſitus Domini.

Tragicorum omnium ſpectaculorum compendium, quę inde à primis ſui incunabulis ad poſtremum uſq; excidium vidit, aut viſurus eſt Orbis, unicus iſte ſine pari luctuoſus, ſine exemplo funeſtus, ſine luce obſcurus, ſine ſole lamentabilis trucidati Numinis, ac Redemptoris noſtri dies, non tã in animos revocat, & memoriã, quàm in lachrymas & dolores, mœſtiſſimi Auditores. Equidem mentes afficiunt publicus univerſi luctus, vacillans terra, excuſſi poli, diviſæ petræ, diſciſſum velum, extinctum lumen, amiſſum cœlum, expulſus dies, palleſcens Luna, fugaces ſtellæ, ſuccuſſi montes, ejectæ valles, convulſa fundamenta, cadentes turres, ruentia marmora, diſcedentia ædificia, ſolo æquati coloſſi, proſtrata templa, frementes venti, ſuſpirans aura, tumentes undæ, gementes ſcopuli, plangentes lacus, exfrondes ſylvæ, viduæ arbores, arentes rami, languentes flores, moriẽtes herbę, recluſi tumuli, viventes mortui, pugnantia elementa, rerũ omniũ ordo perturbatus. At illud vel adamantina corda diſſolvere, vel ære ſua pectora omninò debet eliquare; quod *Lætitia Angelorum* affligitur, triſtatur *Beatorum gaudium*; ſolatium univerſi gemit, ſerenitas mundi obfuſcatur, *Theſaurus* divenditur, carceratur *Libertas*, *Majeſtas* illuditur, *Integritas* accuſatur, condemnatur *Innocentia*, opprimitur *Salus*, *Iuſtitia* plectitur, *Vita* occiditur, Deus emori-

tur. O amara Dei patientis memoria! ô infamis nostrorum criminum recordatio! Mergantur oculi nostri lachrymarum pelago, ne tam immanem barbariem videre compellantur. Vertantur in silices corda, ut rupes æmulata dissiliant. Obmutescat lingua, ne postrema crudelissimæ feritatis exempla cogatur enarrare; aut si exanimato Verbo nostra debent verba animari, eamus sanè in tanta rerum perturbatione, in tam tragico doloris argumento, qua trahit Amor, quà tenet stupor, quà rapit dolor, quà sistit ira, quà citat odium, qua vocat pietas, quà jactat Passio, quà pellit furor, quà grati animi significatio desidiosos invitat. Eamus; Sed ijs omnino alligati conditionibus, quas supremus legumlator Deus ad Phase, aut ad esum Agni Israeli quondam præcepit, quarum altera erat: *Non remanebit quidquam ex eo*: altera verò; *comedetis festinanter, est enim Phase, transitus Domini.* Eamus per Domini transitum, sedulâ animorum cogitatione, ita, ut & nullam partem ejus relinquamus, & summa cum brevitate transcurramus. Nam minima quæque sacratissimæ Passionis particula, augustissimorum est mysteriorum Sacrarium, & dignissimum commemoratione Beneficium. Pœnarum verò acerbitas fusiori eloquentiæ verborum prolixitatem denegat, ut affectibus locum, tempus gemitibus, meditationi viam, & liberrima lachrymis, & planctui frena concedamus. Eamus per omnem Domini transitũ, qui doloris passibus immensum nostrorũ scelerum, & infinitę suę bonitatis campũ dimetitur. Primus illi ad hortum est passus; non ut *Flos campi* transplantetur in amœniorem locum: sed ut *Lilium* collocetur inter spinas acerbissimorum cruciatuũ,

Exi-

Existimassem eum *Arborem vitæ* in horto quęrere, ex qua malesana fames fructum mortis decerpserat, ut eam ad melioris vitæ tributum irrigaret, nisi obvia *tristitia, pavor* & *tædium* ipsi *vitæ* jugum mortis imponeret. Existimassem eum pacis oleas in Oliveto colle investigare; ut qui jam inde à funestissimo primi parentis exilio crudeli rebellione in Deũ surreximus, tandem compositæ pacis gaudio frueremur; nisi Athleta novus prima futurę pugnę prælludia à sanguine auspicaretur. Infelix horte, in quo purissimi rores in sanguinem degenerârunt! in faustum arboretum, cujus cultura cultori sanguineum sudorem expressit! Sed nempe, ut arida terra fœcũdaretur in fructus, tuo sanguine fuit irriganda. Ut soli durities plusquam marmorea emolliretur, tuo cruore fuit perfundenda. Ut de terra rubrâ novus homo formaretur, tuo sudore fuit decoloranda. Ut peccatorum nostrorum sordes eluerentur, totus Deus, qui *totus est oculus*, debuit illachrymari. O Sanguis! ô Lachrymæ! Qui lachrymas dixit potentissimas *Oratrices*; nostram taxavit duritiem animorum; qui ijs necdum, ab iniquitatis via ut recedamus, persuademur. Qui *gemmas* appellavit, tuam munificentissime Jesu prodigam liberalitatẽ depinxit; qui pro terræ vermiculis etiam gemmas expendisti. Qui *argentum vivum* eas nominavit: animarum nostrarum pretium expressit, quæ eo argento fuerunt redemptæ. Qui *stillas cordis* dixit, tuum, amantissime Jesu, in nos amorem delineavit, qui ut totus difflueres, in stillas abiisti. Qui *pluvias Amoris* vocavit, sterilitatem nostram coarguit, qui his destituti pluvijs jacuimus infœcundi. Qui *doloris filias* appellavit, peccatorum nostrorum vim, & pondus

dus ob oculos posuit, quæ etiam Deo dolorem imprimere potuerunt. Qui *affectuum nuncias*, & *animorum interpretes* asseruit, nostram increpuit surditatem, qui tot nuntias necdũ exaudivimus. O Sanguis ! ô Lachrymæ ! ubi nunc es Magdalena, quæ Domini pedibus assidere assueta lachrymas detergebas? ades pientissima anima, ut lachrymas tui Magistri colligas : affer vasa illa suis jam aromatibus vacua, quæ in Pharisæi ædibus effudisti , ut meliori balsamo impleantur. Hæc enim *Arbor vitæ* primas, Virgineasque salutis guttas distillat ; quas ut faciliùs colligas , en tibi Academici omnes corda porrigimus in spongias. Utinam mergamur toti ut vel sic salubriter erubescamus ! Unicornem, si venenatum fortassis animal appropinquet, in sudorem repentè diffluere memorant naturæ scrutatores. Quod Redemptor meus , *Dilectus quemadmodum filius Vnicornium* , in hâc loci amœnitate, senescente die, frondosâ in umbrâ , frigescente cœlo , in sudorem distillet ; crediderim ego , non procul abesse viperam, aut armatum toxico Basiliscum appropinquare; quem dum vos prævolâ cogitatione Judam interpretamini : dicam ego esse execranda illa voluptatis facinora , quæ malè vestita honestatis aut relaxationis nomine passim per hortos cõmittuntur. Ejectus ex Paradiso serpens adhuc hortos amat. Quovis in cespite toxicum sparsit, quavis sub fronde venenum fudit, quovis sub flore insidias struxit, & *Dilecto unicornium filio* , Deo sudorem sanguineum expressit. Sed si sanguinem stillat prima pœnarum meditatio , quanta immanitate Tragœdia universa peragetur? quâ ferociâ fervebit bellum, cujus vel provocatio sanguine scribitur per ipsius mẽbra

bra

bra Luctatoris. Si primo in passu Viator sanguinē sudat, quis sperandus est tam atrocis transitus, ac itineris progressus? *Surgit ab oratione*, qui peccatorum nostrorum pondere oppressus jacuerat, Deus: at ecce alterum promoturo passum occurrunt scelestissimi iniquitatis ministri sub Duce Juda, cujus inexhausta nummorum aviditas, in crudelem Divini sanguinis avaritiam degeneravit. In nocte Sol quæritur furialibus tædis: ad captivandam *Lucem potestas tenebrarum* effunditur: pacis osculo bellum indicitur: & basium ipsum, quod erat flos amicitiæ synceritatis symbolum, pestilentissimo halitu in perfidiam venenatur. Sed rabiosum spurcissimi oris venenum genas afflavit quidem, cor non potuit temerare, quod charitate exæstuans, contrario suo veluti circumseptum, in novas majoresque vires assurrexit. Hinc *Amicum* appellat proditorem: suos omni periculo eximi jubet: reponit hosti suo mutilato auriculam: & ut Lorarios ipsos Lictoresque in libertatem asserat, semetipsum tradit catenis vinculandum. O Academici! *Spiritus oris nostri captus est in peccatis nostris!* Hic est dissolutæ humanæ licentiæ fructus; hic malæ impensę libertatis affectus. At si hodie ipsi Vitæ mors inhalatur osculo, quisquamne erit, qui non quovis metuat ab osculo in necem venerari? Si vinculatur Deus, quisquamne poterit malesanam affectare libertatem? Si jam, antè amore nostri constrictum, Deum vinculis catenant inimici, quisquamne erit, qui amoris vincula subterfugiat? Si tamen licentiosam protervè effusus in libertatē per omnem appetituum tuorū campum abieris; memineris aliquando saltem tuæ libertatis Assertorem ad Pharisæorū tribunalia pro-

trahi

trahi vinculatum. Hic in medio Pontificum concilio agnita Veritas abnegatur, in tribunali mansuetudinis Sacerdotum vestes dilacerantur; in solio æquitatis fovetur percussoris insolentia; stat rea sine patrocinio Innocentia, accusat Furor, testificatur mendacium, Injustitia condemnat. Tum expediuntur pœnæ, cumulantur ludibria, velantur oculi, duo sidera Divini vultus, & facies illa, quæ serenat Seraphinos, verberibus impetitur. Sed parùm est ab hostibus cædi vultum Dei, cui ab amico intimo pectus perjurio timidissimo perforatur. Petrus Apostolicæ cohortis Dux, qui unus propè inermis exercitum integrum aggredi, Magistrumque suum venali capite defendere non dubitarat, ad geminas ancillæ voculas negat, denegat, jurat, perjurat, non nosse amicum, Magistrum, Dominum, Parentem. Nec à turpissimâ hâc obstinati animi duritie priùs evigilat, quàm galli cantus nunciarit Auroram, & Sol animorum Deus in eum respexerit. Tunc enim verò aperuit oculos ad lachrymandū, quoniam aperta in se lumina vidit Redemptoris. Et quid mirum est non flevisse, sed risisse illusores illos lorarios, qui oculos ei velaverant, ut obscurato Sole tutiùs scelera peragerentur? At exacta tandem in jocis nocte, dies ad seria illucescit. Vix evigilavit aurora, & jam expergefacta Sacerdotum invidia ad forensia Judicum tribunalia mansuetissimum Agnum raptabat. Confluunt tumultus populi, & qui pedem inferre Prætorio sine sacrilegio non gaudent, audent violentissimas manus innocentissimo Regi inferre. Deponitur accusatio, quantò minoribus suffulta testimonijs, tantò majori tumultu, & clamore fundata. Terretur Judex minis, qui moveri non poterat ratione.

tione. Medius inter Rei innocentiam, & partium contrariarum potentiam constitutus gravissimam partium alteri injuriam irrogavit; neque tamen alteri pro voto satisfecit: dum per clementiam visus condonare vitam, per summam crudelitatem Christũ condemnavit ad flagella. Erat jam nempe magno exacto pœnarum ac suppliciorum itinere fessus Viator Deus; vestimenta deponit, & ut inclinare tantisper se possit, ad immanem columnam alligatur. Debuerat columna illa esse pœnarum terminalis, nisi insaturata rabies novorum cruciatuum eam fixisset initialẽ. Expediuntur flagra, quibus, si Deus est *Benedicta terra*, sulci ducuntur in fructus salutis. Si *Frumentũ est Electorũ:* excutitur in alimenta nostra granum. Si *Botrus* est *Cypri*, vinum exprimitur. *Congregata sunt super eum flagella; at ipse ignoravit.* Adeone jam, Domine, tuę oblitus es pietatis, ut quæ sit tuorum flagellorum causa ignores? Memineris te pro homine sponsorem stetisse, & fidejussorem omne ejus debitum in te suscepisse exsolvendum. Equidem si nulla in te flagellorum sit causa, nos certé sumus; in quos velut in servos fugitivos, ac vagabundos flagella debent cumulari. Nos perversissimo Dæmonis adjuti consilio honorem tuum involavimus, qui *esse sicut Dei* ambivimus. Nos sacerrimâ ab arbore pomũ subduximus. Nos, cùm *ad auram post meridiem* quæreremur à Deo, in fugam conversi à latebris auxiliũ imploravimus. Nos, quos *posuerat Deus, ut operaremur Paradisum,* vagabundi, ac otiosi desedimus. In nos ergò virgarum illa, flagellorumque tempestas debebat exonerari. Cui cùm ferendo non essemus, succedis sponsor, & fidejussor. Sed *Plus ultra,* ferali inaratum

columnæ

columnæ acerbiores cogit ad cruciatus;suâ vestitus purpurâ dolorum Rex evocatur ad coronā jure sibi hæreditariam. Nam si ex legis prudentiæ institutis hæreditas cum suis gravaminibus est adeunda, qui pridem damnaveras terram,ut *spinas, & tribulos germinaret*. Primogenitus tandem hæres etiam spinas,& tribulos in hęreditatis tuę censu numerare debuisti. Debuerant & ipsæ spinæ metam figere tormentis Dei,nisi Amor ijs,ut stimulis uti elegisset; quibus viator Deus ad ulteriores dolorum passus incitaretur. Prodit ergò urbe *sibi bajulans crucem*. Hæc est nostrorum sarcina peccatorum,cujus gravitatem vel ex eo intellige,quòd Deum non semel oppresserit. Conscēdit Calvariæ collem,& exacto tormentorum itinere sese tandem durissimum in lectum fessus Viator quieturus reponit. Expandit brachia, ut suos nos excipiat in amplexus. *Inclinat* in latus *caput*, ut annuat inspectantibus. *Exclamat* validè,ut procul positis sui indicium faciat. Nox repentè oboritur,ut decumbenti viatori serviat in sopores. Ac tandem *Spiritus oris nostri*,nostra ut animet cadavera,*emittit Spiritum*. Peractum est dolorum,ac cruciatuum iter. Non habuit ultrâ quo charitas progrederetur : sed nostra tamen ulterius progreditur ingrati animi turpissima nota. Intra ipsa vulnera inserpimus aculeati criminibus nostris erinacei. Ah satis sit,satis peccatorum,Academici, ne ad repetendum tam durum tormentorum iter Deū provocemus. Via sensuum & peccatorum conspersa est,& omnino inundata Redemptoris sanguine, & audebit quisquam sacrilegum pedem in eam conferre,ut divinum cruorem proculcet? quod si tamen maligna necdum mortalium sistat audacia, etiam

post

post mortem amoris ædes in certam requiem nobis Deus recludit. *Patent per vulnera amoris viscera:* subeamus. Si pectus habes æreum, si cor adamantinum, æs in amoris officina liquabitur; adamas vivo sanguine frangetur. Si mortuus es, hic nanciscere sepulchrum: si vivus, hic feliciter moriere in ipsâ Vitæ sede. Subeamus; & sepositis verbis, in Crucis amplexus proruamus, in quâ *nobis mundus crucifigatur, nos mundo.* Toti illo mari rubro demergamur, ut in eorum numerum accenseamur, *qui laverunt stolas in Sanguine Agni.* Subeamus, dum nobis aperit cor suum Deus, ut in fosso agro *Thesaurum*; in *terra benedicta* granum electum; in *fonte vitæ* haustum gratiæ; in nidulo amoris quietem mentis; in suis vulneribus sanitatem, in timore magnanimitatem: in infirmitate robur; in trepidatione constantiam; in vigilijs quietem; in colaphis palmas, impressa victoriarum signa, in reatu absolutionem; in clavis gubernaculum; in arundine sceptrum, in cruce solium; in deformitate pulchritudinem; in miserijs felicitatem; in ærumnis beatitudinem; in afflictionibus Deum, in morte vitam reperiamus.

Dicta Viennæ Austriæ ad Academicos.

ORATIO XV.

DE PASSIONE DOMINI.

Triumphans in Cruce Dominus.

Mœstissimus iste dies, & vel solâ sui commemoratione funestissimus, quo inauditâ mortalium crudelitate rerum omnium Cōditor patibulatus

bulatus est Deus, soli dolori fastus, nefastus Eloquentiæ, cadentium ex oculis lachrymarum flumina, debitum mœrori tributum postularet; nisi ad Tragicum Calvariæ theatrum *bajulans sibi crucem* Jesus à pone sequentium fœminarum choro feralem pompam muliebri comploratione funestari vetuisset. Cadat licet in animos sensus; ex oculis protrudere lachrymas prohibemur. Dilaniet acerbitas mentem, fletu temperare dolorem nō permittitur. Sed urgeant sanè patientis imperia Dei; cogimur inobsequentes esse necessitate doloris. Excidunt etiam retinentibus lachrymæ, & violento animos vulnere exacerbant. Meretur tamen inobedientia veniam, quam necessitas imperavit. Absolvuntur culpâ lachrymæ, quas affectus ejecit. Nā quis temperare dolori possit, nisi gelatus in marmor animus; si coram videat sudare sanguine *Dilectum*, constringi vinculis Deum, deseri à servis *Dominum*, opprobrijs saturari *Regem*, sententiâ damnari *Iudicem*, reprobari *Iustitiam*, coronari spinis humani generis *Caput*, onerari ligno *quietem*, in Crucem agi *Redemptorem*, potari felle *Dulcedinem*, morte extingui *Vitam*, aperiri latus *Refugio*, in tumulum condi *nostram Resurrectionem*? Quis luctantibus intrà viscera lachrymis obstaculum ponat; si videat proditam *Amicitiam*, desolatum *Gaudium*, captivam Libertatem, condemnatam *Innocentiam*, proscissam *Integritatem*, castigatam *Iustitiam*, depressam *Majestatem*, *Spiritum oris nostri* exspirantem. Non tolerant rationis imperium lachrymæ, quando sui impotens est affectus. Sed ô duræ nimium dolori leges! vetamur fletu, interdicimur lamentatione. Æstuant animi, nec evaporare permittuntur. Impugnant

pugnant affectus oculos; & oculi affectibus pertinaciter obluctantur. Nihil torquet acerbius quàm dolor repressus. At enimverò intelligo, *contrita Diabolicæ dominationis adversitate de elatione superbiæ*, in moriente Deo, *victricem triumphâsse humilitatem*. Intelligo omnem istum, in supremâ felicitatis nostræ calamitate, doloris apparatum, novam esse triumphantis Numinis festivitatem. Hoc, quod, nos, non sano satis judicio, detestabile Crucis pondus existimabamus, est indepti à Christo Principatûs insigne monumentum. Hoc ferale lignum, quod opprobrij notam arbitrabamur, est nobile, *Regi gloriæ* debiti honoris argumentum. Trabalis ista furca, quâ transmittendum ad posteros insigne dedecus morientis Christi censebant Judæi, est elevatæ super humanam ambitionem Majestatis firmamentum. Gloriam inde mercatur, ubi nos infamiam vendi credebamus: honores metit; ubi nos opprobria seri arbitrabamur. Suspendamus ergo fletus, importunam Musicam in triumphis. Contumeliæ quoddam est genus, victorem lachrymis salutare. Palmare opprobrium est, cum mœrore prosequi triumphantem. Prosequamur sudis oculis *bajulantem sibi crucem, & in eum, qui dicitur Calvariæ locum pulchrâ triumphi specie sibi deportantem trophæum.*

Atque ego quidem nunquam sine attonitâ admiratione vel legere potui, vel audire, sublato in patibulare lignum Deo *Causam ipsius scriptã capiti impositam* fuisse. Occurrebat animo crudele Sacerdotum consilium, in quo cùm de cõfingendo in Jesum crimine ageretur, nullum laborante toto Invidiæ ingenio potuit excogitari. Veniebat in mentem delusum Herodis studium, quo inveniendæ in

eo causæ frustraneo conatu desudavit. Ingerebat sese cogitationi hinc sera confessio Proditoris, quâ *Iustum* profitebatur eum, quem nefario scelere tradidisset; inde piæ mulieris ad Pilatum pro Innocente deprecatio. Ipsius Romani Præsidis judicium tacitè suspiciebam, qui *nullam in hoc homine causam inveniebat*. Pronunciabat *Iustum* Proditor, *Insontem* Rex, *Innocentem* Judex; & quam tandem, ajebam, *super caput ejus causam imposuerunt?* Legite mecum, quam, sinistro quidem approbandi affectu, felici tamē gloriæ eventu, impiissima manus Cruci epigraphen inaravit; *Hic est Rex Iudæorum:* & sic vobiscum decernite: non esse hanc patibulariæ mortis sententiam; sed vel publicum innocentiæ testimonium, vel apertam triumphantis Christi gloriæ confessionem. Ille, ille, crudelissimâ odij intentione, sannis & ludibrijs expositus Deus, cui pro solio est patibulum pro Regni clavo sunt clavi, pro diademate sunt spinæ, pro purpura est sanguis, pro paludamento est nuditas, pro comitatu sunt Latrones, pro stipatoribus sunt Lictores; ille *est Rex Iudæorum*. Hic, qui nuper Regiæ dignitatis nōmen, quod communibus in eum suffragijs Judæus populus cōferebat, non toleravit; nunc demum Augustissimo gloriæ in solio collocatus est *Rex Iudæorum*. Desinite nunc tandem triumphantem Regem quærere: vel inter ambitiosa superbiæ palatia, vel inter augusta perituri honoris Capitolia. Hic ubi tumescentem in clivum assurgunt Calvariæ, suo se gloriosè jactat in Capitolio *Rex Iudæorum*. Desinite inter affluentis Fortunæ blandimenta Regem Deum investigare: hic qui nudatus trabalem in Crucem extenditur, est *Rex Iudæorum*. Desinite victori palmas de-

destinare: hic magnificentissimus hostium Triumphator, *palmas suas extendit ad pauperes.* Desinite perennatura figere Assertori pacis trophæa: hic ipse sibi erectus in trophæū immortali Cedro affigitur *Rex Iudæorum.* Non est nobilius victoriæ testimonium, quā victor ipse sibi stans perenne monumentum. Errastis nuper Idumæi, qui post impensas esuriei vestræ multiplicati panis delitias Christum Regem acclamastis: hic qui saturatur ipse opprobrijs & contumelijs, *est Rex Iudæorum.* Errâsti præcoce delectatione Petre, qui cùm Thaboreas inter umbras irradiantē Deum censeres gloriosum, exultabundus loci & spectaculi perennitatē ambivisti: hic ubi ad publicum Dei suspendium nox in meridiem irrumpit, & cœlum omne injurioso tenebrarū imperio sepelitur, gloriosus *Rex est Iudæorum.* Liceat Commilitonum tuorum Mosis & Eliæ magis commendare sapientiam, qui cùm prospicientem quasi per rimas, & trabeato splendoribus corpori sese insinuantem animæ gloriam intuerentur, ad supremū cogitatione triumphum abrepti, *loquebantur de excessu, quem completurus erat in Hierusalem.* Spectabant oculis Solares in vultu radios, candentes per vestimenta nives, universi corporis beatissimam constitutionem: sed illa mentem longè acriùs occupabat majestas, quàm olim infami calvariæ monte erat consecuturus. Confitere igitur Regem Latro. Fremat usque & usque vesana rabies: conficiat se intestino vulnere livor: abjuret Judæus: *nec habere se Regem, nisi Cæsarem protestetur,* tu tamen Regem profiteare. Confitere iniquitatis Judex Pilate, & quem indignante populo promulgasti Regem, consentiente Cœlo novâ subscriptione Triumpha-

torem confirma. Confitere irata in obsequium terra, conspirans in applausus Cœlum; & festivo veluti machinarum boatu, intestino soli murmure, dissilientium rupium fragore, coëuntiū in tenebras nubium elisis fulminibus *Regem tuum* consaluta. Et verò ne hoc vano agi argumento suspicemini; ut jure triumphatum intelligatis; atrocitatem prælij animis vestris repræsentate. Dictus est primo prælio locus in Oliveto, ut qui prior ramum carperet, prior pacem, optatissimum belli fructum, referret. Dies dici non potuit, quia cum *Potestate tenebrarum Lux Mundi* cōfligebat. Aurora si fuit, ea à sanguinis flore rubens, futuram sub occasum Solis pluviam nunciabat; si verò crepera fuit lux, vergente jam ad occasum die, ea matutinam orbi serenitatem præsagiebat. Ut procedat animosus in campum miles, adipali epulatione Agni præmunitur. Certa Victoriæ spes in *cibo fortium* prælibatur. Adjicitur cibo *calix præclarus inebrians*, à quo miles *tanquam fortis crapulatus à vino* sese effundit in arenam. Inscenditur ergo clivus, aptissimus prælio locus; unde vel subjectæ hostium machinæ faciliùs observentur; vel violentior in hostē impetus precipitetur. Disponuntur primùm excubiæ, & fidelissimorum militū trias jubetur vigilare, dum universam belli seriem meditatione secum digerit Imperator. Ipse interim Belli dux tacitus in umbras se subducit: vel ut exploratorem agat contra *Dæmonium meridianum*; vel ut appropinquanti jam inimicorū furori ponat insidias. Nec otiosus in illo exspectationis otio, in Virgine membrana suo sanguine delineat totius conflictus Ideam. Futuræ augurium victoriç est, previdisse adversariorum molimina, & suos totam molem in ordines

dines bene digessisse. Vix suprema in descriptionem linea excurrerat, cùm in terrã procidit Imperator: non quòd sterneretur pavore imminentis prælij, sed quòd sese vel ad præripiendam inimicis herbam victoriæ inclinaret: vel ad accipiendum promissum olim terræ imperiũ primus osculum Matri figeret; vel Macedonis Africam adeuntis extincturus exemplum, terrarum regimen occupaturus, eas totâ corporis extensione salutaret. Nec defuit vel auspicium belli de Cœlo, quod bonum *Alitem* submisit: vel subsidium ad Victoriam ipsa *Dei fortitudo*, si Gabriëlem fuisse credimus, qui allapsus desuper præliaturum confortabat. Ita navo Duci omnia serviũt ad Triumphos. Ergo jam palmæ non dubius, quos jusserat excubare, hortatur indormire in securitatis argumentũ. Fortissimus Dux imbellem nactus exercitum primâ se locat in acie, defensurus postremã. Debuissent *Leone* Duce *de tribu Iuda* nihil omnino cervi trepidare. Sed non semper pares suo robori nanciscitur milites Imperator. Primo congressu *ancipiti gladio verbi* usus universam hostilem aciem prostravit. Adeò etiam unum magnanimi verbum terret Latrones. Dilabuntur interim Christi copię, & ne vincerent periclitando, perierunt metuendo. Stat tamen invictus Imperator, idemque jam solus miles, resurgentis furoris impetum experturus in se, quem ab aliis jam averterat. Patitur se ab irrumpente manipulo vinciri; sed inaudito stratagemate, insanæ violentiæ nostrorum eripit *Vincula peccatorum*, quæ cùm induit ipse, nostram redimit libertatem. Nunquam enim liberior fuit Homo, quàm cùm vinctus est Deus. Ex hac arena ad tribunalia est deventum, ubi nec Jus dicebatur, nec fie-

 bat.

bat. Hic ubetior factis, quam fastis, Deus silentio egit nunquam satis prædicanda. Historiam belli sui edidit, dum suppressit. Plausum est *palmis* ad insignem Victoriam; & ut Victor notaretur, ejus vultui *palma* est impressa. Exaruisset illa sive furoris æstu, sive quia *ignem consumentem* tetigerat: nisi uberiores fluvij eidem irrigandæ successissent, Ad Columnam alligatur mundi columen: nescio, an ut labentem mundum fulciat: an ut ipse stet sibi suarum Victoriarum testis colossus: Nescio, an *Columnam Ignis* dixerim, quæ cum *potestatibus tenebrarum* colluctetur; an Columnam nubis, quæ in optatissimos mundo nimbos resolvatur. Enimverò incumbit in unum furor; sed ante lassatur sæviendo, quàm Bellator Deus sustinendo. Exerit vires omnes inhumana rabies: sed quia in *Petram* inciderant, retunduntur. Procumbit lassata feritas, & tum demum se victam agnoscit, cùm stantem videt, quem volebat oppressum docetque, vel non opus esse impulsore, ut ferocia corruat, quæ suo pondere vergit in ruinam: vel nullis viribus magis lassari crudelitatem, quàm suis. Exsurgit tamen fatigata Impietas; sed ut publico Victoriæ testimonio Victorem coronet. Ducuntur in orbem spinæ, & sacratissimo capiti imprimuntur. Lubibrium jocantis feritatis dicerem; nisi subitò in purpureas rosas exilirent: vel quot sanguinis guttas, totidem corallia Divinæ fronti insererent. Induitur purpurâ coronatus Victor; quæ ut esset *bis tincta*, suo etiam sanguine illam coloravit. Canna pro sceptro porrigitur ab iis, qui meruerant *in virga ferrea regi*. Sed cujus flexile ad clementiā futurum erat imperium, noluit rigorē ferri induere. Quantum effundendum est sanguis, ut pariatur victoria;

ctoria; tantum parcendum est sanguini, ut Pax, victorię filia, conservetur. Vicisti gloriosissime Imperator, & publico etiam hostium testimonio Rex coronatus, mereris triumphum. Admitte, ut prostratus populus genua flectat adorabundus, qui etsi id per ludibrium faciat, malevolentiam elusam intelliget. Sæpè invidia invidendorum materiam dedit. Sæpè odium ad desiderata perduxit exosum. Et illa, & istud cæcitate laborant: & cùm viam non vident, in contrarios abeunt suis intentionibus fines Dũ nocitura machinantur, ferunt profutura. Ludibrij species prætenditur: veritas adorationis exprimitur. Subjectio, dum simulatur, constituitur. Illud unum jam restat, ut coronatus Victor Capitolium inscendat triumphaturus. Sed Mortis Victor inter calvarias & mortuorũ ossa triumphet, ut approbato antiquitatis ritu etiam triumphanti memoria mortis ingeratur. Elevatur in aëra jam terrâ altior, & porrectis ad geminas mundi partes manibus amplexũ devicti orbis disponit. Applaudit Cœlum subducto Sole; ut alterius non indigum lucis profiteatur, qui suo tam illustris est in triumpho. Applaudit terra jam mortuorum impatiens, dum triumphatâ Morte suis è tumulis rediviva corpora effundit. Applaudunt rupes, quæ in partes discissę, vel festivo fremitu sua gaudia contestantur; vel in Augustum Triũphatori palatium sponte concurrunt. Illud jam à vobis desiderari concipite, *Academici*; ut nõ segnes triumphorum plausuumque Spectatores assistatis. Sub navo duce non bene militat ignavus miles. Imperatoris opprobrium est, segnibus imperare. Exemplum Ducis imperium est militis. Quâ præit ille, viam sternit ad sequelam. Efficacissima ad æmulationem

tionem

tionem eſt exhortatio, quæ verborum parca, egregiorum facinorum eſt fœcunda. Ite pares animis in bella; pari gloria Triumphum reportaturi.

Dicta Viennæ Auſtriæ ad Academicos.

ORATIO XVI.
DE PASSIONE DOMINI.

Amor Dolore probatus.

SI quod unquam, vel audaciâ ſingulare, vel immanitate horridum, vel crudelitate funeſtũ, reliquorum omnium criminum compendiũ, à mortali genere in ipſam Divinitatem ſacrilege patratum eſt ſcelus: ſi quæ unquam in Divinæ Juſtitiæ foro verſata cauſa in meritas per deteſtandam impietatem offenſi Numinis pœnas Divinam vindictam evocavit, ſi quæ unquam ſpectata Tragœdia ab immanitate barbara, ab eventuum feritate crudelis, à novitate ſucceſſus impia, Amoris ſpectaculum publicæ hominum recreationi admiſit: ea nobis univerſa hodierno die (ſi tamen dies nominari poteſt; quo *Lux Mundi* funeratur) & expendenda animis proponuntur, & emollitorum pectorum lachrymis deploranda. Deus occiditur. Hoc noſtrum eſt immane facinus, vel ipſis etiam belluis execrandum. Hæc eſt Juſtitiæ victima, quæ una potuit in fulmina exertã manũ conſtringere, & irati Numinis flammas conſopire. Hæc eſt funeſtiſsima Cataſtrophe, in quâ una omnium ad vitam occiditur *Vita*, ad ſalutem *Salus* funeratur. O quàm duro partu generantur profutura? Sed non eſt molle Amoris ingenium. Roſas ſpirat, ſed ſpinis vivit: mel ingerit, ſed felle paſcitur:

amœnis

amœnis aptat,ſed aſperis innutritur. Si impetimur, ſe objicit : ſi patimur,cōpatitur: ſi dolemus,ſentit: ſi percutimur,vulneratur: ſi mordemur,laniatur:ſi ægrotamus;emoritur. O Tragicum morientis Dei ſpectaculum!ſed ô amœnum exhibiti in nos amoris teſtimoniū. Jeſus emoritur. Dixi omnia. Ille,qui in mente Patris Æternum eſt Verbum ; qui in proceſſione Spiritus eſt principium; cui hæc rerum creatarum Reſpub.ſua debet exordia; qui in rerum productione Omnipotentis eſt brachium,in ſingulorū digeſtione eſt Idea , in omnium ordine eſt Sapientia , in Electorum prædeſtinatione eſt *Liber Vitæ*, qui officiò eſt *Mediator Dei & hominum*, naturâ eſt Bonitas, eminentiâ Majeſtatis eſt Deus : ille ut nos redimat , venditur;ut nos liberet, catenatur; ut nos ſanitati reſtituat,vulneratur,ut nos à morte ad vitam reducat, emoritur. Percurramus univerſam cruciatuum ſcenā, ut amoris in nos argumenta videamus. Nuſquā enim ſpectatur amor luculentiùs quàm in tormentis. Primùm igitur noſtræ infelicitatis dolore tactus ingreditur Olivetum;non tam ut amœnitate loci profundū mœrorem animo eruat ; quàm ut oleum referat noſtrorum vulnerum acerbitati leniendæ,quòd cum *in terra maledicta* non reperiret,*factus eſt ſudor ejus tanquam guttæ ſanguinis decurrentis in terram.* Adeò ærumnæ noſtræ omnem exceſſerant lachrymarum ubertatem,ut jā deberent toto corpore deplorari Dicerem univerſa ſudantis membra,migraturę de corpore animæ jam præſagâ , præoccupatâ lamentatione veluti mortuum complorare ; niſi crederem magis ab Amore ſudanti Deo mille oculôs aperiri, quibus & noſtras intueatur miſerias , & miſertus deploret. Dicerem

 frigi-

frigidum esse, ac supremum demortui balneum; nisi Amor illi pro anima esset; qui ignis cùm sit, frigus non admittit. Iste fortassis est baptismus ille, cujus ardentissimo nuper incensus desiderio, in votorum suorum expectatione dies reputabat sæcula, momēta annos existimabat. Hoc est *Vinum* illud, quod *vitis vera* sub Amoris prælo ad *lætificanda* miserrimorum *hominum corda* distillavit. Hoc est sacerrimum balneum, quo lavatur victima ad *Sacrificium Vespertinum* præparanda, & ad Amoris aras nostræ Redemptioni immolanda. Hæc est optatissima pluvia; quâ *terra maledicta*, quæ *spinas & tribulos* hactenus *germinavit*, posthac ad fœcunditatem liberaliter irrigatur. Hic est salutaris fluvius, qui dubitantes in æstuoso salo animorum nostrorum naves ad portum felicitatis deportet. Taceantur jam vetusta Moysis prodigia, qui Nili aquas in Ægypti fœcunditatem sese evólventes, ad sceleratorum supplicium commutavit in sanguinem, quando ex *Paradiso voluptatis* exuberante alveo decurrunt flumina ad emolliendam terram; de qua novus Adam formetur. Taceatur sanguinis Abel formidanda nimium ad ultionem peroratio; quando tot verbis clementiam loquitur Sanguis Christi, quot guttis distillat. Occludat os suum terra, quo à Justo vindice Deo in universi crimina ultionē provocabat; quando & ipsa *Misericordia* inter Olivas sudat, & os suū terrę applicat, ut clamātis voces intercipiat. Vos verò, Academici, cadentibus guttis corda subjicite. Nā

Hinc quota fusa cadit guttula, gemma cadit;

cujus pretio facilè ematis Paradisum. *Vnius gemmæ preciosæ in agro absconditæ* avarus Nundinator *vendit omnia, quæ habet, & emit agrum illum:* & tam copiose

copiose per patentem agrum sparsę laudabilem vestram non irritent avaritiam? Si *meministi homo, te pulverem esse*, totum te cadentibus rivis subjice: ut commistione sanguinis ac pulveris salubre lutum efficiatur, efficacior cœcitati tuæ medela, quàm commixta olim terræ saliva. O portentum! Abundamus medicinali succo, & *vulnera nostra non obducunt cicatricem*. Natamus in balneo sanguinis, & obstinatam peccatorum lepram non deponimus. Effundunt sese, tot propè rivis, quot poris, ex Amoris officina, vivacissima Charitatis incendia, & pectorum nostrorum glacies nondum eliquatur. Interim pertinaciâ nostrâ nō frangitur constans Amor, sed *tradidit semetipsum* spontè in vincula & catenas. Venditur vilissimo pretio, ut tantò faciliùs ematur à singulis mundi Thesaurus. O prodiga Avaritia, quę tam vili æstimat *Thesaurum infinitum!* Remittitur pretium à venditore ad emptoris arbitriū, ut quo libuerit, emi posse intelligamus. Basio proditur; nec recusat blandissimam Amoris illecebrā. Applicat os ori, ut *inspiret spiraculum vitæ* in putidum illud Judæ cadaver, pestiferum ipse mortis halitum excepturus. O durum Proditoris ingeniū! non movetur. O silex! non frangitur. O marmor! non rumpitur. O rupes! non dissilit. O Tigris! non mitigatur. O monstrum! nullam mitescit ad humanitatem. Quid agit reliqua Amicorum turba, dum unus ferocit *Ami us? Omnes relicto eo fugerunt.* Nunquā scilicet *relinquendi omnia* pręceptum adimplevissent, nisi deseruissent unum, *qui est omnia in omnibus*. Dilapso per Panicum timorē universo Christi comitatu irruunt uno impetu feroces lupi in Pastorem; rabiosi canes in assumptam *Verbi car-*

nem; immanes vultures in *Columbam*; irritati Leones in *Agnum* innocentem. Vinciuntur manus illę, quę semel *aperta implent omne animal benedictione*. Quid miraris, si jam mille in sontia Hebræorum capita fulminentur maledictiones, postquam pronissimæ ad benedicendum manus sunt constrictæ. Ligantur amplissima illa Charitatis brachia, quæ Deus è cœlo protendit; vel ut nos labantes sustineat, vel ut omnes uno charitatis amplexu cõstringat. Catenatur à Servis mundi Imperator: conjicitur in compedes liberatis Assertor: conculcatur à reis sanctitatis apex: profanatur à belluis Divinitatis sacrarium: incenditur & expilatur à Furiis Paradisus Voluptatis. Sed nihil est tam funestum, quod non vertat Amor in emolumentum. *Cadit in terrã granum frumenti*, ut in communem mortaliũ esuriem fructum afferat copiosiorem. Calcatur pedibus *Botrus Cypri*, ut vinum exprimatur universali hominum saluti propinandũ. Proteritur ab iniquis Justitiæ *Via*, ut tandem discant, suis ab erroribus avocati, *Viam salutis* ambulare. Prosternitur Pastor, ut faciliùs *ovis perdita* ejus humeros possit inscendere. Conteritur *Flos campi*, aut *Lilium convallium* ut vel hinc bonum odorem contrahant; qui malè semper oluerunt. Transcurramus tribunalia, ubi pro *mendacibus filiis hominum* stat *Veritas*; pro reis *Innocentia* perorat. Sed neutra facunda est; se exhibuisse contenta. Hoc ipso amputantur crimina, quia imputantur. Qui facta prætendit, verbis non eget. Mutus perorat, quę vita excusat. Causę bonę proprius est Advocatus, Silentium. Silet ergo *Veritas*, quia loquuntur mendacia. Ut iniquitates nostras patientiâ dissimulet, oculos sibi patitur obvelari.

Ad ſacra & profana tribūnalia, ſacrilegè utrobique accuſatur; ut quia jam pridem ab utroq; foro exulaverat Juſtitia, tandem in utroque ſpectaretur. Exiguntur à Regum ſpectro miracula: & dum patrantur, negliguntur. Adeò ſtoliditas nunquam æſtimat *Sapientiam*. Induitur alba veſte ab iis, qui nigrum Theta meditabantur; & veſtimenti candore oſtenditur innocens, in quo cauſa mortis quærebatur. Sed depone iterum Chriſte, tuæ innocentiæ teſtem candorem. Nemini hunc colorem diu gerere in Aulis Principum licet. Pullata incedit Innocentia, ubi honorum ambitio candidatur. Detrahitur innocentiæ ſymbolum; quia fortè nocens videri potuit, qui ſcelera noſtra in ſe ſuſceperat. Avertite à nuditate oculos, Academici. Omnis aſpectus, omnis nictus graviſſimum eſt tormentum verecundiæ. Nudatur tamen. Adeò Amoris æſtus prævaluerat, ut neque veſtes toleraret. Alligatur frigido ſaxo; ut calor temperetur. Incumbit horrida flagrorum tempeſtas; ut miſſo ſanguine febrilis Amoris ardor mitigetur. O durum ſemper ſanctiſſimi Amoris experimentum! Coronetur jam tuus amor, amantiſſime Jesu: ut ſi coronæ ſunt conſummatæ ſtructuræ argumentum, non remaneat Amoris opus imperfectum. Sed coronetur ſpinis. Amor mollis roſas amat: durus ſibi ſpinas reſervat. Fuerit olim vetitum *colligere de ſpinis uvas*; una *germinans vinum charitatis* inter ſpinas adoleſcit. Fuerit olim vaticinium, *ſepiendam eſſe viam ſpinis*: hodie in *Via ſalutis* eſt exemplum; non ut eam terentibus ſit offendiculo; ſed quiſquis illi cœpit inſiſtere, ad progreſſum ſtimuletur. Fuerit olim ſanctè prohibitū *ſerere inter ſpinas*: hodie *Granum frumenti cecidit inter ſpinas*, ex

quo olim *panis Angelorum* conficiatur. Estnè adhuc aliquid, quod ad probatissimi per dolores amoris testimonium possis adjicere? Est, est omnino. Moriatur. Hæc suprema est Amoris nota, animam exhalare; ut amato amantis vita inhaletur. Subi ergo fatalem Crucem patientissime Jesu. Parum est trabalibus clavis ad publicam mundi infamiam extensus affigere. Hæc est amoris meta. Conscende in arborem *fructus Vitæ*. Extende pedes; ut impleas Amoris mensuram. Expande brachia; vel ut totum pectus pateat, amplissima Amoris sedes; vel ut mundum universum in tuos ruentem amplexus constringas. Effunde liberaliter cruorem omnem, qui per latentes venas discurrit; ut qui nostra non satis suffundimur verecundiâ, tui sanguinis effusione erubescamus. Demum morere *Vita*, extinguere *Lumen*, exspira *Salus*; & inclinato capite, supremo Amoris nutu mundo valefacias. Restatnè adhuc aliquod, quod sui præbere possit in nos amoris documentum? Restat omnino, ut ipsa Amoris viscera adactâ cuspide aperiantur. Et ecce jam patent oscitante portâ *per cordis vulnera* Amoris viscera. Si amicus es, agnosce amantem, qui proprium etiam pectus tibi reseravit; ut nihil sibi retineret, non commune amico. Unum ego hic vereor; ne qui moriturus sese à Patre derelictum supremâ lamentatione querebatur, mortuus quoque se à nobis deseri lamentetur; dum ad molles projecti amores duriora fugimus experimenta. Non credo Amori inter rosas delicianti. Illum probo, quem exercuerunt aspera, & ad Ideam amantis patientisque Dei severior tolerantia efformavit.

Dicta Viennæ Austriæ ad Academicos.

ORA-

ORATIO XVII.

DE PASSIONE DOMINI.

Arca in Diluvio.

QUi ſub Auroram naſcentis Jeſu in ſanguineo rore ſucceſſuram ad Vitæ veſperum cruentam pluviam non vani Augures ſumus ominati; hodie diſruptis cœli cataractis & vicos & compita Hieroſolymæ, vicinoſque Oliveti & Calvariæ montes exundante ſepeliri ſanguine experimur. Quæ una res ad humani generis fœditates expenſa, in eam me abducit cogitationē; ut non vanè ſuſpicer univerſale quoddam ſanguinis diluvium ad mundi expurgationem nobis imminere. Nam, ſi unquam aliàs, hodie certè in eam declinavit infelicitatem *omnis caro*, ut *corruperit viam ſuam*; quando ſalutis ſemitam, Regiam Cœli *Viam* per execrandum poſteritati nefas impiâ conculcatione dilaceravit. Et verò ſive iratus ſceleribus, ſive noſtræ ſalutis amantiſſimus Deus ad deteſtandæ turpitudinis ablutionem adjiciat animum; jam non tenues rivi, non mediocres fluvij, nō clauſa littoribus maria; ſed repetitus undarum Cataclyſmus latè orbem occupanti fœditati eſt immittendus. Ubi modū excedit turpitudo, tenui rivo non abluitur. Ubi totus Orbis una eſt macula, non poteſt niſi diluvio dilui. Immergendus eſt totus, qui ſubmergi eſt meritus. *Corrupto* ſæculo nemo *integer* debet conſervari. Una Navis in communi orbis interitu ſalutem pollicetur. In exundante Salo, una Salus eſt Arca. Si quos igitur blandiſſimus vitæ amor ſollicitat, una in medio mari Salutis

portus est Arca. Properate Academici, dum illa vestro refugio aperitur. Jam enim fatalem in nubem *congregati Principes Sacerdotũ concilium ineunt*, horridamque mundo tempestatem comminantur. Jam Oliveti collis mœrorem induit, positoque pacis symbolo, in grave bellum asperatur. Concurrũt in sacram amœnitati sedem pavor & tædium, & offusis umbris *Lætitiæ Solem* obnubunt. Nec cruoris parcę aperiuntur in nimbos, manantque uberes *guttæ Sanguinis* decurrentis in terram. Arcam Domini primæ tempestatis cōminatiō penè submergit: quid faciet extremus furor? Jam rimas agit, per quas intrant angores mortis; & sanguinem, Vitæ succum violenter extrudunt. Fatiscit oneraria, quia gravissimum pondus, universi peccata, susceperat. Advolat è cœlo Aliger, ut semel commissa pelago, fausto Alite provehatur. Sed qui vacuę navi parcunt Piratæ, Onerariæ insidiantur. Proditur, quia *Thesaurũ mundi* vehebat. Adeò quod preciosum est, objectũ est odijs. Invidia non vili pascitur, quæ alienam felicitatem deglutit. Vilissimi pretij homo *triginta argenteis* pretium sæculi vendit. O nunquam aliàs prodiga avaritia! Si mundi gemma, thesaurus cœlì tam modico æstimatur, quàm parvi te faciemus Piratarum incentor! At furis ea est indoles, parvo licere etiam summa quæ furto subduxerit. Reddere tibi proprium bonum illud voluisti, quod toti orbi commune fuit. Non poteras graviore argumento te furem probare. Sed licet, etiam Justitiæ sententiam executionemq; suffurare; ut *laqueo suspensus* intereas. Non potest tuo sacrilegio dignior manus, quę te ad vindictã protrahat, inveniri. Animadvertit instantes Piratas *Navis institoris de longè portans panem*,

panem, & ut caninam famem saturet, *Panem vivũ qui de cœlo descendit*, offert in occursum. Accedit ori propior; sed qui jam per buccellam Diabolum fuerat epulatus, nauseat *Panem Angelorum*. Ipsis labijs se insinuat *Panis Vitæ*; sed mordetur ad mortem. *Amicus* salutatur, sed hostis proditur. Panditur amplissima ad Arcam janua per amplexus; sed venenata animalia sedem non habent intra Arcam salutis. Nihil proficit amor, ubi furor insanit. Velut tempestate correptus non incedit, sed agitur, & ad arbitrium jactantis undæ præcipitatur. Unus nutus omnium est imperium Quo primus torrentis impetus perrumpit, sequens procellarum tempestas devolvitur. Primum morsum per osculum infigit Judas, & *Canes multi* parē in rabiem concitantur. Olebat ex Arca Institoris *Panis Vitæ*, & canes efferavit in esuriem omnino crudelē. Tunc primùm *Panis non mittendus canibus*, conjuratis morsibus est impetitus. Irruunt barbarâ inhumanitate in Arcam: & quia gravissima secum scelera inferebant: sidentem penè submerserunt. Nihil enim peccato potest gravius excogitari, sub quo etiã Deus fatiscit. Terrentur eo periculo tot Achatæ, quot Discipuli; & in fugam aversi dum salum vitant, salutem perdunt. Quia paulò antè *oculi eorum erant gravati*, fortè eo pondere mergi timuerũt. Sed quàm essent leves, suâ fugâ ostenderunt: quæ tamen eos reddidit graviores, dum conscientiam oneravit. Ut expeditior ad fugam esset Adolescens; etiam vestem rejecit: apparuitque nudum scelus, quod cæteroquin solet peregrino sese pallio convestire. Sed recedenti à Deo omnis honestas est gravis. Poterant existimare se periculum evasuros; sed adiisse repererunt;
dum

dum eo passu periculum venit, quo a *salute* discceditur: qui nō potest in solido figi, cùm ipsum Cœli terræque *Firmamentum* jactetur. Ipse Petrus, quem *Petram* à constantia credidi, senij sui oblitus, vegetos spiritus ad fugam exeruit. Nunquam aliàs visa *Petra* est tantâ motùs velocitate ferri. Agitur interim per Piratarum insaniam navis in brevia; & inter latrantes Syrtes fluctibus verberatur. Portus credi potuit, vel optari Domus Annæ & Caiphæ, quia sacra: Syrtis fuit. Hic despumantes iræ, totam navim *consputuerunt*. Ibi spumat atrociùs mare, ubi impingit in saxa. Saxa credideris Judæorum corda, quæ immani crudelitate induruerant. Non est jam fabula, Poëtica Metamorphosi conversos in saxa canes latratu naves terrere, quando *Canes multi circumdederunt* Arcam, & horrendo circùm latratu infremuerunt. Integer corrupto eo sæculo existimari potuisset Caiphas, nisi vestem dilacerasset. *Intraverant aquæ usque ad animam*, & intumuerat; angustumque tanto tumori indumentum disrupit. Non potuit amictus integer velare corruptum animū. Nihil violentiùs sese protrudit in lucem, quàm scelera, quæ nascuntur in tenebris: quæ quò majora sunt, minùs possunt latere, eluctante per opposita repagula fœditate. Crescit enim intra seipsum scelus, donec angustijs animi majus erumpat in apertū. Reclusus Pontificis sinus sanctitatem spirare debuisset, diras eructavit. Blasphemiæ Sanctitatem arguit, & blasphemiam eructat. *Ex abundantia Cordis* tunc os *locutum est*: sed silente Veritate, mendacium. Stetit adhuc inter allatrantes Syrtes quieta Navis; non tamē inconcussa, quando plagiariâ manu est verberata. A Syrte ad Charybdim impellitur,

tur,ut quæſtionum gyris involuta abſorbeatur. Sed cùm ſilentio ſe firmaret, non potuit *Verbum* capi in verbo. Jactantur convicia, volvuntur calumniæ, rotantur falſa teſtimonia: cùm verò *non eſſent convenientia*, ſuâ ſe diſcordiâ diſſiparunt. Nihil ſe faciliùs conficit, quàm diffidentium multitudo teſtimoniorum. Nam ut à concordia robur accipiunt; ſic à diſſidio enervantur. Debuiſſet penè oppreſſæ Onerariæ in ſubſidium venire Petrus, ſed ejus oculi adeò fœditate ſæculi tenebantur occupati, ut jam *non noſceret hominē.* Ubi tamen Sol Juſtitiæ, illuxit, & clementi oculo Petrum aſpexit, reſoluta eſt fœditatis nebula, & uberes ex oculis pluviæ ad abluendam turpitudinem diffluxerunt. Interim à Charybdi in ſcopulos agitur navis, & exundante diluvio fatigata deſidit. Iniquitatis mare mari ſanguinis permiſcetur, & pugnante furoris amoriſque æſtu ad rupeam *Columnam* Arca allidittur. Sed ſalus effulſit, ubi interitus quærebatur. Firmavit Arcam ſcopulus, ad quem rumpenda credebatur. Dum repetitâ fluctuum inſaniâ laceraretur, ſtetit infracta. Externum vulnus admiſit, integritatem tamen non amiſit. Labare viſa eſt deficiente furoris procellâ: ut feliciùs nataret, ipſa ſanguinē ſuppeditavit. Hujus *gutta quævis*, quia *fuit infinita*, tot Oceanos crede inundaſſe, quot guttæ exundaverunt. Ad extremum ferocientium Ventorum impulſu in montes delata navis conſtitit in Calvaria. Hic demum tempeſtatis finem præſtolemur, Academici Unitrabi adhæret Arca, in qua ſola poſt orbis naufragium *Salus* reperitur. Aperiuntur immani hiatu vulnera, dicam feneſtræ, per quas Columba fortunatæ oleæ bajula emittatur. *Emittitur* demum *Spiritus*. Hunc

vos

vos Columbam existimate; qui Spiritum sanctum Columbam esse non negatis; at certâ spe credite post paucos dies, si non rostro, certè in linguâ olivam pacis allaturam. Jam enim video *Spiritum Domini ferri super aquas*, & si augurari licet, ex demersi orbis confusione novum mundum evocare; in quem exantlato labore sepultæ vetustatis reliquias Arca Domini in sanctiorem humani generis propagationem deponat. Video congenitas rupes à semetipsis discedere, & sanctissimi diluvij sanguine consperfas dissilire; ut (si omen intelligo) se construendo æternæ Pacis templo præsentent. Video commoto *Centro* universam terram trepidare, ut (si me non fallit opinio) vel vetustatem suam omnino excutiat; vel publicâ subsultatione conceptum de indepta serenitate gaudium contestetur. Video aperiri sepulchra, Libitinæ jura infringi, Mortis accidi imperia, tumulatorum Manes ad vitam redire, ut (si non erro magnopere) stabilitâ pace *Mors ultra non dominetur.* Video divulsos in partes hiare campos, ut submotâ iniquitatis inundatione saluberrimi sanguinis diluvium bibant ad perennem fœcunditatem. Audio sibilare Ventos, ut (si veritatem assequor) vel enubilent tandem sedatâ tempestate Cœlum; vel semitas nostras exaggeratâ scelerum effusione defœdatas emundent. Video demum in explicatis pendentis Dei brachijs patentem Iridem, & memoriæ ingeritur sancitum fœdus pacis nunquam interrumpendæ Attollite tandem oculos, Academici, quos communis hominum verecundia tenebat depressos, & cùm pendentem *in nubibus Arcum* intuemini *benedicite eum.* Si illum, *Grande supercilium Cœli* esse vobis hactenus persuasistis,

nunc

nunc cùm terræ obversum aspicitis, sublatâ Divini oculi severitate, demissum gratulemini, quem arrectum in justissimum furorem tamdiu priora sæcula formidarunt. Si illum *in fine seculorum*, sub mundi vesperam, declinante in occasum Sole comparuisse animadvertitis, secuturam certo & inevitabili prognostico serenitatem expectate.

Dicta Viennæ Austriæ ad Academicos.

ORATIO XVIII.

DE PASSIONE DOMINI.

Pœna peccati per Crucem soluta.

QUod unum ab exordio mundi severissimam Dei manum provocavit in furores, *omnemque* latè *creaturam armavit ad* mortalis generis *ultionem*; illud tandem temperato hominis à *facie Dei fugientis* timore cum ponderósa humanæ carnis sarcina salutis nostræ supremus. Vindex assumpsit. Nam *factus pro nobis peccatum*, unus *iniquitates omnium nostrûm portavit*. Et verò quia sacrosancta Numinis decreta, immutabiles rationis leges, Urbium ac Rerump. tabulæ suas semper sceleribus pœnas sanciverunt; par erat, ut in quem Universi crimina incubuerunt, in eundem quoque pœna toto pondere inclinaret. Poterat equidem suâ involutus innocentiâ imperare naturæ, cruciatuum ac tormentorum violentiam eludere, aut gloriosi corporis impenetrabili scuto præmunitus dolorum acerbitatem evitare: at ubi pro reis stetit fidejussor, ac debitum omne, quod per offensi Numinis injurias

injurias contraxeramus, exsolvendum suscepit; non potuit illud non debitâ ac commensuratâ satisfactione compensare. Quod quidem, etsi vel unâ inter Oliveti umbras oratione, vel unâ arbitrij sui in voluntatem Patris abdicatione, vel una cruenti sudoris guttulâ abundè præstitisset; pro suâ tamen affectus immensitate, post vincula & catenas, post risus & ludibria, post tribunalium injurias & blasphemias, post alapas & flagella, post irrisoriam purpuram & plexa de spinis diademata, post sententiam mortis & patibulare pondus in Calvariam deportatum, universa illa, quæ *Mortis chirographo contra nos* scripto continebantur, in Cruce demum eminente supra debitum pretio liberaliter, ne dicam prodigè, persolvit. Quare, quia universa delicta nostra in septem omninò capita, velut in totidem *iniquitatis semitas* discedunt, ea omnia patibulati in Cruce Numinis doloribus extincta considerate.

Ac primum quidem scelerum nostrorum caput est, fons & origo cæterorum, malè fœcunda radix prevaricationum, parens & nutrix iniquitatum humanorum Divinorumque Jurium ac Legum contemptrix Superbia; quæ præsumptuosa ambitione *supra omne quod colitur, aut dicitur Deus* à precipitij sui amatore Angelo efferebatur. Luat debitas pœnas hæc arrogantis animi insolentia; & quæ cum suo Duce sublimem *in Latere Aquilonis sedem* affectabat, Crucis infamiâ ad publicum orbis ludibrium puniatur. Contremiscit attonitus animus, trepidat lingua, hærent verba, cùm Regem gloriæ video ad eam infelicitatem devolutum, ut cum iniquis reputatus infami ligno suspendatur. Quis credet vacare culpâ, quem videt inter Latrones dam-

lamnatum ad mortem? Diceturne *Princeps Pacis*,
qui incentor dissidiorum per summam calumniam
pronunciatur? Coleturne *Magni Consilij Angelus*,
qui per Pontificum Concilium extra urbem ejicitur, & in sceleratorum numerum aggregatur? Credeturne *Mundi Salus*, quem *non posse seipsum salvum facere*, jam toti populo persuadetur? Adorabiturne *Filius Dei*, qui convitijs sollicitatus *non descendit de Cruce?* Nullum vulnus magis in interiora viscera penetrat, quàm quod infligitur à calumnijs. Nam quid est tam sublime, quod non impetunt? quid tam excelsum, quod non concutiunt; tam firmum, quod non convellunt, tam magnificū, quod non avertunt; tam honoratum, quod non contaminant? lacessunt honorem, involvant ęstimationem, impugnant nomen, expugnant famam, extinguunt gloriæ splendorem. Hæc verò tantò acerbior est plaga, quantò nobiliorem sanguinem in vultum evocat ad ruborem. Lacessitur tua Deus omnipotentia ad infirmitatis opprobrium; quia nostra se temeritas superbè nimis jactavit ad robur. Involatur tua fortitudo ad virium defectum: quia nostra se audacia ad præsumptionem extendit. Incingitur tua bonitas latronum satellitio, quia nostra superbivit malitia adscitâ probitatis simulatione. Illuditur tua Sapientia ad stultitiæ irrisiones; quia nostra sibi stultitia sapientiæ nomen arrogavit. Arguitur tua innocentia sceleris; quia nostra sese scelera innocentiæ pallio ambitiosè convestiverunt. Universa tua attributa extinguuntur ad tenebras, quia nostra popularem lucem nimis affectavit ambitio. O insane mortalium tumor, quàm penè ad nihilum omnem Cœli gloriam redegisti! O superba homi-

hominum arrogantia, quam in abyssum eminentem Dei honorem præcipitâsti! Patere, si potes, Miles, pusillanimitatis cavillum; qui nescis quid sit *Deum exercituum* enervari. Dissimula stultitiæ nomen Philosophe: qui nescis, quid sit Sapientiam stultitiæ in morem tractari. Tolera innocens te ad probrosam furcam damnari; qui nescis, quid sit insontem Dei filium in patibulare lignum acclavari. Non indignare nobilior sanguis, si servili accensearis; qui nescis, quid sit & Divino & Regio stemmate natum Christum ludibrio haberi. Quæ omnia, si justâ animi trutinâ ponderaveris, intelliges tuâ superbiâ ad excessum pœnarum Deum esse deductũ; quando profundiùs ille suam majestatem depressit, quàm tua se in altum arrogantia elevaverit.

Jam verò, quia non uno contenta alveo malitia nostra per efferatam rabiem sese effudit in crudelitatem, expietur patientis Dei infractâ tolerantiâ crimen, quod nostra per violentum furorem acerbitas contraxit. Vidisti ferocientem barbarâ iracundiâ hominem non stare pede, citare gressum, tonare manu, minari voce, ardere vultu, flammare oculis, jactare caput, tumere venis, toto corpore efferari? Vide jam in Crucifixo Deo illam pedum inquietudinem, injectâ per acerbissimos clavos morâ firmatam, illa manuum tonitrua confixis in Crucem palmis sopita; illum ardorem vultûs livore extinctum; illas oculorum flammas mortali frigore occupatas; illam capitis jactationem quietâ in pectus reclinatione compositam; illum venarum tumorem exhausto sanguine depressum; illam totius corporis feritatem mitissimâ clementiâ mansuefactam. Non crede illos belluinâ crudelitate perterebratos pedes

in

ita elanguisse, ut non possint inimicos suos justissimo furore proculcare. Non puta illas in trabalem quercum confixas manus ita contineri, ut sese ad debita criminibus nostris fulmina non possint extendere. Non existima illam *Leonis de tribu Iuda* vocem ita debilitatam, ut nequeat ad universi trepidationem irrugire. Non cogita illum divinissimi vultus ardorem ita extinctum, ut non possit *in circuitu inimicos suos inflammare*. Non arbitrare flammantes illos justissimi Judicis oculos ita consopitos, ut nequeant in repetita Pentapolitarum incendia evigilare. Non tibi persuade illud caput ita flaccidum in pectus inclinari, ut non valeat se erigere ad ultionem. Non æstima venas illas & nervos ita exhaustos esse, ut non possint in arcum Divinæ ultionis applicari. Non opinare denique totum illud corpus ita esse dilaceratum, ut non possit in furorem exacerbari. Sed una est pertinacissima dolorum tolerantia, quæ pedes figit, manus tenet, vultum componit, oculos serenat, vocem mitigat, caput inclinat, nervos remittit, totum corpus ad clementiam demulcet. O dura nimis patientis Jesu tolerantia! ô acerba morientis patientia! Sed nostra hoc meruit infrænis vesania, ut castigaretur in innocente, quod nocentes deliqueramus. Quæ verò acediæ nostræ expiandæ sufficientes pœnæ invenientur? Torpemus damnando veterno, somnoque & otio penè diffluimus: Deus fatali suspensus ab arbore, veluti è militari specula pro nobis excubias agit. Languent ad debita Numinis obsequia inobsequentes pedes: Deus ad obedientiam suos trabali clavo exstimulat. Tepent ad amicorum subsidia enerves manus: Deus in auxilio nostra ad mensuram

suram Crucis suas extendit. Indormiunt segnia nostra capita olorinæ Smyndiridis plumæ: Deus ne torpori indormiat, *nõ habet ubi reclinet caput suum. Positi* quondam fuimus *in Paradiso* ea lege, ut indefesso labore *operaremur eum*: sed cùm otiosè dies transigeremus, Deus in culturam amœnissimi illius campi aratrum Crucis applicuit. Jussi quondam fuimus *vigilare, cùm adversarius noster circuiret, quærens quem devoraret*; sed cùm *oculi nostri essent gravati*, ipse Imperator Turrim Crucis inscendit adversarium observaturus. Imperium acceperamus, ad expugnandum cœlum, *quod violentiam patitur*, laboriosas manus applicandi; sed cum jacerent vires, Arietem Crucis Deus admovit. Ite, ite imbelles animæ, torpentes spiritus, enervia pectora: ite, & torpori vestro à spinis stimulos, à clavis incitamenta vigoris mendicate: vel si mavultis, jacete, torpete, diffluite: unus in tanti criminis pœnas stabit Deus, vigilabit, confliget. Sic nempe rationis imperia, sic Reip. vestræ sanctissima decreta postulant, ut jaceatis otiosi, cùm stat in acie Imperator; torpeatis quiete, cùm ipse laborat; diffluatis veterno, cùm ipse confligit. Ite & vos delicata Voluptatis mancipia, sumptuosæ in convivia Cleopatræ, insatiabiles exhausto mari Antonij, educati ad mensas Heliogabali, & pudendam deliciarum vestrarum enormitatem, ad sitim potumque emorientis Dei commensurate. O cruda bellua, infamis gula! tu ardentissimâ siti exhaustum Dei pectus accendisti, quando eporo Voluptatis mero solas fæces superstites Deo reliquisti. Tu sacratissimis labris acetum admovisti, quando transacta inter cupedias vitâ diffluxisti. Tu felle dulcissimum Deo palatum amaricasti;

ricasti; quando quidquid est suavitatis in vitâ, nimiâ aviditate absumpsisti. Vindemiasti *vineam Domini*, & acerbam uvam Deo reliquisti. Expressisti *Botrum Cypri*, & sitire docuisti. Injecisti in torcular, & penè pondere oppressisti; sed sitim non levasti. Si verum est aceto durissimas alpes dissiluisse; satius erat nostro pectori id admovere, ut tandem confringeretur. Si potuit aliquando fel piscis Tobiæ oculis infusum, diu desideratam lucem restituere; debebamus nostræ illud cœcitati reservare, ut invidentiæ oculum aperiret ad serenum aspectum felicitatis alienæ. Nam quæ unquam vita tam fuit intaminata, quam nostra invidia non maculaverit? Quæ honoris & famæ curules tam excelsæ, quas livor non arroserit? quæ Virtus tam illustris, quam inductâ nube non obscurarit? quod meritorum pondus tam exaggeratum, quod non diminuerit? quæ sanctitas tam munda, cui non negaverit venerationem? quis mortalium tam amabilis, quem non ad mortem persequatur? Sive affulgeat fortuna, sive emineat natura, sive cumulentur privilegia, sive prosperetur industria, sive inclinentur favores, sive assurgant dignitates; una invidentia fortunam suffocat, naturam premit, privilegia accidit, industriam retundit, favores intercipit, dignitates evertit. Nec placatur insana violentia, vel amabilitate personæ, vel meritorum dignitate, vel obligationum numero, vel vinculo amicitiæ, vel sanguinis cognatione. Sit fraterno obligatus sanguine; ipsa Cain erit, ut innocentem Abelem contrucidet. Sit Pater; ipsa Alexander fiet victorijs Philippi exulceratus. Sit amicus; ipsa Germanicus erit applausibus Tiberij sauciatus. Sit Civis unius patriæ,

decennio Athenienſium oſtraciſmi non ſatiabitur. Sit benefactor; ipſa erit Adrianus ſuorum prodigus, ne à Trajano accepiſſe plurimum videatur. Et quas tandem facinoroſæ hujus Medeæ-, quas peſtilentis hujus Circes pœnas lues Deus patibulate? Denudaris: quæ confuſio? Inter Latrones; quod dedecus? manu Carnificis, quæ infamia? Suſpenderis; quis deſpectus: in præſentia univerſi populi; quæ ignominia? in loco ſceleratorum; quod opprobrium? Ut alienam felicitatem ſtabilias, tuâ te abdicas. Exueris, ut veſtiamur: manus affigeris, ne fulminemur: confictas calumnias ſuſtines, ut veras laudes referamus: opprobria toleras, ut honore afficiamur; deſpiceris, ut ſuſpiciamur: expandis brachia, ut *ſcapulis tuis obumbremur*: ſanguine diffluis, ut abluamur: exſpiras, ut reſpiremus: Cor aperis, ut animemur: inaniris, ut Divinæ munificentiæ donis impleamur. Adoro Majeſtatem, ſed obſtupeſco illuſiones: revereor potentiam, ſed admiror infirmitatem: ſuſpicio gloriam, ſed non capio vituperia: contemplor divitias, ſed abripior nuditate. Et tandem in concurſu calumniarum, & opprobriorum, afflictionum & dolorum, cruciatuum & mortis agnoſco læſum in honore Deum laceratum in famâ, laniatum in corpore, ac bonis fortunę exutum; ut invidentiæ noſtræ, quæ alienis bonis affligebatur, debita tormenta exhauriat. Quâ unâ re, abunde quoque Avaritiæ noſtræ pœnas exſolviſſet; niſi circumducto per univerſa bona oculo, inter theſauros munificentiæ ſuæ adhuc Matrem in terris, Regnum in cœlis reperiſſet; quod Divinâ prorſus liberalitate, in humanæ opprobrium avaritiæ, noſtræ utilitati tranſcriberet. Quot ferociſſima illa

bellua

bellua effodit terras, piſcata eſt maria, populata eſt urbes, evertit oppida, vaſtavit provincias, excidit regiones, regna & populos inflammavit? Reponenda erant Dominis, quæ nullo juris titulo per ſummam iniquitatem rapueramus. Quę quoniam prodigâ nimis licentiâ diſſipaveramus, tractus eſt in tormenta fidejuſſor, & una cum ſanguine per ſummos cruciatus exhauſto, Matrem, quam unam habuit in terris theſaurum, reſarciendæ rapinæ noſtræ liberaliter elargitur, Regnum, quod unum habuit in cœlis hæreditarium, Latroni reſignat. Compenſata eſt Avaritia noſtra Crucifixi liberalitate, cupiditas profuſione, tenacitas prodigalitate. Atque utinam non reviviſcat magnarum poſſeſſionum incendium, quod unum etiam ſuo ſanguine damnatus ad Crucem Deus voluit extinctum! Utinam cum ardenti hoc opulentiæ deſiderio etiam improbiſſimæ voluptatis æſtus extinguatur! Audivi olim, cùm procaciſſima Juventutis improbitas in campos effuſa ad mutua ſeſe gaudia invitaret, ſed video hodie in pendentis Dei fronte mœrorem, in vultu triſtitiam, in ore gemitus, in corde ſuſpiria, in voce lamenta, in toto corpore acerbiſſimos cruciatus. Audivi olim, cùm ad coronanda roſis capita ſeſe invicem provocarent; ſed video hodie, quæ ſuperſtites illis ex deliciarum roſeto ſpinæ remanſerant ſacratiſſimis temporibus fixiſſimè inhærere. Audivi olim, cùm pratum illud deteſtarentur, quod amata voluptas ſuis veſtigiis non conſignâſſet, ſed video hodie pedum licentiam trabalibus clavis caſtigatam. Obſervavi olim in oculis humanis curioſitatem, in pupillis petulantiam, in aſpectibus laſciviam: ſed video hodie in Crucifixo Deo curio-

ſitatem ſpinis, petulantiam livore, laſciviam noſtram ſputis & ſanguine expiatam. Animadverti olim in auribus adulationes, & cadentes ad mollitiem animorum ſymphonias; ſed animadverto hodie in puriſſimis Redemptoris auribus inconditos fremitus, mordacia improperia, deteſtandas calumnias, blaſphemias execrandas. Notavi olim faſtidioſas domeſticorum apparatuum nares ultra Panchajam, felicemque Arabiam ſeſe protendere: ſed aſpicio hodie adhuc nauſeantes Dei nares putidiſſimũ Judæ afflatum, & cadaverum calvariarumque congeſtarum putoribus cruciatas. Intellexi olim laborantem intemperie famem facilè parabili non contentam, ad voluptatis irritamentum. Provincias in cerebellis, Regna in unionibus epulatam: intelligo hodie deliciantis guſtûs illecebras felle & aceto expiari. Ite, ite jam malè impenſæ libertatis amatores, quò vos effrenata vitæ licentia propellit: laxate appetitui fræna; excutite moderationis lupata: abjicite Deo debitæ obedientiæ jugum; tranſcendite Divinarum legum propugnacula; immergite deliciis animum; vivite ad projectæ voluptatis ingenium dividite cum ludis noctes, cum jocis dies, cum deliciis annos, cum Flora & Gratiis vitam; dum veſter interim Deus illo molliſſimæ voluptatis apparatu ſæviſſimè contrucidatur. Exhaurite maria, eruite terras, evertite mentes, convellite Regna, ut avaram tandem animæ Charybdim congeſtis opibus ſatietis; dum veſter interim Deus redactus ad incitas *non habet, ubi reclinet caput ſuum*. Contrahite in frontem nubes, in oculos flammas, in vocem tonitrua, in manus fulmina; ut de inimicis veſtris vindictam ſumatis; dum veſtris

inte-

interim offensus odiis Deus, efficacissima oratione Patris indignationem componit, & reis veniam impertitur. Involate alienam felicitatem, ut evertatis; fortunas, ut absorbeatis; famam & honorem, ut contaminetis: dum vester interim Deus laceratur convitiis, proscinditur calumniis, *opprobriis saturatur*, Indulgete somno, diffluite otio, emarcescite torpore & veterno; dum vester interim Deus è Crucis specula pro vobis excubabit. Intumescite vel superbo rerum apparatu, vel dignitatum affluxu, vel honorum sublimitate, vel exaggeratâ adulatorum commendatione: dum vester interim Deus, risus & jocus petulantis turbæ mille improperiis laceratur. O barbare! si Deum delictorum tuorum tam copiosas exsolvisse pœnas animadvertis, & necdum emolliris. O bellua! si à tuis sceleribus, primâ veluti scaturigine, ea tormenta dimanasse intelligis; & audaci novorum adjectione dolorum materiam accumulas. O brutum! si à tuis iniquitatibus occisum Deum audis, & in profundiorem animi considerationem non admittis.

Dicta Viennæ Austriæ ad Academicos.

FINIS.

ORATIONUM NICOLAI AVANCINI,

è Soc. Jesu.

PARS SECUNDA.

DE BEATISSIMA VIRGINE DEI-PARENTE, ET SANCTIS.



ANTVERPIÆ,

Apud Viduam Ioannis Baptistæ Verdussen, Anno M. DC. XCIII.

Cum Privilegio Regis, & Facultate Provincialis.

INDEX ORATIONUM.

ORA-

ORATIO I.
DE IMMACULATA CONCEPTIONE
BEATISSIMÆ VIRGINIS,
Ex ore Altiſſimi genita.

SEmel loquutus DEUS, Citharœdi Regis teſtimonio,ita ſeſe uni *Verbo* impendit, ut omnem illo circumſcriberet eloquentiam, facundiam omnem exhauriret. Totâ fœcundiſſimus Orator æternitate loquitur, ſed tota uno Verbo abſolvitur eloquentia. Nihil detrahit prolixitati Orationis, unius verbi compendium: nihil adjicit ad Verbi prolixitatem aggeſtus numerus periodorum. Sed quod attonitâ nos ſuſpendat admiratione eſt, quod ubi ſemel *unum* duntaxat *Verbum* locutum eſſe DEUM Coronatus Vates profitetur,duo tamen ſe audiviſſe conteſtetur. Unum inclamant Divina oracula Patris Verbum,unum ſacroſancta Concilia ingerunt, unum Religioſiſſimus Patrum Senatus profitetur, unum Theologiæ pulpita propugnant. Unde ſi unum loquentis ore profertur Verbum, duo qui poſſint auditu percipi,non ſatis intelligo; niſi fortè exiſtimemus jam inde ab æternitate,aut montes extitiſſe aut petras, ex quibus imago vocis Echò, pictura verbi, ſermonis umbra loquenti reſponderet. Neque verò erroneam abiiſſe in ſententiam arguemur, qui novimus ſuum æternitati eſſe *montem*

præparatum in vertice montium. Unigenitum DEI, *ante omnem Creaturam prædestinatum:* nec ignoramus Mosaicæ virgæ attactu eliquatam in fluenta *Petram* illius umbram extitisse, quæ suo in sanguine largissimos gratiarum fontes aperuit in tempore, ipsa *ante omnem creaturam præfundata.* Ut proinde admirationem temperare sit necesse, dum prope assequimur, unum loquente DEO Verbum, duo resonare potuisse. Dicam pressius: Echo *Verbi* est *Maria* eodem concepta Patre, eodem producta de sinu, consimili partu genita: Ut qui *Verbum* dictione Patris esse genitum profitemur; *ex ore Altissimi prodiisse* Virginem nobis persuadeamus: qui *Primogenitum in multis fratribus agnoscimus Verbum*, primogenitam quoque ante omnem creaturam agnoscamus *Mariam*. Ac inde tandem perspiciamus Augustissimam DEI filiam immaculatissimæ Conceptionis sibi concessum esse privilegium gratulari, quod *ex ore Altissimi prodierit.* Sed quid tandem hic obsecro, vel quod ad efferendam Virginis dignitatem conferat peculiariter, vel quod ad ejusdem augendam in Sodalium illi dedicatorum animis commendationem faciat, asseveramus, uni illi singulare? Frustra in unam contrahimus, quod se diffundit in omnes. Frustra nitimur illam cæteris eo præferre, quod commune est universis. Ista cœlorum superba moles, Sol iste Panomphæus mundi oculus, Luna illa Siderum Imperatrix, illæ pendentes nocturno in cœlo faculæ, dicentis DEI Verbo extitêre. Dicat sane stellarũ Senatus, Luna, Sol, Cœlum, se *ex ore Altissimi prodiisse.* Amplissima ista terrarum scena, quæ assurgit in montes, descendit in valles, tumescit in clivos,
ex-

excurrit in planum, frondeſcit in ſylvas, floreſcit in hortos, & latè in campos evagatur, *DEI* imperantis Verbo è nihilo proceſſit, Immenſus ille aquarum Oceanus, cujus amplitudo eſt ſine termino, cujus undæ ſine numero, ille ex diffuſis toto orbe aquis jubente DEO in unam coivit Congregationẽ. Dicat ſane Oceanus, ſe *ex ore Altiſſimi prodiiſſe*. Lux iſta, quæ ſuis aërem adimplet radijs. Numinis imperantis Verbo eſt procreata. Dicat ſanè lux, ſe *ex ore Altiſſimi prodiiſſe*. Et quid demum ad ſingularem Virginis laudem faciet, *ex ore Altiſſimi prodiiſſe*; ex quo iſta per aërem circumflua lux, ille per terras inſerpens Oceanus, illa in orbem collecta terra, illud in immenſum diſcedens cœlum prodière? Non eſt propria unius commendatio, cujus vulgare eſt argumentum: non eſt uni beneficium ſingulare, quod munificentia fecit commune. Quem cæteris præfers, communibus exime. Hoc fortaſsis ad commendationem illuſtre, ad laudem magnificum, ad dignitatem eſt ſingulare; tanquam *halitum ex ore Altiſſimi Virginem prodiiſſe*. Ut vel hinc intelligamus, eam jam inde ab ęterno in DEI pectore geſtatam eſſe, auram cordis, ſuſpirium animę, & ardentis divino in Corde incendij reſpirationem. Sed necdũ vulgo eruimus Virginem. Necdum, quod in ſingularem ejus venire poſsit commendationem, excogitavimus. Nemo ita eſt in divinis litteris peregrinus, ut non intellexerit aliquando, congeſtum è limo humani corporis ſimulachrum inhalatâ DEI animâ reſpirâſſe: quando *formavit DEVS hominem è limo terræ, & inſpiravit in faciem ejus ſpiraculum vitæ, & factus eſt homo in animam viventem*. Quo ſanè argumento commune jam

reperimus homini, quod singulare Virgini proferebatur. Adjicerem argumento; Virginem esse supremum Sapientiæ Divinæ partum, non sine consilio parturiendum. Adderem eam non modo se consiliorum inquilinam, & eruditarum Præsidem cogitationum, sed consiliorum quoque Filiam gloriari; ut, qui consilia ex ore in lucem venire intelligimus: *Ex ore Altissimi Mariam prodiisse* assentiamur. Sed audivimus jam pridem, cùm ad formandam DEI imaginem Damascenum lutum versaretur, tres Divinitatis personas in consilium convenisse. Audivimus Gregorios geminos, Romanum alterum, alterum Nazianzenum apertè evulgantes, *factum esse hominem consilio Trinitatis*. Audivimus Tertullianum, quando hominem vel appellavit *curam Divini ingenij*; vel DEUM nobis proposuit *in hominis formatione non manu tantùm, sed & consilio occupatum*. Necdum ergo ambiguis intricatam extricavimus quæstionem: & dum singularia in Virginis encomium investigamus, è communibus emergere non valemus. Emergamus tamen non parci laudum; & qui audivimus aliquando *omnem gloriam* esse *Filiæ Regis ab intus*: intelligamus cum Infulato Nysseno *Mariam filiam esse singularium DEI Cogitationum*. Nam ut fundaret cætera, quæ hoc Universi ambitu continentur, ordinaria non excessit cogitata. Ut formaret *Mariam* transcendentia suscepit, & omnem, si dicere liceat, potestatem intendit. Ut illos cœlorum ambitus gyraret in orbem, solo digitorum impendio est usus. Ut suis libratam ponderibus terræ molem sustineret, trium illi suffecit digitorum fulcrum subdidisse. Ut per omnem Ægypti Regionem terrores spargeret,

ret, excitaret prodigia, patraret miracula, digitum movit. Ut dispersas per orbem universum conservaret animantes, *omnique impleret benedictione:* unicam satis fuit manum aperuisse. At verò ut efformet *Mariam,* omnes Divinitatis recolligit vires, ipsamque intendit omnipotentiam. Ut vel inde magnificentissimas in *Mariam* collatas esse cogitationes arguere debeamus. Nam qui universum suas distinxit in partes, digessit in ordines, divisit in numeros, coëgit in scenas, non dubitandum est eum aptas singulorum naturæ ac ordini cogitationes impendisse. Quare ut naturam Gratia, Gratiam admirabilis illa DEI Hominis unio quàm longissimè antecellit; ita quæ in Gratiæ ordine collocavit, supra naturam eminentibus; quæ verò in felicem Unionis sortem vocavit, excellentissimis cogitationibus adornavit. Quod si ita est, dicamus magnificè pariter ac antonomasticè *Mariam Filiam Regis cogitationum:* quæ una, quidquid natura dignitatis habuit, quidquid excellentiæ gratia, usque ad ipsam unionis hypostaticæ cognationem singulari DEI beneficio contraxit. Certè si naturam spectes, Domina est, & universi post DEUM unica Imperatrix, quæ titulo *primogenituræ ante omnem creaturam* meritò adit totius mundi hæreditatem. Si gratiam mensures, inenavigabilem Oceanum metieris. Quidquid DEUS dispersit in Justos, digessit in Angelos, partitus est in Seraphinos, totum in suam veluti Pandoram, contulit in *Mariam.* Ut meritò ante evolutæ, ac retrò evolvendæ ætates omnes illud à Divo Bernardino dictatum elogium sint probaturæ: accisam alijs, diminutam, ac *solùm per partes* datam esse gratiam:

Mariæ verò totam ſeſe gratiæ plenitudinem infudiſſe. Si demùm ad unionis Hypoſtaticæ regionem attollas animum, quam DEI-Hominis Matrem proniſſimo obſequio veneraris, eandem Filio DEI ſanguine, Æterno verò Patri affinitate conjunctam intellige; & ſi nullo unquam titulo, hoc uno liberrimè *Filiam Regis cogitationum* compella. Quæ omnia etſi ejuſcemodi intelligam, ut præſtantiâ ſuâ ſingulari, & excedente eminentiâ eam meritò ſuper cæterarum rerum omnium dignitatem collocare valeant: nondum tamen hærente intellectu ſatis potui penetrare, qua demum ratione Auguſtiſſima Virgo *ex ore Altiſſimi* ita prodierit, ut cum DEUS *unum* duntaxat *Verbum eloqueretur*, duo tamen potuerint inaudiri. Aſcendamus ergo altiùs, & ipſum Trinitatis ordinem ingrediamur audaciùs, ut in æterni Verbi generatione conceptionem *Mariæ* concipiamus. Atque illud primum ſacroſanctum Theologorum aſſertum, veritatis oraculum eſſe fateamur, unigenitum DEI Verbum, ut *ſubſtantialem imaginem Patris* ab eo profluere; atque hoc uno nomine univerſa illi communicari, quæ in Patre veneramur. Quid ſi quem generandi Filij Prototypon agnoſcimus Patrem, eundem Idæam producendæ Virginis extitiſſe aſſeveremus. Non ſunt Ideæ Divinæ fingentis animi partus, aut Platonica ſomnia: ſed ipſa eſt Divina ſubſtantia, quæ imitatione quadam participari poteſt à Creaturis. Vivit DEUS? vita ejus exemplar eſt vivaciſſimum, & viventium omniũ Idea. Intelligit DEUS? Ejus intellectus prototypon eſt, ad cujus imitationem intelligunt Creaturæ. Libera DEUS voluntate & amat & odit? Liberæ ſcaturigo eſt voluntatis, quæ in

homines

homines Angelosque dimanavit. Quidquid est in creaturis expressum, exemplar est DEUS: quidquid in universo delineatum, Idea est Pater. Sed qui multa reliquis, omnia Filio communicaverat, personam Patris ita sibi reservaverat, ut eam nec referret natura, neque Filius repræsentaret. Nam quamvis Unigenitus DEI Filius suæ processionis privilegio *habeat omnia, quæ habet Pater,* sunt tamen illa speciali quadam ratione in Patre, ut in fonte, in filio ut in flumine; in Patre ut in dante, in Filio ut accipiente : in Patre ut producente, in Filio ut procedente : in Patre ut in principio Divinæ originationis, in Filio, ut in termino intellectivæ operationis. Concludam, bonâ Arpinatis Oratoris veniâ, Theologico Laconismo: *Omnia quæ sunt in Patre, sunt etiam in Filio, præter Fraternitatem.* Date veniam Sapientiæ Magistri, Christiani nominis Oracula Theologi; si quod Filio non valuit Pater, indulsisse Virgini singulari privilehio asseruero. Non nego unicam esse substantialem Patris imaginem, Coævum Verbum, qui scio cæterarum rerum imagines in externa tantum rerum symmetria versari, & mixtam apparentium colorũ varietatem, vel staturæ ac molis magnitudinem imitari. Illud tamen non trepidus assevero; Augustam Patris Filiam plurimũ de Patre participare, dum ejusdem est illa Filij Mater, cujus in Divinitate origo est Pater. Ex quo tandem illud non obscure conficitis: Verbũ unum proferente DEO, duo audiri potuisse, dum & Verbum Filium, & *Mariam* Patris Filiam Matremque Verbi imitatione quadam esse non dubitatis. Dicat ergo Verbum; sed dicat & *Maria*, se *ex ore Altissimi prodivisse.* Dicat Verbum se *Filium*

cogita-

cogitationum Patris: Dicetur & *Maria Filia Regis cogitationum.* Et,si verum est,quòd asseveravit Incarnata Veritas; *ex corde ascendere cogitationes:* dicite *Mariam* id quoque assecutam esse privilegij, ut quemadmodum coævus Patri Filius, ita & ipsa *Filia Divini cordis* valeat nuncupari. Illud tamen discriminis adnectite, ut dum *Mariam ex ore Altissimi prodiisse* concluditis,verum illud intelligatis: ex abundantia cordis os esse locutum.Nam Filium ex necessitate amoris Deus generavit;Filiam verò ex abundantia supereffluentis Charitatis. Glorietur ergo tandem Augustissima Dei parens, se inter omnes creaturas, post Christum, aut cum Christo primogenitam *ex ore Altissimi prodiisse ante omnem Creaturam:* at nos in *Primogenitæ* nomine cæterorum omnium privilegiorum compendium, immunitatum epitomen agnoscamus: Ex Sole radij, ex fonte rivi,ex arbore fructus enascuntur; ex una Virginis *Primogenitæ* gloriâ,gloria omnis derivatur *Mariæ.* Ut si legitimè Gentium Legatus cæteras Christo debitas prærogativas in eo fundat, quòd æterni Patris sit Filius: nos quoque eas omnes deducamus in *Mariam,* quod ejusdem Patris sit filia. Ideoque si eo nomine *constitutum Christum universorum hæredem* pronunciamus, glorietur & Filia se in sibi debita *hæreditate Domini moraturam.* Dicat Paulus, *per eum condita esse universa, per quem fecit & sæcula:* dicet Virgo,se illi universum *condenti adstitisse: cum eo omnia composuisse.* Edicat Paulus Christum esse splendorem gloriæ: emicabit & Virgo *Aurora consurgens,* fulgebit *pulchra ut Luna,ut Sol electa* radiabit. Commendet Paulus eum esse *figuram substantiæ Patris:* exclama-

exclamabit & Virgo se *speculum sine macula*, & *imaginem bonitatis illius*. Dicat Paulus, *eum sedere ad dexteram Majestatis in excelsis*: edicet pro Virgine Coronatus Propheta, *eum adstitisse à dextris DEI*. Addat & ipse Unigena DEI, se hoc speciali titulo, DEI esse, meritoque unum ab eo possideri: glori.bitur & Virgo se à DEO speciali Filiæ nomine in initio viarum suarum possideri. Quæ ut legitimâ manucapione transiret in possessionem, *lævâ* supposuit *capiti*, & *dexteram* extendit DEUS in *amplexus*. Ne metuite jam lapsum Virgini Auditores, quæ utrâque DEI manu sustinetur. Gratulamur tibi animitùs Augustissima Patrona, quòd suam utriusque brachij omnipotentiam impendat DEUS, ut te à primævo lapsu tueatur. Gratulamur, quòd tui jam possessionem adierit, priusquam peccatorum abyssi conderentur. Gratulamur, quod in primogenitam Patris adscita, consimilia primogenito traxeris privilegia. Gratulamur demum, quòd cùm eructaret æternus Pater Verbum bonum, tu quoque ex ore Altissimi prodieris IMMACULATA.

Dicta Viennæ Austriæ ad Sodales Marianos.

ORATIO II.

DE IMMACULATA CONCEPTIONE BEATÆ VIRGINIS.

Ramus Olivæ.

ETiam hac hibernantis anni acerbitate, hac ad rigorem gelati Decembris severitate ereptum ex

ex obruti Mundi diluvio *Virentis Olivæ* ramum tam columbina simplicitate & candore, quàm tenero amantis animi affectu & tibi Augusta Imperatorum Mater *Austria*, & vobis adfero, Academici Auditores. Scio enimverò & te premente tot adversariorum violentiâ lacessitam, funesto armorum usu per tot lustra fatigatam Martis omninò pertæsam ad tranquillæ tandem felicitatis otia votis omnibus aspirare: & vos jam pridem Sapientiæ Præsidi *Mariæ* dedicatos, recentissimo hodie Sacramento in signa Augustissimi Imperatoris Ferdinandi III. pro Immaculata Virginis Conceptione conjurasse: ut æquè pacis amantissimæ gratam & jucundam, ac novis Cœli Athletis amicam optatamque *Oleam* meritò possim augurari. Nam & tuarum hoc est gloriarum compendium felicissima *Austria*, non per inimici sanguinis compendia ad immortalitatem eniti; sed vincendi felicitatem pacis terminis definire: & ad vestri nominis consecuturã perennitatem facit quamplurimũ Academici, quod lacessitam Virginis integritatem religiosissimâ animorum conspiratione defendendam colendamque suscipiatis. Quâ unâ re, etsi postremi tempore, certè Religione & affectu primi, invaditis tot orbe toto illustrium Academiarum laudes, quæ suam Sapientiæ Antesignanam; tot florentissimarum urbium commendationem, quæ Augustam *DEI Civitatem*; tot Regum Regnorumq; gloriam, quæ regnandi Magistram; tot Imperatorum ac Cæsarum immortalem famam, qui armorum suorum Provinciarumque gubernatricem *Mariam* acerrimâ in pulpitis contentione, religiosâ ad aras pietate, duraturâ in obeliscis memoriâ, humili in purpuris vene-

ratione à primęvâ humani generis maculâ vindicârunt. Agitis (quod palmare est gloriæ vestræ argumentum) *Advocatæ* vestræ Advocatos, *Divinæ* defensores, *Reginæ* Patronos, *Sapientiæ Præsidis* Tutelares, *Civitatis DEI* propugnacula, *Throni Salamonis* Leones, *Paradisi* Cherubinos, *Matris* Amatores. Neq; verò eximium hoc studium tam singulare vobis arrogatis, quin illud occupari à quamplurimis desideretis: hócq, unum vobis vestræque pietati ac Religioni singulare statuatis, in paria obsequia Virginis universos provocare. Obsequor desiderio vestro, incitatus exemplo: obtempero affectui meo, inflammatus amore, & quam vos à sceleris conspiratione cum Protoparente nostro immunem pronunciatis; eandem ego à deploratissima illa submersi & nunquam satis eluti diluvio Mundi fortuna præservatam, in virentis *Olivæ ramo* venerabundus adoro. Erit hæc vobis vel pacis cum adversarijs vestris in doctrinæ unitatem stabiliendæ prænuncius; vel si porrò conserendum fuerit, victoriosum Ceroma ad perungendos Athletas suppeditabit.

Approbatis argumentum Academici, assentiris in Magnæ Matris clientelam juratissima semper *Austria*; dum ad secundam adolescentis Orbis ætatem conversa profiteris, nihil esse, seu ad Virginis laudes uberius, seu ad ejusdem immaculatam Conceptionem repræsentandam accommodatius, *Olivâ* illâ, cujus ramum Noëmitica quondam Columba Servatrici illi humani generis Onerariæ intulerat, quæ superstites à funerato Mundo reliquias in novum Orbem trajecit. *Corruperat* (si meministis) *omnis caro viam suam super terram*, & inter corruptos mores nullus integritati locus con-

concedebatur. In adolescentibus annis adulta vitia, in senescente vita vegeta & florens audacia, in omni ætate annosum scelus, in omni sexu indistincta iniquitas, in omni ordine & conditione inordinatus animorum tumultus imperabat rationi. Nulla divinarum legum reverentia, nullus ordo juris, nulla sacrorum æstimatio, nullus Justitiæ metus furta & rapinas, odia & cædes, mutua turbatorum animorum funera, prostitutiones integritatis, pudicitiæ violentias, conjugalis thori violationes, fraterni thalami probra impediebat. Irritata Justissimi vindicis ira nec debebat, nec poterat fulminatricem manum coërcere, quin quos longâ adeò indulgentiâ per complura sæcula toleraverat impios, tandem effuso in universos supplicio funeraret. Carcere igitur suo laxantur Venti, coguntur nubes, fugatur dies, turbatur Cœlum, coruscat fulgur, libratur fulmen, rumpuntur abyssi, erumpunt maria, universæ cœli cataractæ recluduntur. Intumescunt undique fatales aquæ: affluunt impetu, defluunt rapiditate, superfluunt tumore, circumfluunt vastitate: implentur valles, operiuntur tecta, exceduntur turres, obruuntur colles, sepeliuntur montes: rapiuntur cum populis urbes, sorbentur cum urbibus regna, interit orbis; quaquâ patuit natura, unico pelago tumulatur, & Divinæ vindictæ flamma medias inter undas violentius exardescit. Unica naufragantis mundi onusta reliquijs compendiati totius humani generis habitatio, unica in salo salus Noëmi oneraria indomitum hunc Oceanum felix inambulat, donec enubilato tandem furore Nemesis, exhaustis abyssi fontibus, extinctis per diluvium ultionis Divinæ flammis, passa est

demersis

demersis omnibus terram emergere, & suffocatis flagitijs emundatum orbem respirare. Itaque in alium jam orbem discensurus omnium hominum novus Portitor Noë, exploratricem Columbam, primam pacis interpretem dimittit ex Arcâ, quæ cùm bene ominatum virentibus foliis *Olivæ* ramum attulisset, plane intellexit eum sanctissimum extinctæ per aquarum inundationes iræ Divinæ; indeptæque tandem pacis argumentum.

Hic enimverò curiosum animum quęrendi subit ambitio; quà tandem regione, quà sede, quo naturę vel artis ingenio, unus in communi rerum omniū interitu ramus innocente vigore triumphârit? Dicetis involutum quidem nuper, jactatumque funestissimis aquarum procellis; aspirante tamen iterum amœniore cœli temperie evolutum, suos ad vernam jucunditatem virores explicuisse? Non assentiar; qui ex sacris Oraculis intelligo, voraci aquarum ingluvie *deletam omnem substantiam*, & quidquid ab ijs contractum contagio periisse. Dicetis post divisum pelagus, terramque ex undarum sepulchro evocatam, eam fuisse soli Solisque benignitatem, ut penè momento educarent oleam, indeptæ hominibus à DEO pacis argumentum? nisi prodigium sanctiore Oraculo comprobetis, non credam; qui ex Plinio non ignoro, lentis omnino annis *Oleam* concipere & germinare. Dicam, tua Dive Hieronyme fultus authoritate, dicam liberè dicam pro Augustissima Partheno-Matre æquè magnificè ac religiosè; cùm naufrageretur orbis, unum procellis ac totâ pelagi vastitate superiorem ramum Divinâ manu fuisse conservatum. Neque id negabitis Religiosi in Virginem Auditores: qui

si

ſi unquam aliàs tunc ſanè *Spiritum Domini ſuper aquas* volitâſſe non dubitatis; qui olim superventurus erat in *Mariam*. Quare ſi creditis aliquando Diviniſſimum *Spiritum Columbæ* ſpeciem induiſſe; credite pariter *Olivam* ore ſupra inundationes ſuſtinuiſſe, ne fluctibus raperetur. Si creditis *Spiritum* ignis acrimoniam efficaciamque induiſſe, credite cum aquis iniiſſe prælium, ut ab earum contagio *Mariam* conſervaret. Si creditis *Spiritum eſſe* mutuum Patris Filijque reciproco ſe amore diligentium halitum; credite blandiſſimo afflatu *Olivam* conſoviſſe, ut nocuo diluvij fœtore non contaminaretur. Si creditis *Spiritum* eſſe ventum; credite procellarum inſultui obluctatum eſſe, ne ſuos in *Olivam* furores exonerarent. Si creditis *Spiritum* dexteræ DEI digitum eſſe; credite in *Olivam* ſeſe porrexiſſe, ut eam certâ manucapione poſſideret. Ut non immerito gloriantem aliquando Virginem audiverimus, ſe *initio Viarum Domini* primam in ejuſdem *poſſeſſionem* deveniſſe. Sed quid demum ſingulare ad immortalem tui nominis gloriam, quid eminens ad commendationis dignitatem hinc emendicamus *Maria*, quod vel ſtellata Cœli palatia, vel circumfluus aër iſte, vel natantes fontium liquores, vel latè diffuſum Oceani regnum, vel iſta ipſa, quam premimus, terræ moles non mereatur? Fidem veſtram hic appello Juris Conſulti, ſanctiſſimi Juſtitiæ Sacerdotes *Poſſidere etiam* Fur, etiam Latro poteſt: ſed dominium non ſequitur poſſeſſionem. Re ſuâ carere etiam Dominus poteſt; cùm ea per iniquitatem ad alium eſt devoluta; ſed dominium non amittit ereptâ poſſeſſione. Illud demum numeris omnibus abſolutiſſi-

absolutissimum est dominium, quod certâ rei possessione coronatur. Quid si benigno quoque vestro annuentis animi suffragio comprobatis, in nostro communi omnium damno agnoscite Virginis felicitatem. Dominum agnoscimus & veneramur eundem, quem Virgo suum profitetur: sed ô acerba calamitosissimi temporis recordatio! non habuimus eum aliquando possessorem Per terrarum pelagique devia in Latrones ac Piratas delati possessionem nostri per summum nefas DEO subtraximus. Una, una es inviolata ęterni Regis possessio *Maria*, quam Latro nunquam invasit, nunquam Pirata occupavit, nunquam alienus, semper *Dominus possedit ab initio viarum suarum.* Quare serò nimis in Sacrorum tabulas retulerunt Quirites, ut si quam delapsa cœlo fulmina vel increpuissent, vel afflassent *Olivam*, ea nunquam ad sacras Deorum ædes adhiberetur. Jam ante prima nascentis mundi exordia sanctissimæ Triados Senatus consulto sancitum est, *Filij DEI habitaculum Spiritu sancto preparandũ, Oliva* quidem *ex campis speciosâ*, purâ tamen & nullo fulminis afflatu violatâ constituendum. Serò nimis solliciti Deorum Mystæ sacro imperio edixère; ut si quæ cadavere contacta fuisset *Oliva*, ea procul Deorum ædibus arceretur. *Necdum* enim *fontes aquarùm eruperant, necdum montes gravi mole constiterant*; necdum qui morerentur in vitam intraverant; & jam, quæ una DEO solium in Virginali erat utero concessura, *ab æterno antequam terra fieret, erat ordinata Maria.* Fuerit sanè, fuerit, attestante Plinio, Romanorum Religiosa superstitio, nefas esse Oleam profanis usibûs contaminaie; Vestra modo Augustissimi Imperatores Au-

ſtriaci eſt Religio; Veſtra Academici Viennenſes eſt pietas; ubi *Domum DEI* intelligitis *Mariam*, inviolabili Sacramento ad aras confiteri; *Domum DEI decet ſanctitudo.* Fuerit ex fœcundo ad fabulas Poëtarum ingenio commentum, plantatam primùm in Africa ab ipſo Jove *Olivam*, ab ipſis Coloni manibus viroris æternitatem contraxiſſe: Amatorum Mariæ voluntarius eſt ad credendum articulus: *Dominus poſſedit eam:* vel ſi mavultis cum Interpretibus loqui; *Dominus plantavit eam, nec dedit Sanctam ſuam videre corruptionem.* Sit naturalium rerum Inveſtigatorum judicium, *Olivæ* umbrâ necari Serpentes: Divinum de *Maria* eſt oraculum, unam infeſtiſſimi mortalium generi *Serpentis caput contrituram.* Sit Phyſicorum obſervatio, *Olivæ* folia mederi morbis; eſt & Plinij aſſertum, & Auguſtiſſimæ Virginis commendatio, *Olivas* non contrahere putredinem. Sit è fabularum nundinis coëmptum illud, grandiorem *Olivæ* termitem fuiſſe clavam illã, qua Hercules Leones & Hydras, ac ſerpentinam Nemeææ Silvæ propaginem confecit; ex veritatis aphoriſmis eſt innocentem Virginis pedem *ſuper aſpidem & baſiliſcum ambulâſſe, & conculcâſſe leonem & draconem*, & in uno ſerpente omnium malorum Iliadem contriviſſe. Sit demum exfigmentorum officina depromptum; Minervam Argonavis Architectam, cùm ea primum per nunquam domitos inſanientis Oceani furores inambularet, virentis *Olivæ* ramum dexterâ prætuliſſe è Veritatis tripode pronunciatum eſt, cùm univerſus Mundus unus eſſet Oceanus, & in unam Arcam contractum, velut in compendium, humanum genus fluctibus innataret,

Colum-

olumbam (dicere malim *Spiritum Domini*) *super* *uas* ex alijs pendulum, innocentis Olivæ ramum niversi naufragio exemisse. Offendunt iterum memoriam infortunata illa naufragantis mundi tempora; sed recreat simul animum felicitatis *Marianæ* recordatio. Obtrudunt oculis ferale spectaculum toto diluvio non satis diluti mundi; sed ingerunt menti temperatissima Veris auspicia in *Oliva*. Obtundunt aures incondita pereuntis Adę lamenta: *Veni in altitudinem maris, & tempestas demersit me: Infixus sum in limo profundi, & non est substantia:* sed delicias infundunt animo advolantes supernè Genij, qui *Spiritu Sancto cooperante* præservatam Virginem admirati, *pulchros Filiæ Principis gressus in calceamentis suis* ex sacro Epithalamio suavissimâ accinunt symphoniâ. Enim verò jam tunc *amicta Sole* incalceamenta, Lunam induxerat, quam pedibus proculcabat. Hoc verò non tam antiquæ Romanæ, quàm *Marianæ* nobilitatis est argumentum; non tantum supra Oceanum ferri, sed etiam Oceani moderatricem Lunam proculcare. Sit Luna Cœli Protheus, nunc humanam, nunc belluinam monstrosamque faciem indutus: Deiformis Augustino, Deificata Hieronymo *Maria*, nihil admittit monstrosæ deformitatis. Dicatur Jamblicho Luna cœlorum Fortuna, continuâ rotata vicissitudine: Innixa super Dilectum suum *Maria*, non habet quam formidet sui eversionem. Fingatur Poëtis eadem, quę in cœlo est Luna, in inferno esse Proserpina: sed proculcet *Maria* Lunam, quæ Leonem, qui *circuit quærens quem devoret*, & *Draconem* infernalem conculcavit. Credant superstitiosè Orientales populi, cùm solito deliquio elan-

elanguescit Luna, eam à monstro devorari: sed suâ radiet in sanctitate *Maria* nunquam eclipsata. Persuadeamus nobis, *Luminare minus* creatum esse, ut *præsit nocti*, vel ut loquamur cum alijs, *Lunam esse in potestatibus noctis* : sed juremus simul, in *Mulierem amictam Sole* nihil virium esse potestatibus tenebrarum. Non negemus Lunam esse speculum, quo natantium in ipso diluvio rerum imagines referantur: sed asseramus cum Andrea Cretensi, *imaginem divini Archetypi* esse *Mariam*, eoque titulo *Immaculatam*. Non negemus Pythagoræ in Luna montes & sylvas, & quod his cognatum est, umbras hospitari; sed profiteamur, eum ipsum Spiritum esse *Lumen cordium*, qui *Mariam obumbravit*. Concedamus Mathematicis suas esse Lunæ maculas: sed assentiamur accinenti Epithalamion Sponso, *unam esse Immaculatam Mariam*. Cantemus cum Vate coronato; *Factam esse Lunam in tempora* : sed ante tempora *ab æterno*, *antequam quidquam faceret DEVS, ordinatam esse Mariam*, profiteamur.

Ex quibus illud non minus Theologicè conficio, quàm Laconicè; supra inundantium aquarum congeriem & Lunæ orbem sublatam *Olivam*, nihil vel de labis originalis alluvio, vel de Lunæ maculis funesto contagio attraxisse. Dicam pressius: eo quo *DEVS* locutus est signo Filium Incarnatum, decrevisse & *Mariam*. At verò tunc *necdum erant abyssi, & illa jam concepta erat* : ut non immeritò glorietur, cùm exundâsset ab uno fonte malorum Oceanus, Oliva ore Altissimi gestata jam prodieram *Primogenita ante omnem creaturam*. Quare si non credidimus hactenus Rabbinorum fabulæ,

Noëmi-

Noëmiticum illum Olivæ ramum nullâ ignis violentiâ comburi potuisse; credamus hodie ignis expertem Olivam, quæ *Oleum effusum* erat paritura. Si non credimus Xerxis illusione, qui se per somnium vidit Olivâ coronari, eamque demùm Coronam in arborem toto latè orbe diffusam excrevisse: credamus Immaculatam Olivæ *Marianæ* termitem Imperatoribus, Archiducibus Austriç, & Academicis Coronas daturum, orbi universo pacis umbram dispensaturum. Sub quibus dum hodie conquiescimus, legamus oleum, quo quotquot Archiduces producit Austria, ungantur in Reges & Imperatores: quotquot Academicos habet Vienna, ad servituras posteritati lucubrationes, suas instruant lucernas: quotquot habet orbis animas, tot habeat Athletas, qui hoc Oleo delibuti, Immaculatam Virginis Conceptionem propugnent.

Dicta Viennæ Austriæ in Basilica S. Stephani ad Academicos.

ORATIO III.
DE IMMACULATA
CONCEPTIONE BEATÆ VIRGINIS.

Quia Mater DEI, sine labe Concepta.

SI quæ favit olim fabulosis Dianæ Sacerdotibus in Idâ monte spectandi Solis prçrogativa; ut singulari Virginis illius beneficio, quam illi *dulcem, clementem* ac *piam* nuncupabant, exorientem primi illi, non subobscurâ ambiguum in luce, & tenui

veluti splendoris vestitum rudimento, sed suâ adornatum se Majestate, acribus oculis ad plenum haurirent: eadem nunc omnibus iis concederetur, qui in tuos Mulier *amicta Sole* intenti radios exorientem speculantur; cessissent pridem ex universorum oculis caliginosæ noctis dubitantes inter lucem, & tenebras reliquiæ, ortusque tuus, communi hominum conditione superior, diceretur *Immaculatus.* Sed ut nescio quis nuper audaciore pupilla Solem speculatus, cùm flagrantissimæ lucis acerrimus turbo aciem perstringeret vehementius, in Sole maculas, ac fortè montes & valles, se vidisse asseveravit: ita tui conceptus radij, *Electa ut Sol Maria,* cùm fulgore suo humanum præstinguerent intellectum, visi sunt labem contraxisse. Quod quidem Sapientûm nemo stupebit, cùm intellexerit, si quo fuit crystallynus oculorum humor imbutus colore, rerum perverti formas, degeneresque objectorum spectari colores. Nostri fortè, quia vitiati maculâ fuerunt oculi, pari temeratum vitio, quem cernebant Virginis conceptum, arbitrabantur. Qui pro pulpito imputatæ labis ream Virginem facis, vix abest, quin ipse minorem cultum profitearis. Tuam ego dum propugno Innocentiam, ut audeam, da robur *Turris fortitudinis*; ut stringam, teneram meam, & adhuc latentem in Tyrocinio Eloquentiam, Concepta Verbi Parens, verbis instrue, & conceptu; ut expugnem, animum & arma suffice *Castrorum acies Ordinata.* Inferorum ergò Tributaria, Cacodæmonum mancipium extitisse aliquando arguitur *Maria.* Et quæ? *Aula* nempe *Regia,* in qua humanæ cum Deo pacis & reconciliationis articuli sunt dictati; illa funestum latibulum fuit,

in

in quo priùs ſceleratiſſimo auſu contra Divinam Majeſtatem eſt conſpiratum. Quæ? *Ærarium* illud *opulentiſſimum*, ex quo infinitum Redemptionis humanæ pretium eſt depromptum: illa contractorum prius debitorum rea, ad incitas redacta, cùm ſolvendo non eſſet, in turpiſſimam dæmonis captivitatem eſt tracta. Quæ? *Mater Salutis* humanæ, Anſelmo credite: illa prius lapſa eſt in perditionem. Quæ? *Vitæ parens,* Irenæo credite; illa fœdiſsimo ancillatu prius ſervivit morti, quam *Vitam* generaret. Illa fidiſsima *Stella Maris*, illa navigantibus propitia Cynoſura immundâ pelagi ſpumâ eſt aſperſa. Peream, ſi credam aliquando Imperatorem ſiderum extitiſſe Solem, ſed non luminoſum; lucem ſed tenebroſam; Oceanum, ſed ſine aquis; nives, ſed atratas. Peream, (dum aliud Romana Oracula non definiunt) ſi credam *Radicem Ieſſe*, de qua *Flos Vitæ* proditurus erat, priùs veneno Mortis corruptam, quàm Salutis florem progerminaret. *Paradiſum* illum *Voluptatis*, priùs belluarũ pedibus protritum, quàm à Rege gloriæ inambularetur: illum *Hortum concluſum* priùs afflatum maligni ſpiritûs halitu, quàm Spiritus Sanctus ſupervenirent. Peream, ſi credam, Matrem *DEI*, per quem renati ſumus in libertatem, mancipium aliquando dæmonis extitiſſe. Dabo ſanè, dabo univerſam Adæ poſteritatem impiiſsimâ in DEUM conjuratione cum Protoparente ligatam, unâ nullis ſeculis ſatis deplorandâ ruinâ præcipitatam. Sed negabo inter Adæ poſteros annumerari eam poſſe, quæ in prima ac ſuprema rerum omnium Ideâ, priùs depicta & amata eſt, quàm Adam cogitaretur; quæ à decretoria Patris voluntate priùs Filij ſui Mater electa

& constituta est, quàm Adami vestigium compareret. Tenerioris hic animi Theologos, eosdemque calidioris affectûs Amatores compello; quorum ut juratus est amor in Virginem, ita constantissimum est assertum; in arcanâ illâ Divinitatis mente, cùm hoc quâ latè patet Universum digereret in partes, distingueret in ordines, seduceret in limites, concluderet in fines, componeret in Rempublicam, unum omnium caput & Principem, *Primogenitum omnis creaturæ* Incarnatum Verbum ex Virgine nasciturum prius aspexisse & amasse; quam secundum, ac Vicarium veluti posterorũ caput Adam constitueretur. Ex quo cùm ego concludo, solùm ante Virginem stetisse DEUM Hominem, cæteros post illam universos: vos pariter conficite, Augustissimam *DEI* Parentem, *Primogenitam ante omnem Creaturam*, inter Adæ posteros non posse numerari. Sed demus tamen (ne adversantis Theologiæ principia convellamus) demus sanè Intemeratam Virginem suum ab Adamo Sanguinem derivare: negabo tamẽ eâdem culpâ contaminari. Demus ingenti strage corruisse humanum genus: negabo inter concidentis mundi ruinas potuisse *Mariam* reperiri. Etenim jàm tunc *lævam suam* supposuit *DEVS capiti*, & *dextera amplexatus est* eam, ne simul traheretur in ruinam. Exigebat hoc Augustissimæ Matris dignitas, ad quam Virgo præparabatur: exigebat DEI sibi tabernaculum instruentis majestas: exigebat Filij in Matrem observantia singularis. Quare cum DEI Matrem intelligis, *Sancta Sanctorum* concipe; ut neges execrandis Furiarum abominationibus patuisse. Cum Matrem audis, *Altare Domini* intellige; ut neges in illo ullo unquam dæmonibus sacrificio esse

esse litatum. Cùm Matrem DEI nomino, *Turrim David* tibi animo repræsenta, ut neges ab hostibus expilatam, iniquitati Asylum præbuisse. Cùm Mater DEI appellatur, inexhaustum mare gratiarum tibi depinge, in quo *DEUS capita draconum contribulavit.* Uno illo nomine Arcam Numinis, Propitiatorium, Altare Thymiamatis, cœlum ipsum tibi imaginare. Et credes aliquando Arcam sub impurissimi Dagonis pede gemuisse? Credes exclusis à Propitiatorio Cherubinis Harpyas & Furias ac pudenda inferorum monstra illi præfuisse? Credes ab Altari Thymiamatis, non odoris suavitatem, sed sulphureas Inferni nubes vaporasse? Credes Cœlum in quo Verbum, Caro, & Anima Dei-Hominis, hoc est, sanctissima quædam Trinitas habitavit, priùs funestissimum Averni antrum Eumenidum concilium occuluisse? Fingite quæso animo, adstitisse vos eo ipso temporis momento, quo *DEUS* futuræ Matris animam, Omnipotentiæ suæ manibus, tenellis artubus adaptabat; & jam tunc coram audivisse Legati Cœlestis compendiosam illam orationem: *Ave gratiâ plena; Concipies & paries Filium DEI:* quis sensus animum, quæ religio mentem, quæ reverentia oculos, quæ submissio poplites, quis sacer horror universum corpus invasisset? Hæc (si vestræ assequor religionis officia) hæc singulorum animos ratiocinatio tenuisset: Ista, sterilescentis Mundi fortunatissimus partus, puella *concipiet & pariet Filium DEI.* O prodigium! Adorabitur Numinis Mater. O Majestas! Ab hac ipsa carne caro DEI assumetur. Ex hoc ipso corpore, corpus Verbo adaptabitur. Quo uno nomine evadet & affinis Patris, & Consanguinea Ver-
 bi,

bi, & Sponsa Spiritus sancti: & quod consectarium est, universi orbis Regina, ac Regum Reginarumque omnium Imperatrix. Et cuinam obsecro sine horrore ac trepidatione vel cogitare subvenisset, hanc *DEI* affinem, turpissimâ dæmonibus servitute obligatam teneri? hanc Consanguineam Verbi Amicam esse Inferorum? Hanc Sponsam Divinissimi Spiritus, se prius baratro desponsasse? hanc Regum Réginarumque Imperatricem servile jugum sustinuisse? nam quantum, *DEVS* immortalis! quàm inauditum illud *DEO* dedecus, si quando, sive per labores & cruciatus saluti nostræ studenti, sive jam majestate gloriæ trabeato Numinis corpori obgannire possit. Infernus: hoc sui juris quondam fuisse portionem, quod de Materno utero est assumptum: hac priùs in Aula se jactâsse *Principem tenebrarum*, quàm eam *Sol Iustitiæ* obtineret. Quæ verò Filij observantia, quæ in Matrem singularis dilectio? Certè si prima animorum Magistra natura, si sapientissimæ Rerumpublicarũ leges, si æterni Numinis tabulæ filiorum in adversâ nutantium Parentum fortunâ damnant socordiam: quo tu demũ terræ calculo, quo Cœli patrocinantis suffragio DEUM ipsum absolves, quem non socordiæ tantùm reum facis, sed etiam inauditæ impietatis arguis in Parentem? Quid enim? potuitne DEUS, insidiantis venena serpentis extinguere? sed potuitne, quas habiturus erat ædes, abominando dæmonum tributo eximias reddere? potuit sanè, qui jam primis nascentis mundi incunabulis moriẽtium Protoparentem Evam immunem labis formavit etiam viventium Matrem, criminis eximiam labe procreare. Potuit sanè, qui Angelicos Spiritus
suâ

ſuâ gratiâ adornatos evocâvit ex nihilo, Angelorũ Reginam gratiâ plenam in vitæ Orientis limine collocare. Quo fit,ut aut neſciſſe oporteat,aut noluiſſe arguatur. Quorum alterum eſt ignorantiæ,alterum impietatis. At *omnes*,inquit,*in Adam peccaverunt*. Ita ſcilicet; ita profectò eſt: credamus hoc, ſapientiſſimum illum mundi Arbitrum DEUM,pari cum ſervis pœna Reginam quoque voluiſſe condemnare.Reclamant humana jura, repugnant decreta,contradicunt tabulę,ſancitæ leges refragantur. Vos ego publicæ Juſtitiæ Religioſiſsima auguſtalia compello, cauſam graviſsimam æquitatis ſuffragijs ſtabilite. Corneliâ lege popularibus undis Reginam Cœli eximetis, qui terreni conſortem Regis oneroſarum ſubjectione legum eximiam pronuntiatis. Veſtra hæc ſunt decreta: *Non debet eodem modo gubernari Servus & Regina:* Codices teſtor. Veſtra ſunt hæc ſtatuta: *Melior debet eſſe conditio Reginæ,quam ſervi:* Inſtitutiones appello. Veſtra denique lex illa eſt: *Auguſta ad vectigalia non teneatur*. Ad Pandectas, & Digeſta,Auditores,provocabo. Una ergò terrarum æquè ac Cœlorum Domina, una Reginarum ſempiterna Imperatrix *Maria*,non poterit (pudet dicere) non poterit turpiſſimo, quod nos inferno pendimus, tributo liberari? Una illa Regiæ Majeſtatis probrum dedecus Reginarum,maligno nata ſub ſidere,ferreâ ſervitutis conditione vincietur? Sed quid tuam cauſam agimus ô *Maria!* Tua, immortalis DEUS, fama periclitatur. Tune ingratus ille,qui inauditâ à ſæculorum memoriâ animi duritiæ Genitricem,cùm vel nutu liberare poſſes, turpiſſimo iniquitatis jugo premi ſuſtinueris? ſcilicet nos jam ſanctioris

 natu-

naturæ Posteri præcipientis voces obsequentibus auribus excipiemus: scilicet ad singularem fixæ legis venerationem, insigni,quo nos præis exemplo, provocabis: dicemus,quæ Parentibus debeatur observantia, cum miseris involvi calamitatibus Matrem à te sustineri conspexerimus, Damnabimus quotquot prostituto sanguine, venalique capite Parentum vitas redemerunt. Vigebit denique exul ab humano pectore in belluis posthac pietas,dum tuo eruditi exemplo, pressis iniquâ sorte Genitoribus subvenire didicerimus. Videsne tandem Deo maculam non pio appingi ausu, Immaculatum quisquis Virginis Conceptum immaturo consilio impetebas! vides quantum uno argumento volvaris in barathrum,ut Deus ipse suâ deturbatus Majestate pœnis destinetur, cujus sit ingrati animi singulare specimen,impietatis exemplum, legum,quas ratio, quas natura,quas divinitas ipsa statuerat contemptus flagitiosissimus. Quid,quod & singulari ignorantiæ specimine, caliginosi intellectus exemplo, obfuscatæ mentis documento Deus honoris sui oblitus arguitur? Hoc demũ erit,illum cum Theologis, ac scripturarum Tripode acerrimum gloriæ suæ vindicem prædicare. Nos, si illa fuisset indulgentis benignitas cœli,ut priusquam maternis conciperemur visceribus, se ligere Parentem licuisset, quam demum obsecro imi,æquè ac supremi subsellij homines selegissemus? An illam quam in ferreæ servitutis censum turpissima traxisset conditio? an illã cujus in vultu cerussata deformitas,rugalis macies,turpe cadaver spiraret? An illam,quæ conspéctu horrida, squalore confecta, totius corporis habitu sub monstrosa larva hominem mentiretur? an verò illam,

illam, quam eburnea explicatæ frontis serenitas, morum suavitas, venustas oris, coloris amœnitas, virtutum concentus, conditionis libertas commendaret? Nemo mihi credite callosas ab aratro manus ostentaret, nemo servile jugum pateretur: in eam convolaremus universi, cujus in formam gratiæ, in dignitatem coronæ, in majestatem imperia, in conditionem libertas conspirâsset. At verò Deus nihil pensi habuit, hostili subjectam Tyrannidi, infamem criminis, inustam labe, capitalissimi servam inimici, turpe inferorum mancipium sibi in Matrem segregare? Enimverò non prævidebat insolentissimi Tartari opprobria, insultantis Erebi calumnias, improperia inferorum. Nos parentum dedecus etiam venali sanguine redimimus, Deus id prævenire cùm posset, sponte neglexit? Nos ad vindicandas majorum calumnias, in obvias mortes provolamus: Deus potuit constanti fronte Parentis probra audire? Nos ab hominum consortio humanis divinisque legibus exigendum contendimus eum, quem tantum ingrati animi vitium condemnârit: Deus sua desciscit à natura, quæque hominibus summo erant vituperio, in semetipsum admisisse non æstimabit? Obrigescat hæc lingua, obmutescat hæc vox, suffocetur hic Spiritus meus, priusquam per Virginis dedecus in hæc Numinis opprobria erumpat. Quanto igitur satius erat, dum nos omnes in Adam peccâsse confitemur, eximiam tamen Reginam prædicare. Nescisne etiam per salsissimos Oceani fluctus dulces aquarum venas permeare? Nescisne cùm hydragyro cætera lædantur vasa, vitrum solùm non erodi? Fons aquarum viventium est Maria, speculum est sine macula

lucidissimum potuit non erodi peccati hydrargyro, potuit inter salsas Originalis labis procellas intemerato fluxu natare. Discurrunt per cœnum solares radij & non fœdantur: immerguntur Oceano splendores Lunæ, & non madescunt: Salit in igne Salamandra, & non aduritur: pertransit crystallum radius, & non offendit: ascendunt vapores in Cœlum, & non tangunt impressione: intrat in ventrem Ceti Jonas, & non corrumpitur: versatur inter Leones Daniel, & non devoratur. Una una fœdabitur communi cœno, madescet universi diluvio, aduretur peccati incendio, obfuscabitur vapore maculæ, corrumpetur in utero Annæ, à leone rugiente devorabitur *Maria?* Si quid est in me Spiritus, unam, unam spiret *Immaculatam Mariam*; si quid est in me vocis, unam unam loquatur *Immaculatam Mariam*; Si quid est in me Sanguinis, ad supremam usque guttulám exhauriatur, ut unam scribat *Immaculatam Mariam*. Hanc vos mecum Sodales Parthenij veritatem, etiam prostituto sanguine propugnate. Hac purpura dignissimè scribitur *Immaculata Maria*. Quod si sanguine decertare non licuerit, moribus certè non vetabimur. Discet ex nobis quisquis verba nostra ab bilancem revocârit, quisquis acta curiosior interpres examinaverit, quisquis in cogitata perviderit genuinos *sine macula Conceptæ Virginis* nos esse Sodales, quibus maculam omnem ex vultu detergat modestia, ex animo Integritas, ex moribus gravitas, quorum omnes vitæ partes suo Jure dici postulent *Immaculatæ*.

Dicta Viennæ Austriæ ad Sodales Marianos.

ORA-

ORATIO IV.

DE IMMACULATA CONCEPTIONE BEATÆ VIRGINIS.

Aurora.

ADſum matutinus ſalvator ſurgente *Aurorâ* Sodales Mariani. Quam ego dum nomino, poteſtis equidem primam diei *Auream horam* cogitare; ut primum *Mariæ* orientis florem *Immaculatum* animis veſtris repræſentetis. Poteſtis avocatam ad altiora mentem in Cœlos defigere, ut cùm *nihil coinquinatum* in eos ingredi animadvertitis, in Cœlo hærentem *Auroram* veſtram ſine labe mundam pronuncietis. Poteſtis revocatos è Cœlis aſpectus in Oceanum promittere; ut cùm ſuperiorem illo aſſurgere Auroram intelligitis, toto humani generis, primævâ culpâ, naufragantis pelago ſuperiorem Virginem intelligatis. Poteſtis formoſiſſimam vobis Dearum Camillam, fronte & labiis, digitis & lacertis, ac toto corporis habitu ſine ſpinis roſeam imaginari, ut cùm *plantationem Roſæ in Hiericho* auditis, omnem ab ea ſpinarum exercitum amoveatis. Sed conſtringamus tantiſper piam cogitationum licentiam; ne cùm plurima ad Auguſtiſſimæ Virginis commendationem *Aurora* ſuppeditat, per omnia vagi deficiamus in ſingulis. Quare ſinamus hodie Auroram aliis diei noctisque diribitricem nominari, quæ ducta per horizontem auri lineâ, lucem à tene-

 bris,

bris, luminosum ab obscuro, terras à cœlo dividit ac secernit. Sinamus *florem lucis* appellari, qui flores hortis, floribus colores, coloribus vitam, campis arbores, arboribus frondes, frondibus virorem, cœlo lucem, rorem aëri, terræ gratiam reponit. Sinamus eam dici primi evigilantis Solis risum, Orientis Floram, serenitatem Cœli, blandioris auræ parentem, lucis bajulam, luminis puerperam, purpureum Solis paludamentum. Nos verò nõn tam Poëtico figmento, quàm Philosophico sermone, Auroram innocentissimum pariter ac sincerissimum speculum nuncupemus, ex quo vivacissima Solis imago, ac tota radiorum majestas elucescat: ut cùm meminimus DEUM esse *Iustitiæ Solem*; agnoscamus tandem Deiparentem Virginem Divinitatis quoddam speculum, ac eo nomine *Immaculatam*: Quod cùm ego pronuncio, nolim equidem tam demissè de Virgine sentiatis, ut qua ratione ex divinis Oraculis accepistis *hominem ad imaginem & similitudinem Dei factum*, eâdem Conceptam Auroram Creatoris picturam ac Divinitatis simulachrum nominetis. Altiùs animorum nostrorum sensu evocavit Hipponensis Antistes, quando *dignam, quæ appellaretur DEI forma, existimavit*. Sublimiorem sensum aperuit Hieronymus, quando *sculptam expressamque Dei statuam* prædicavit. Nobiliorem Andreas Hierosolymitanus, eminentiorem Theologorum Angelus à nobis exigebant opinionem, quando ille *singularem Archetypi Divini*, iste *Divinæ bonitatis imaginem judicavit*. Neque verò dum supra inferiorem hunc mortalis naturæ ordinem contemplatorem oculum elevatis, vos in *signaculo similitudinis*

DEI

DEI hærere patiemur; ut, dum incitato affectu in Virginis laudes anhelatis, ad ipsa Divinitatis arcana penetretis. Dicitis absolutissimo DEUM imperio in res universas dominari? Consulite Bernardum, ut concipiatis *Mariæ omnem in cælo & in terra concessam esse potestatem.* Asseveratis DEUM immensitate sua penetrare omnia, & qui universa seipso claudit, nullis finibus circumscribi? Ex Bonaventura discite, *Mariæ immensitatem mensurare neminem posse, nisi solùm eum, qui illius gratiæ & gloriæ sublimitatem, pietatis ac misericordiæ profunditatem est scrutatus.* Agnoscitis DEUM, ipsam esse pulchritudinem ac venustatem? primam ad hujus pulchritudinis imitationem delineatam esse *Mariam* non dubitate. Creditis quidquid est perfectionis aut excellentiæ per creaturas, velut in rivos, dispersum, in DEO, velut in Oceano eminere? Arnoldi fidem contestor, *quidquid Creator singulis distributor justis contulit, Matri adornandæ congessit.* Non adduco ad veritatem fabulas, non mendico ab umbra lucem; non revoco in memoriam Pandoram, cui ad miraculum instruendæ Deorum laboravit Universitas: in cujus frontem Graciæ sparserunt lepores, in cujus oculis Phœbus: accendit sidera, in cujus vultum Venus afflavit venustatem, in cujus labia Suada diffudit mella, in cujus linguam Mercurius aspiravit facundiam, in cujus corpus Jupiter induxit majestatem. Nihil est majestatis in Cœlis, lucis in Sole, splendoris in stellis, decoris in luce, serenitatis in aëre, venustatis in terra; virtutis in homine, perfectionis in Angelo, excellentiæ post DEUM, quod non amplissima Divini-

Divinitatis manus contulerit in *Mariam.* Ex cœlo Solem detraxit in amictum; Lunam subjecit pedibus, stellas ordinavit in coronam: ex terra Cedros & Cypressos vocavit in staturam, rosas in speciem, balsamum in odores, aurum optimum in caput, piscinas in oculos, ebur in collum, hyacinthos in manus, in nomen & animam universum *Mare gratiarum.* Dicite DEUM *incomprehensibilem* cogitatu, ineffabilem voce, indicibilem linguâ, altissimum majestate, bonorum omnium *Oceanum*, *Abyssum perfectionum:* sed patiamini quoque ut primam post DEUM *Mariam incomprehensibilem* testetur Nyssenus, *ineffabilem* profiteatur Damianus, *indicibilem* dicat Augustinus, *ineffabiliter sublimatam* nominet Hugo, *gratiarum Mare* vocet Damascenus, *inexhaustam bonorum abyssum* compellet Epiphanius. Ex quibus concludat sanè sapientissimus Idiota, DEI parentem Virginem esse *visibilem justitiæ Solis imaginem*; Richardus; *Divinam similitudinem*; Damianus, *Deificatam*; Dionysius & Augustinus *Deiformem Mariam*; ego pariter concludam Conceptam sine primævæ labis contagione *Mariam*, *Speculum* esse *sine macula*; *imaginem Divinæ bonitatis.* Erravi, Non licet concludere, dum in interminabili Marianarum laudum Oceano versamur. Necdum probavi *Auroram,* necdum singularem *Divinæ bonitatis imaginem* evici; nisi quoddam Trinitatis mysterium ostendero in *Maria.* Mater est, Filia est, Spiritus purissimus est *Maria.* Si tres in Divinitate adorant Theologi Relationes tres in Augustissima Virgine venerentur Relationes Mariophili, Matrem Filij; Filiam Patris, Spiritus sancti Amorem. Hæc DEUM suum

ſuum agnoſcit Patrem, quod agit & Verbum: Verbum ſuum compellat Filium; quod vocat & Pater: Spiritum Sanctum ſuum dicit amorem; quod & Filius agit & Verbum. Totus in Filio eſt Pater, totus in Filia: totus eſt Filius in Patre, totus in Matre; totus Spiritus Sanctus in Verbo & Patre, totus eſt in *Maria.* Et verò ſi ex indiviſa elogiorum diviſione Omnipotentiam Patri attribuerunt ſupernaturalium arcanorum Magiſtri; Omnipotentiæ in *Maria* teſtimonium à cœleſti Caduceatore accipite; qui *ſuperventurum Virgini Spiritum Sanctum, virtutemque Altiſſimi obumbraturam* nunciavit. Sic enim vobiſcum ſtatuite, ut adorandæ ſpecioſiſſimarum rerum imagines ex amœniſſimo lucis & umbræ duello conſurgunt; ſic per ſupervenientem ſanctiſſimi Spiritus lucem, ac Virtutis omnipotentiæque Divinæ umbram omnipotentiæ Patris lineamenta perfectiſſimè tracta eſſe in *Maria.* Ut ſi in poteſtatis illius defixi conſideratione admirati eſtis aliquando, unà Patris dictione conſtitiſſe univerſa; obſtupeſcatis pariter uno Matris verbo omnia eſſe reparata. *Dixit* Pater *& facta ſunt*, quæ per utrumque orbem diffuſa intuemur. *Dixit* Mater, & reſtituta ſunt, quæ mortalitatis ſcelere interjerant. *Dixit* Pater, *Fiat lux*, & facta eſt prima humanorum oculorum voluptas: *Dixit* Mater, *Fiat*, & *Verbum caro factum eſt. Lux Iuſtitiæ, quæ illuminat omnem hominem. Dixit* Pater, *Fiat firmamentum, & factum eſt*; *Dixit* Mater, *Fiat* DEUS Homo; *& Homo factus eſt*; labentis mundi firmamentum. *Dixit* Pater, *germinet terra herbam virentem*, & amica veris jucunditas omne latè ſolum occupavit: *Dixit* Mater, *Aperiatur*

tur terra, & germinet Salvatorem; & prodijt *Flos campi*, exilijt *germen salutis, fructus vitæ* maturuit. *Dixit* Pater Verbum in amplissimo suæ fœcunditatis gremio: *Dixit* Mater Verbum in Augustissimo sinu Virginitatis. *Dixit* Pater invisibile Verbum flagrantissimâ Divinitatis luce absconditum: *Dixit* Mater humanis oculis aspectabile Verbum, mortalis corporis integumento obvelatum. *Dixit* Pater Verbum amplissimâ suimet ipsius suarumque perfectionum comprehensione: *Dixit* Mater Verbum abjectissimâ sui æstimatione. *Dixit* Pater Verbum *vestitum gloriâ & honore*, per sublimitatis suæ eminentiæque cognitionem: *Dixit* Mater Verbum *humiliatum in forma servi* per Ancillatus sui profundissimam intellectionem. Quærant jam in Symphoniacum coacti globum Cœlestes Genij; Quæ est ista, quæ ascendit? Respondebo, Vivum Æterni Patris simulachrum, candor acerrimæ lucis Divinitatis, Umbra omnipotentiæ increatæ: Verbo, Aurora; in qua vivacissimis coloribus primi Solis plenitudo divina manu pingitur & efformatur. Sed ut à Patre Filius, sic nostra à Patre in Filium procedat Oratio. Quem cum à Sanctissimo Patrum Senatu, à Consultissimo Theologorum consensu, æternam in mente Patris rerum producendarum Ideam, vivumque prototypon intelligitis; decernite simul Incarnati exemplaris Matrem exactissimum esse Filij simulachrum. Enimverò ut regium educturus palatium Architectus, non mente solùm universam molem ejusque partes designat; sed compendiosam etiam sui conceptus epitomen molitur in ligno; in qua definit muros, distinguit latera, secernit turres, secat ambulacra, aperit concla-

via,

via, erigit ſcalas, effodit puteos, digerit hortos, & in contractâ ſtructuræ ſimilitudine auguſtam molem comprehendit: ſic ampliſſimum hoc univerſi theatrum fabricaturus DEUS, in Verbo ſuo, hoc eſt, æternæ Divinæque mentis Ideâ, totam machinam ita diſtinxit in partes, digeſſit in ordines, concluſit in limites, compoſuit in unionem; ut tamen ejus conſtituendæ alteram quoque Ideam veluti principalis imaginem ac ſimilitudinem exiſtere voluerit Virginem *Immaculatam*. Non miror jam, cùm *ducerentur in Orbem Cœli, cùm appenderentur fundamenta terræ cùm librarentur fontes aquarum*, illam ſemper laboranti DEO adſtitiſſe; ut velut anticipata rerum ſimilitudo ſerviret in exemplar: cùm ex Damiano intelligo, *in ipſa, per ipſam, & cum ipſa totum decretum eſſe faciendum.* Non miror illam *gyros Cœli circumiviſſe, in omni terra ſtetiſſe, ambulaſſe in fluctibus maris, profundum abyſſi penetraſſe*, quando non hujus tantùm porrectæ in immenſum ſtructuræ, ſed earum quoque Creaturarum Ideam intelligo Virginem, quas nunquam viſuras lucem manu clauſas tenet Omnipotentia DEI. Nam ſi hoc uno argumento Unigenito Patris, *quod in forma DEI eſſet*, univerſa repræſentandi attribuimus privilegium; negare id ipſum *Immaculatæ* Virgini non valemus, quod eam cum Dionyſio & Hipponenſi præſule *Deiformem* agnoſcamus. Quare ſi in Verbi elogia, veluti torrente infuſi, dicatis. Filium *ſpecioſum formâ præ filiis hominum*; ipſe Incarnatus DEUS *totam pulchram amicam, pulcherrimam mulierum ſalutabit Mariam*. Si dicatis pulchritudinis admiratione ſuſpenſi *diffuſam gratiam in labiis Filij*:

ipſe

ipſe interpres Numinis Caduceator Angelus, *plenam gratiâ* venerabitur. Si dicatis eum *Gigantem accinctum gladio ſuper femur*, aut *indutum fortitudine ac virtute præcinctum*; *Turrim David* veſtra Avorumque veſtrorum pietas adorabit; *ex qua pendent mille clypei, & omnis armatura fortium.* Si dicatis eum DEUM *exercituum*; agnoſcetis *Mariam terribilem ut Caſtrorum aciem ordinatam.* Si dicatis eum *pulchritudine ſuâ intendere* in ſceptra, *procedere* in regna, *regnare* in imperiis: intelligetis occupatum Reginæ ſpecie Regem, eam, ut orbi dominetur Imperatrix, ſuam ad *dexteram in veſtitu deaurato collocaſſe.* Si dicatis eum orbis Triumphatorem, qui *ponat inimicos ſuos ſcabellum pedum ſuorum*: reponam hanc paſſam quidem unius duntaxat Serpentis inimicitias, ipſius tamen *caput contriviſſe.* Si dicatis eum eſſe DEUM inter hominesque *Mediatorem*: adjiciet Albertus rejectorum à DEO mortalium *Mediatricem eſſe Mariam.* Si dicatis cum oraculo Gentium nos *de plenitudine illius omnes accepiſſe*: dicet pro Virgines cauſa Bernardus, *de plenitudine iſtius accipere univerſos*: in *mœſtos* exire *conſolationem*; in *ægros* effundi *curationem*, in *captivos* derivari *redemptionem*: in *peccatores* effluere *veniam*, in *Iuſtos* exundare *gratiam*, in ipſam *Trinitatem* cumulari *lætitiam.* Si dicatis denique nos ab illo *emptos pretio magno*: addet ad encomium Virginis Iſidorus, *ſi Verbum Incarnatum pependit Redemptionis pretium*, ab Immaculatiſſima Matre *materiam eſſe miniſtratam.* Quæ omnia ſi non in cautes, vel degeneres à pietate animos cadunt, dicetis quoque Virginem *Auroram* eſſe *Immaculatam*, & *Speculum*

lum

lum *Divinæ bonitatis.* At conjicite tandem cogitationes in Spiritum Sanctum, cujus diviniſſimam auram reſpiratis. Aſſentimini Theologis, in arcano Trinitatis myſterio Amorem Patris Filijque ſpiratione promanare? mutuo Patris in Filium, Filijque in Patrem aſpectu ſacratiſſimum Triados anhelitum reſpirari? Non negate hoc Marianæ veſtræ religioni, Tutelarem veſtram Imperatricem, ac Orbis univerſi Amorem divino prorſus anhelitu eſſe ſpiratam. Nam audiviſtisne aliquando DEUM *Gigantis* in morem *ad currendam viam* ſuam *exultaſſe*? Credite *ab itineribus æternitatis* fatigatum, termino tandem ſuo potitum reſpiraſſe in *Maria*. Audiviſtisne eum propè defeciſſe, quando *laborare eum fecimus in iniquitatibus noſtris!* Credite eum poſt longi temporis impendia reſpirâſſe, quando in *præſtantiſſimum peccati remedium* ſpiravit *Mariam*. Audiviſtisne eum *cui proprium eſt miſereri*; ruptâ quietis ſuæ tranquillitate, aperiendis aquarum cataractis, jacendis de cœlo ignibus, commovendis in noſtrorum ſcelerum ultionem creaturis non uno ſæculo fuiſſe occupatum? Credite tandem poſt diuturni laboris curas reſpirâſſe, quando in deficientis Mundi ſolatium ſpiravit M*atrem miſericordiæ Mariam*. Quod cum ad noſtros in Virginem conteſtandos amores ſit adeò tenerum; ad ejus verò commendationem tam ſublime & ſingulare, non audio eos, qui Reginæ laudes laudibus vulgi permiſcent. Non audio eos, qui etſi Divino halitu ſpiratam non negent *Mariam:* hoc tamen elogium commune volunt Protoparenti, *in cujus faciem inſpiravit DEUS ſpiraculum vitæ.* Debeo equidem hanc ſacris Oraculis

culis reverentiam, debeo hoc atteſtanti DEO ſubmiſſi animi tributum, ut prono inclinati judicij aſſenſu confitear, quod Divinæ paginæ aſſeruerunt. Dabit tamen hoc ampliſſimus affectus veſter, dabit convicta vel à Grammaticis ratio, tantùm ſupra communem mortalium ſortem cœleſtis Imperatricis encomium elevari, quantùm à *Spiraculo* diſtare *Spiritum*, ipsâ vocis inſtitutione intelligimus: ut cùm infuſum mortalium Primogenitori *Spiraculum*, diminutum quaſi *Spiritum*, non negamus; ſacroſanctè cum Angelo Legato aſſeveremus totum *Spiritum Sanctum ſuperveniſſe in Mariam*. Relegate enim cogitationes ad primam Orbis nondum in ordinem evoluti confuſionem; & ubi *Spiritum Domini ſuper aquas* totâ, quaqua patuit, terra exundantes volitaſſe intelligitis, mementote pariter univerſam illā *aquarum congregationem vocatam eſſe, Maria*; ut cum Græco Regij nominis Oratore Baſilio inferatis, totum Diviniſſimum Spiritum ſeſe Sponſæ Virgini infudiſſe: ac tandem, qui Sanctiſſimam Anteſignanam veſtram *Auroram* eſſe nō dubitatis, eandem Auguſtiſſimæ Trinitatis Speculum venerabundi ſaluteris. Quæ univerſa illud tandem conficiunt, ut qui credimus nullam in Patre, in Filio nullam, nullam in Spiritu Sancto maculam ullo unquam tempore poſſe reperiri, aſſeramus quoque pientiſſimâ religione etiam primum Orientis aut Conceptæ Virginis punctum omninò fuiſſe *Immaculatum*. Hoc ego publico Sacramento ita ſemper me ſenſurum ad aras promitto, ut prius ex venis ſanguinem, ex corpore ſpiritum extorqueri velim; quàm aliud niſi interveniente Eccleſiæ univerſali imperio, vel calamus ſcribat,

vel

vel animus ſentiat, vel lingua eloquatur. Quam in ſententiam ſi, juratiſſimi Virginis Amatores, mecum unà conſpiratis, videte quid hæc ipſa *Immaculati Conceptus* celebritas, quid *Auroræ* majeſtas, quid Diviniſſimi *Speculi* candor & ſinceritas, quid ſingulorum affectus, quid communis omnium pietas & religio expoſcat. Non egetis Socratis documento, qui Diſcipulis ſuis quotidianum ſpeculi uſum imperabat. Non egetis Demoſthenis exemplo, qui degeneres ſuos ab honeſta perorandi lege mores ac geſtus, ſpeculi eruditione reformavit. Nam in *Auroram* intenti, omnes in *Immaculata* Virgine rectè beateque vivendi rationes & videtis, & addiſcitis. Quoties M*ariam Auroram* auditis, toties maturum diem cogitatis; ad quem virtus veſtra ſequentibus annis Rerumpublicarum felicitati adoleſcit, ut eum ab hac *Aurora* fortunatiſſimo omine auſpicemini. Quoties M*ariam Auroram* intelligitis; toties florem diei cogitatis, qui tandem in publicum Orbis fructum erumpat. Quoties *Auroram* ſpeculum eſſe meminiſtis, in quo Auguſtiſſimæ Triados æternum Concilium repræſentatur; toties concluditis mores veſtros, agendi rationes, vitamque omnem debere eſſe *Immaculatam.*

Dicta Viennæ Auſtriæ ad Sodales Marianos.

ORATIO V.

IN ANNUNCIATIONE B. V.

Cùm in diem Paraſceves incidiſſet.

QUid eſt, Sodales Mariani, quod in eadem tempora Incarnati Divini Verbi contrahatur memoria;

moria; quibus ejusdem patibulati Numinis sacra funeralia peraguntur? Ingreditur Virginis uterum Homo Deus; & egreditur Urbe, suo ipse oneratus supplicio, Deus reus. Contrahitur in parva membra; & vastum in truncum distrahitur. Sepulto tenebris mundo diem infert; & suo meridies præcipitatus è solio tenebris sepelitur. Annuntiatur *Salus*; & è vivis tollitur: concipitur *Vita* & morte exstinguitur: sanguinem Deus imbibit, & quinis è fontibus eundem eructat: Sol oriturus suâ est in Aurorâ, & simul moriturus in occasu. Venit & fugit: oritur & moritur: spiritum Deus accipit & emittit. Nunc enim verò credo, quod ingeniosissimâ quondam definitione asseruisti Chrysologe, vitam Christi circulum esse annularem: non quod ejus gemma sit Divinitas, ejus palla sit Humanitas; ejus color sit ignis, ejus pondus sit Amor: sed quod proximum sit fini principium, nulloque ultima à primis discrimine secernantur. Agnosco circulum, cujus nectitur initio exitus, aurora occasui, vitâ morti: quorum ut alterum lætitiæ segete; ita alterum doloris messe animos nostros sibi rapit inundandos. Illam imperant Legatus pacis è cœlo Angelus, allata salus, illatus dies, concepta Vita, Dei Verbum caro factum, tremendus quondam Deus, hodie primùm dictus Humanus. Ad istam cogunt Legatus mortis à concilio Judas, prodita Salus, extinctus dies, occisa Vita, Dei Verbum mutum factum, & humanus omninò Deus infra hominem deformatus. Ambigua vacillat trutina, nec in mœrorem depressa, nec elata in lætitiam. At vel in lætitiam tamen assurgere instantis felicitatis imperio, vel concidere in dolores ad nutum mœstissimi

temporis

temporis eſt neceſſe. Ego tantiſper dubitante utraque lance librabo trutinam. Vos ubi utriuſque partis notaveritis pondera, linguam conſulite: etiam muta loquetur reſponſum; & ſilentio in alterutram partem facundiſſima Oratrix animos veſtros inclinabit. Atque ut felicitatis primum veſtræ non obſcura legatis argumenta, erigite, Sodales, oculos, & advolantem eminus feſtiva in Iride diu deſideratæ pacis Legatum inſpicite. Prima admittenda lætitiæ porta eſt oculus: puriſſima gaudia bibuntur aſpectu. Quid vos admirandam illam naturæ pompam, & tot ridentem coloribus Iridem cœleſtis Legati bajulam eſſe exiſtimatis? Si ſagittarium Numinis arcum nominetis: dicam ego tandem fractâ diuturni furoris ſetâ clementem, nulloq; telo metuendum. Si ridentis cœli faſciam appelletis: dicam ego ad colligendum novo ſempiternoq; fœdere homini DEUM explicatam. Si Auguſtum eam fornicem aſſeratis: dicam ego ſapientiſſima DEI manu ad ſuſtinendas indignantis aëris tempeſtates erectum; ne vindicibus armatæ fulminibus in ſontia mortalium capita devolvantur. Si gemina Tonantis brachia affirmetis: dicam ego ad colligendum benigniſſimos in amplexus hominem latiſſimè explicata. Si in auguſto cœlorum theatro erectum arcum compelletis: dicam ego vel ſubactis tempeſtatibus triumphalem, vel immortale trophæo pacis exſtruendo fundamentum. Dicam ſerenitatis arrham, tranquillitatis Indicem, pacis nuntium, naturæ lætitiam. Dicam riſum cœli, bonorum auſpicium, Votorum præſagium, picturam Clementiæ, amoris inſigne. Dicam denique ductum è cælo in terras pontem, quo vel ipſa Divo-

rum felicitas ad mortalium ærumnas deferatur, vel mortalium ærumnæ ad ipſam Divorum felicitatem enitantur. Hoc enimverò Paranympus ille ſpiritus denunciat, qui dum matutinus Salutator auſpicatiſſimum *Ave* inſonat, DEUM in propinquo felicitatis auſpicium, inclamat. Quod dum audio, non repetam toties illa decantata lætitiæ argumenta, inauditos à mundi incunabulis celebrari Hymenæos, nuptialia accendi feſta, veterem expungi noctem, novum irradiari diem, iras compeſci, laxari amores, furores extingui, accendi clementiam, diſſolvi vincula, ligari ſerta, ſtabiliri cum DEO fœdus, fundari pacem; ſervam è carceribus naturam in libertatem revocari. Illud ad noſtrorum cumulum gaudiorum fortaſſis vulgare minus eſt, aut in terras cœlum deſcendere, aut in cœlum terras commigrare. Sedem DEI ex ſupremis deturbatam regionibus concipite. Factus nobiſcum DEUS in tabernaculo Virginis conquievit, qui ſuum in Sole poſuiſſe tabernaculum gloriabatur. Solem in cœlo non quærite, dum agentis in terra Virginis uterum ſubivit. Angelicæ illæ mentes, quas devolare ab alto conſpicitis, cœlum ſuum ſequuntur. Sed & Virgineo prolatum ab ore reſponſum, illa conſentientis animi nota, *Fiat*, neſcio quam pectoribus noſtris violenter infundit lætitiam: quæ dum ad aures allabitur, ſubeunt quidem animos, prima naſcentis mundi exordia, ſed in oculos incurrit ad primorum ectypon initiorum fæcundiſſima inſtauratio: nec patitur, nos antiqua ſtupere miracula, dum verbo uno nova ponit admirationis theatra. Non libet jam admirari *Spiritum Domini* quondam *ſuper aquas* latum, dum

hodie

hodie Spiritus in maria (in *Maria* volebam dicere) supervenit. Non obstupesco ad unum loquentis *DEI* verbum, *Fiat*, repente cœlos constitisse: dum ad tuum Augustissima Virgo, *Fiat*, nova Divinitatis sedes est fabricata. Non admiror ad illas geminas Verbi Divini syllabas produxisse terram herbas virentes; dum ad geminas *Mariæ* syllabas de Virgine terra *Flos campi prodivit*. Non obstupesco ad illud congregationes aquarum factas esse maria; dum ad hoc meliores aquarum congregationes factæ sunt in *Maria*. Non miror ad illud effusum involatus aërem, dum ad hoc cœlestes Aligeri Spiritus effunduntur. Quæ omnia quantum ad hodiernæ diei celebritatem faciunt, tantum quoque conferrent ad communem mortalium lætitiam; nisi hæc instauratæ felicitatis dies in ipsa patientis Salutis tempora incidisset, quibus pro auspicatissimo Aligeri *Ave* ferale à Juda *Ave*, venenato osculo Saluti nostræ inhalatur. Pro faustissimis Hymenæis inaudito corpus ab anima divortio separatur, pro nova bonorum omnium instauratione, nova succedit supremi boni devastatio. Percurrite celeriore remo doloris mare, quorum mentes gaudiorum portus delectat. Ad primos pelagi ingressus in Oliveto scopulo pavor obviat, & fortitudinem terret; mœstitia occurrit, & solo affligit terræ firmamentum. Nondum ingressus mare, oculus mortalium DEUS, suo naufragus in sanguine pernoctat. Occurrunt in descensu Piratæ, & injecto fune, salutis onerariam trahunt captivam. Hæc ut ludibrium Ventis exponatur, adduntur alba & rubra vela ab Herode & Pilato. Additur & malus

Crucis. Incurrunt ab omni parte venti, allidunt ad Calvariæ ſcopulum,ubi tandem deſertus DEUS nefario mortalium ſcelere emoritur. Invadit dolor cœlos , qui atrato amictu funus proſequuntur. Terra ſinus aperit ſui tonantis miſerta , ut mortuo præbeat tumulum , qui vivus *non habuit, ubi caput ſuum reclinaret*. Petræ diſſiliunt , ut reum fortaſſis tanti criminis hominem lapident. Suis è ſepulchris excutiuntur mortui , ut in ſalutis vindictam reviviſcant. Omnia deplorant comploratum DEUM. Quid vos agitis , in trutinam revocate : fortaſſis & gaudio ſua lachryma erat, & lachrymæ gemma. Etiam ſereno quandoque cœlo tenues in nimbos æther diſtillat. Medios etiam riſus lachryma occupavit. Unum lachrymis date oculum , unum gaudio : utrique corda , ſive illa Incarnato Verbo in cunas deſtinetis, ſive emortuæ vitæ præparetis in ſepulchrum.

Dicta Viennæ Auſtriæ ad Sodales Marianos.

ORATIO VI.

DE BEATISSIMA VIRGINE.

MARIA Mater noſtra.

DUm Parthenios Immaculatæ Virginis Sodales in hac etiamnum ardentiſſima caloris officina ad peculiarem Tutelaris Patronæ cultum accendere aggredior , neſcio Matriſne potius ſuaviſſimum nomen , an Auguſtæ Reginæ prærogativa , efficacius Oratori ad incitandos animos veſtros allatura ſit argumentum. Nam nimis arrogantis

gantis est, eam à te ambiri genitricem, quæ vestitum humanitate Numen deserto mundo Reparatorem produxit. Nimis ingrati est, filiali in eam affectu non convolare, à qua plus quàm materna semper in nos beneficia promanârunt. Nimis audacis est in fraternitatem Christi venire eos, quos sceleftæ plurima vitæ morumque labes contaminavit. Nimis insolentis est adoptari à Regina velle eos, quos sub mapali rustico viles pro cunis cannæ exceperunt. Nimis neglecti animi est, adoptari à Regina cum possis, agresti nominis ac sanguinis conditione contentari. Geminus me in diversa rapit affectus: & cum debere me utrumque intelligo, neutrum deferendi libera est potestas. Ne reverentiam exhibeam, amor prohibet: ne amorem deferam, reverentia vetat. Heu nimium veritatis habet non ignobilis illud Poëtæ:

Non bene conveniunt, nec in una sede morantur Reverentia & Amor. Illa defixis in terram oculis umbram Virginis insequitur; iste liberior oculo in Virginem sese convertit. Illa indignam se profitetur; hic etiam se penetrat in amplexus. Illa demisso ad honores vertice penè procumbit; hic etiam superbior ad latus audet assistere. Illa silentio Majestatem veneratur; hic facundissimam sese in linguam induit, suos ut in Virginem affectus eloquatur. Illa semifractis præ timore verbis vix Reginam appellat; Amor dulcissimâ exiliens voluptate matrem audet nuncupare. Quid agam, cuinam obsequar? Reverentiæ an Amori? Matremne dixero? an Reginam? Etiam ignes fatui trabeatam flammis Solis Majestatem Patrem agnoscunt: etiam putrescentes undæ genitores limpidissimos,

 dissimos,

dissimos, imò etiam crystallinos habuêre parentes, etiam degener Ales Aquilam Matrem salutavit Reginam? non agnoscit eximiam potestatem, qui non Reginam compellat: detrectat imperia, qui non agnoscit potestatem; rebellionem parat, qui detrectat imperia: Læsæ Majestatis reus est, qui parat rebellionem. Quanquam quid est, quod fluctuantem adhuc animum in ambiguas possit distrahere voluntates? Facile, Sodales Parthenij, in ancipiti lite triumphabit Amor, qui Rex est affectuum; facilè in vincula & amoris compedes captiva incurret reverentia, cujus proprium est amorem revereri. Vince ergo Rex affectuum, vince Augustissime Præliator Amor; & quam Dominam alij prono corpore, alij Reginam humili obsequio, alij orbis superioris æquè ac inferioris Imperatricem subjectâ voluntate reverentur, nos Amore Magistro audaciores effecti uno simul ore & affectu Matrem compellemus. Atque ut ad ipsam felicitatis nostræ deveniamus originem, eò sollicitæ animorum nostrorum revolvendæ sunt cogitationes, ubi primùm Augustissima Virgo Materni nominis dignitatem est consecuta Nempe in funestissimo illo & ad feralem Catastrophen tumente Calvariæ colle, in quo patibulata mortalium Vita inaudito ab hominum memoriâ exemplo emoritur; in eodem nobis cum expirante Vita propè expiraturis ad novam vitam reservandis, *Maria* universorum Mater pronuntiatur. Ita enim teneriores mihi persuadent affectus; cùm Joannem sub trabali ligno in filium suscipit, in nos adoptandos materna viscera aperire. Quid? negatis hoc Jurisperiti? Obstare tabulas, adversari leges, sanctissima Imperatorum decreta

creta refragari oſtenditis? Scio equidem ex conſultis veſtris, *non licere Mulieri adoptare*: ſed non ignoro tamen, *per ſpecialem Principis indulgentiam in ſolatium liberorum admiſſorum fœminis quoque adoptandi* fieri poteſtatem. Date ergo, date hanc benignioris *Mariæ* facultatem, ut ubi unigenitum ſuum amittit, ibidem in amiſſi ſolatium alienos valeat adoptare. Date quod liberaliter dedit pendulus è ligno Princeps, ut quem ipſe ſuo vacuavit exceſſu ſinum, eundem repleat adoptivorum multitudo filiorum. Nefas eſt refragari, cum Principis eſt patefacta voluntas. Illa enim verba, *Mulier ecce filius tuus*, aut illa, *Ecce Mater tua*, quos obſecro animis veſtris affectus ingeneraverunt? Erratis, erratis profectò, niſi DEUM ita loquentem animo concipiatis: ſum Vita, ſed morior! ne commoriatur, quidquid per me vixit, Matrem ſufficio: à qua vitam trahant mortales. Audiviſtis hæc olim tot Hiſpaniarum Galliarumque Reges, tot Orientis Occidentisque Imperatores, qui non jam ſupplices ad ſalutis aram, non proni ad Majeſtatis Solem, non venerabundi ad libertatis aſylum; ſed amantiſſimi filij ad Matris complexus advolaſtis. Audiviſti hæc (ne retexamus vetera) Ferdinande III. Romanorum Imperator ſemper Auguſte, qui nuper concepto voto fortunas, & Liberos, Regina & Provincias, hanc Auſtriam, hanc Urbem, temetipſum in ejuſdem ſinum conjeciſti. Audiviſtis hæc vos ipſi (quid enim ſectamur externa) audiviſtis ſexto abhinc menſe, cum dicto Sacramento in hoc ipſo loco vos eidem conſecraſtis. Qua una re, neſcio, plus ne gloriæ in vos, Reges, ac Imperatores redundet, an plus accedat feli-

citatis *Mariæ*. Dicerem non veſtræ tantum felicſtatis argumenta; ſed triſti ſpectaculo vetuſtæ Rachelis exempla viderem innovari. Pepererat ea aliquando unicum ſuum Patriſque delicium, Joſeph, eo animi propè colliqueſcentis guſtu, ut alterius ſuſcipiendi deſiderio inflammata oraret ad Dominum, *Addat mihi Dominus &, filium alterum*. Audivit orantem DEUS. Benjaminum dedit. Sed heu! quem *filium doloris* ſuo tandem acerbiſſimo cruciatu coacta eſt nuncupare Neſcio pluſne hic ſit Hiſtoriæ, an figuræ, Certè Tutelaris Virgo Parens & Primogenitum ſuum DEUM, inter applaudentium Angelorum concentus peperit, & nos *doloris filios* inter ſua æquè ac cruentati DEI tormenta ſuſcepit. Atque hinc fortaſſis eſt, quod innocentiſſimum *IESVM Mariæ Primogenitum* nuncupemus. Scio quidem primogeniti nomine veneranda ſanctiſſimorum Patrum authoritate *Vnigenitum* nuncupari. Scio, ſi in hæreditatem ſempiternam animis reſpiciamus. Incarnatum DEUM *Primogeniti* nomine compellari, *quem DEVS conſtituit hæredem univerſorum*. Sed illud non importunè fortaſſis dixero, ad vos reſpexiſſe præſcium futurorum Spiritum, quando *Primogenitum* nominavit. Nempe ſecundum indigitat, qui primum commemorat. At enim Ebionitarum favemus erroribus. Cerinthi incurrimus impietatem. Si ſecundos *Maria* ſuſcepit filios, actum eſt de ejus integritate. Non ignoraſti hunc ſcopulum ſanctiſſime Spiritus, primogenitum tamen cum ſecundo geniti indigitatione *IESVM* placuit compellare, ut intelligamus illud te egiſſe efficacius, ut nos tantæ Matris filij agnoſceremur, quam ut

ejus

ejus fama maneret illæsa, & Virginitatis nomen illibatum. Qua unâ re tanta in nos cumulantur beneficia, ut attentiùs inspicientes supra ipsos Angelicæ naturæ limites attolli videamur, dum Reginam scilicet adorant ipsi, quam nos Matrem veneramur, ut dum te filium agnoscis, eos servos intelligas. Nullus enimverò Filius est *Mariæ*, quem in Redemptorum serie DEUS homo non numeravit, ad nullum sese reparationis protendit amplitudo, qui vel sub infernali jugo non ingemuerit aliquando, vel Tartareas subeundi catenas debitum non contraxerit, vel præveniente veluti pharmaco non fuerit præservatus. Exulatis boni Alites Redemptoris DEI spatiosa regione; exulatis à liberaliter profusi Sanguinis tinctura: non suppetit, unde *Mariam* Matris suavissimâ compellatione veneremini. Dominos ejus nutus observate; proruemus nos maternos in amplexus: silentio ejus Majestatem celebrate, nos pios in Virginem affectus eloquemur. Hos pridem animos in nobis accendit Primogenitus in Cruce frater triverbio illo de nobis dicto: *Ecce Filius tuus*: hoc est, ut ego quidem interpretor, Ecce, quos tibi excessurus vitâ postremū veluti legatum commendo, quorum adoptandorum post mea funera plenissimam facio potestatem; illos omnes eo fove benignitatis affectu, quo me reptantem olim per sinus infantē complectebaris. Admiretur hic Orbis cum omni retrò ventura posteritate exaggeratum commendantis affectum; ego verò inauditum suscipientis amorem commendabo. Enimverò vix prolato triverbio illi materna viscera invaserunt affectus, qui teneriorem in recens adoptatos filios amorem exprimerent,

quam in Unigenitum *IESVM* ab amantissima unquam Matre extorsissent. Quid? nefarium dictum, scelus audax, inauditam impietatem, enorme sacrilegium exclamatis? silebo igitur intempestivus Orator, dum ratio ipsa nobis persuadet efficaciùs, adoptivum magis amari filium, quàm naturalem. Hunc enim casus tribuit, adoptivum electio: illum natura generat, hunc amor assumit: ille tuus est, etsi nolis; hic non nisi volueris, non nisi amaveris. Dicam ergo, quod in dubium nemo possit revocare, dicam, Cor tuum, & amores, animum & affectus omnes ita quidem Primogenito tuo fuisse obligatos, ut unus ille fuerit cordis quies, amoris meta, animi centrum, affectuum omnium terminus; tuam tamen in nos ita patuisse charitatem, ut si externæ beneficentiæ signis metiamur affectum, nostris non minùs commodis studuisse videaris. Nam quid est quod eum vix natum materno ab ubere resolutum asperrimo reclinaveris in præsepio? Quid est, quod medias inter tempestates ad sævientis brumæ ferociam exiguis fascijs involutum inter animantia abjeceris? exuistinè viscera pietatis? an ejus ignorantiam induisti? Sed nimirum sinus illos maternos Filio tantisper negare es visa, ut nobis apertos ostenderes: ne solus totos insumeret ille, nobis reservare voluisti explicatos: deposuisti *IESVM*, ut nos assumeres in amplexum. O Augustissima Parens, ô sanctissima cœlorum Imperatrix! *monstra te etiamnum esse Matrem.* Hoc uno titulo omnes affectus nostros rapuisti. Religio te nostra, etiam ringente Hæresi submisso corde veneratur: observantia ad nutus tuos suspendit attentionem, eò provolatura, quo nutus indicârint.

Timor

Timor hoc unum timet, ne qua fortè mundi plaga tuus honor jacturam patiatur. Gaudium hoc unum gaudet, te toto Oriente & Occidente, Meridie & Septentrione à plebe æquè ac Magistratibus, à Regibus & Cæsaribus, etiam conceptis publicè votis coli. Spes in te refugium & solatium designat, Amor denique in tuos nos prolicit amplexus, ut accurramus, unicum filiorum; ut accurrentes non despicias, unicum tibi Matris nomen persuadebit.

Dicta Viennæ Austriæ ad Sodales Marianos.

ORATIO VII.

DE BEATISSIMA VIRGINE.

Columna Ignis in deserto.

D*Uctus IESVS à spiritu in desertum*, meam quoque hodierna die secum abripit orationem Auditores magnæ Matris Amatores: necessitatem verò imponitis ipsi, qui jubetis perorare. Ne mutus compaream, Verbum inquiro: nisi in deserto, non reperio. Sterilem expectate facundiam, cui ubertas omnis sterilescente è solitudine evocatur: jejunam orationem, quæ jejunum Verbum insequitur; dictionem asperam & incultam, quæ horridis decisa rupibus protrahitur in apertum. Nunquam Flora hortenses suas divitias explicuit in solitudinem, ut floridam inde sperare possitis eloquentiam. Nunquam deliciarum theatrum summis in rupibus aperuerunt Gratiæ, gratiosam ut inde produci posse facundiam credatis. Nunquam limpido manantes argento fluvij, aut

molles aquarum percussiones per invita tesqua sunt auditæ, ut inde mollioris Suadæ fluenta derivari posse vobis persuadeatis. In hortos amœnior natura variata florum castra contraxit; in tesqua horrentem spinis exercitum dispersit. In urbes, urbanissimas Dearum omnium Gratias conduxit; in deserta & avia dumetorum ejecit in urbanitatem. In virentia voluptatis prata, molles aquarum risus jocos que convocavit; ad sitientes solitudinis vastitates condemnavit ariditatem. Infelix Orator, cui eripiuntur flores, offeruntur spinæ, subtrahuntur gratiæ, obtruduntur dumi; denegantur fontes, ariditas propinatur. Infelix Orator, nisi feliciorem reddat. *Flos campi* ad amœnitatem, uberiorem fons salutis ad facundiam; inter umbras illustriorem arbor vitæ ad eloquentiam. Quod quidem sperare licet, dum Salvatoris in desertum ingressu, inaudito miraculo. *Flos campi* ingreditur; in arentia terrarum spatia fons Salutis immanat; in medio spinarum dumorumque concilio arbor vitæ efflorescit. Infelix Orator, nisi quò meam dictionem vestra propellunt imperia, vestri quoque comitentur affectus. In arduo itinere comitem postulo; cujus societas securitatem præstet, cujus commercij dulcedine sopiatur amator; cujus affatus lætior mentis serenet tempestates; cujus præsentia jactatam turbinibus mentem quieta tranquillitate componat. Nec potestis non comitari, dum ipsa via in desertum discedit. Qui fugitis avia, à via non receditis. Deviat, quisquis isthac non procedit. Regia est: non tam quòd Reges excipiat, quam quod faciat, dum incedentes suo plerumque reddit sanguine purpuratos.

Surga-

Surgamus ergo, si quos periculosa quiete somnus consopivit. Nemo in via tutus obdormivit. Excutiamus servilia ab animis vincula, quibus Tyranna voluptas nostram catenavit libertatem. Regiam viam non licet servili gradu proculcare. Recedamus à molli deliciarum semita; itineris asperitas delicatos non patitur Viatores. At nescio, quæ sese nobis avidâ sollicitudine in itineris progressum intentis objectant tenebræ, & superfusâ caligine viarum geminant difficultatem, nempe tenebrarum Princeps Solem vestrum invasit: potestas tenebrarum diem obduxit: Inferni tenebrio lucem abstulit, quæ illuminat omnem hominem. Diffiderem profectò per densam solitudinis umbram infelix viator eluctari, nisi quæ Isacidas quondam nocte circumfusos ardentis columnæ beavit felicitas, mea quoque vota antevenisset. Enimverò *Columna* est *Maria* fortunatissimo vestro conamini in flammas accensa, & Divinâ luminis opulentiâ itineris molestias, & ditissimâ caloris affluentiâ exulceratam hyemis barbariem temperatura. Quod dum obscurus Orator palàm facere allaboro, totus in lucem venio, tantò à materia mea splendidior, quantò augustior de columna promicat flammarum tempestas; tantò securior, quantò robustior est *Columna*, quæ meam sustentat orationem. Atque ego quidem dum Columnam appello *Mariam*, jam vos in exurgentem illam vivo ex electro Civitatem, sidereisque interpunctam pyropis cœli regionem prævolas immittitis cogitationes; palmarem rati tam illustris operis injuriam, aliqua illud inferioris mundi parte investigare. Sed revocate Sodales Mariani, revocate à superba illa Cœlitum sede, à stellato

Majestatis palatio, ab Augusto Divinitatis theatro sollicitas veritatis indagationes. Injuriam facitis *Mariæ*, nisi & infra cœlos Atlantæam quæritis sustentatricem. Dicite (quæ condemnata pridem audacissima Atlantis fabula & succollantis Herculis mentita sunt prodigia,) unam sidereorum orbium & supernæ illius Universitatis Fundatricem bajulamque spectanti in ruinam mundo subjectum esse firmamentum. Dicite hanc unam, ubi cætera pavore concussa contremiscit mortalitas, stetisse semper inconcussam: dicam ego ad illam quoque acclinata labantium hominum pericula, sepositâ formidine, didicisse non trepidare. Dicite eam unam supra omnem humi serpentis virtutis ac nobilitatis conditionem elatam, supra Divinorum spirituum naturam evectam proximam suâ celsitudine attigisse Divinitatem: dicam ego inaudito à mundi nativitate prodigio ipsam quoque portâsse Divinitatem. Dicite ad invidiam Calpes & Abylæ, non mundi ab Hercule pridem emensi, sed Divinæ omnipotentiæ Terminalem Colossum, cui cùm Deiparentis nomen dedit, simul, *Non plus ultra* inscripsit: dicam ego eandem esse salutis nostræ initialem; quam cùm DEI Genitricem nominamus, simul edicimus originem causamque nostræ felicitatis. Dicite æmulam illi columnam, in qua Stylites mirandum sese sibi trophæum erexit: dicam ego ditissimæ Fortunæ molem, cui debeantur uni omnia, quæ post atrocissima bella de subactis Inferis reportantur trophæa. Dicite Hetruscæ illi per similem machinæ, Medicæis imperijs notæ, quam obdurato in marmor vestigio, trunca manus oculosque cæca Justitiæ statua premebat; dicam

ego

ego eandem & justitiæ nostræ sedem,& clementiæ pariter basim extitisse. Dicite editissimam ad miraculum Arcem,in qua,quæ *in altissimis habitat Sapientia,* suam sibi posuerit stationem:dicam ego augustum virtutis Magistræ suggestum , ex quo illa suggerit venturis per omnem retrò posteritatem sęculis,quę sequantur documenta,quę observent pręcepta,quas suscipiant leges,quæ admittant imperia, quos adorent nutus,quæ ad sæculorum memoriam imitentur exempla. Dicite non absimilem ei , quæ apud Barbaros olim & inhumanos Thraciæ populos humanissimi Amoris ingenium sub Orestis ac Pyladis frigido emblemate inflammatum referebat: dicam ego novam inauditi Amoris columnam , quæ DEI hominumve sublato dissidio strictam inter utrosque dedit amoris unionem. Dicite portentosum inter mundi miraculâ apud Rhodios Solis colossum , dicam ego Justitiæ nostræ solem in eo aliquando conquievisse. Dicite illi demùm parem columnam,sub quam Athenienses , non secus quàm sub hastam Quirites , venales merces convocabant dicam ego liberalitatis colossum, ad quem pretiosissimus terræ cœlique thesaurus sine pretio postulantibus edonatur. Verùm cùm hæc universa magnificè eloquentes mecum edixerit,nec ipsi satis obscuritate orationem evolvistis, nec omni ab umbra illustrissimam columnam eduxistis. Ut & vos è nocte protrahatis in diem , & eam è tenebris in illustrissimas laudes educatis,dicite brevissimo encomiorum compendio , *Columnam ignis in deserto.* Enimverò audivistisne aliquando divinissimum illum in sacratissima Triade Spiritum , Amorem dici ; Amorem verò ignem esse ,

quo

quo totus Pater in Filium, Filius in Patrem reciproco dilectionis profluvio eliquatur? Audivistisne divulsis aliquando cœlorum involucris pluvium in flammis Spiritum linguarum allapsu in duodena Apostolorum capita descendisse? Illum credite, illum ipsum tunc ascendendę optatissima in incendia *Columna* Cœlo descendisse, quando siderei Paranymphi voce exposita quęsiti connubij legatio superventurum Spiritum sanctum adpromisit. Addam ego, sacrorum Oraculorum testimonio, *DEVM* nostrum *Ignem esse comburentem*, qui cùm in Virginem sese Divino illapsu insinuavit, divinissimum quoque adesse Spiritum voluit; ut aura non deesset, quâ inflammatus ignis confoveretur. Tunc ergò accensam credite, quando ignem concepit; cujus ne vel mundus absumeretur violentiâ, vel præstingueretur acrimoniâ, debuit *sanctissimus Spiritus obumbrare*. Et quid miremur calentissimum ab ea Verbum in media rigentis hyemis tempestate, ignitum eloquium glaciato Decembre prolatum, quæ linguam igneam susceperat? quid miremur ab hac flamma natam in tenebras lucem mundi? Mirarer sanè potiùs, si ab hoc igne inflammatum non fuisset *Lumen ad revelationem gentium*. Mirarer si ab hoc augusto lumine splendidissimę lucis semen non concepissent ij, de quibus aliquando edixit Veritas; *Vos estis Lux mundi*. Mirarer demùm si ab hac luce illę sanctitatis *scintillæ* non evolassent, quę *discurrunt in arundineto*. Addet hæc super omnem superstitiosæ vetustatis hyperbolen eminens, super omnes commentorum umbras illustris, Columna Antiquorum fabulis veritatis specimen, si veritatem possint ipsę induere: sed omnem simul detrahet admira-

mirationem. Credemus, ingenioso cerebri partu excogitari potuisse elevatum ad cryſtallinos cœli globos Titana,& radioſo circum igne trabeatum: at *Mariam* re ipsâ videbimus opulentiſſimo Sole cycladatam. Etenim, ſi, neſcio cui ex cano Philoſophorum concilio, Sol globus igneus dictus eſt; illam quæ *Sole amicta apparuit*, *mulierem* globo igneo dicite conveſtitam. Ad quam utinam novi Phaëthontes abripiamur! accendemus quidquid eſt rigentis frigoris in flammas: exuremus quidquid eſt torpentis maſſæ in cinerem: ſed eo ipſo ex cinere conſurgent illuſtres umbræ,quæ omnium retro Heroum clariſſimas virtutes adumbrabunt. Utinam novi Promethei ad eam flammati globi majeſtatem admittamur! reportabimus Diviniorem in vitam auſpicaciſſimum caloris tributum; quo deſides nimium, nimiumque torpentes affectuum noſtrorum ſtatuas animemus. Ut,ſi erraſſe aliquando viſi ſunt, qui heroas mortalium animas deciſam è flammeo illo cœli globo portionem appellaverunt; experientiâ nos beatiore condiſcamus, heroas non eſſe animas,quæ ſcintillâ non ardeant Marianâ. Si errare viſi ſunt, qui Solem ſuperni Numinis picturam vocaverunt: non erremus nos, qui tum demùm Numen exprimemus, cùm pectoribus noſtris ſeſe imprimet *Maria*. Si errare viſi ſunt,qui Solem naturę ſpeculum nominârunt; non erremus nos, qui tum demùm illuſtriſſima ſpecula evademus, cùm corda noſtra ad ſpeculum Juſtitiæ conformaverimus. Si errare viſi ſunt,qui Solem cœli pupillam dixerunt; non erremus nos,qui ut pupillam amaverimus *Mariam*. Si errare viſi ſunt, qui Solem cor mundi compellârunt;

runt;non erremus nos,qui Cor mundi *Mariam* visceribus nostris inseremus. Si errare visi sunt, qui Solem universale rerum omnium principium fecerunt;non erremus nos,qui alio vitam nostram pendere non velimus à Principio, quàm *Maria*. O fortunatæ animæ, quibus una anima est *Maria*! Nihil ego de vobis humile conceperim,quæ & sublimem sectamini Colossum,& originem vestram ab igne derivatis. Nihil obscurum,quæ vivitis in luce: nihil frigidum, quæ flammam sortitæ estis Marianam. Non crediderim quemquam suas ad ignes fatuos conversurum cogitationes, qui animam nactus sit de *Columna* ardente illustriorem. Nemo jactabit Avorum faculas, cui ad honores prælucet *Maria*. Nemo ambiet magni nominis umbras,cui lux est in delicijs. Nemo fumos congregabit, qui se in lumen gloriæ educere adamavit. Nemo sub majorum cineribus igniculos quæret, cui vasta per desertum incendia sunt amori. Nemo unde prodierit aut verecundè, aut jactabundè respiciet, si, quo anteeuntem sequatur Columnam, intendat. Sed quisquis volet obscuros illustrare natales, hinc lucem sumet: quisquis à tenebris nomen,famamque eruere ex obscuro, hinc radios mendicabit: quisquis demùm heroo passu ad clarissimam grassari gloriam,Ambulatricem per deserta *Columnam* insequetur *Mariam*.

Dicta Viennæ Austriæ ad Sodales Marianos.

ORA-

ORATIO VIII.

IN ASSUMPTIONE B. VIRGINIS.

Advocata noſtra.

QUid eſt, quod eo potiſſimùm tempore glorioſiſſima mundi Imperatrix ſupremo mortis frigore occupatur, quo per calidiſſimam cœli regionem proſerpens dies in coronatâ ſpicis Virgine agit æſtiva? Quid eſt, quod beatiſſimæ ejus exuviæ poſt emiſſam in cœlos animam, in vallem Joſaphat deportatæ anguſto tumuli gremio ſepeliuntur? Quid eſt, quod de ſepulchro rediviva dum triumphali plauſu à terris elevatur, militares digeſtus in ordines *gaudet exercitus Angelorum?* Non vacat myſterio, ſive ſtatio æſtivantis anni illius triumpho deſtinata: ſive aperta Vallis in ſepulchrum; ſive militares copiæ bipatentibus Cœli valvis in occurſum effuſæ. Enimverò, ſi, quod accepimus ab aureæ linguæ Oratore, cùm per æſtivas flammas excoctæ meſſes ſua gravidæ ſuſpirant in horrea, Imperatoriæ leges indulgent tribunalibus ferias, incîdunt actiones, claudunt judicia, vetant pœnas & ſupplicia: in eam non invitus adducor ſententiam; ut qui Auguſtiſſimam Virginem ab Aurea Eloquentia, *Ius dirimens lites*, nominari audivi, illam eâ ipsâ temporis ſtatione ex hac vita in Cœlos commigraſſe credam: ut ſedentem pro tribunali univerſorum Judicem, jam toties cumulato Morta-

Mortalium scelere in furores justissimos provocatum componat ad ferias, extinguat in oculis flammas, sedet in voce tonitrua, eripiat è manibus fulmina, rigoris tribunalia claudat, actiones in reos prohibeat, parata à sceleratorum verticibus avertat supplicia; & rursus misericordiam in pectus revocet, pietatem in vultu explicet, clementiam in manus reponat. Illa verò tumulandæ Virgini reclusa vallis, peregrinantis Rachelis iter, mortemque extra patrios fines obitam, & divulsam à Majorum sepulchris, proculque Avorum cineribus in eâdem valle tumulatam, reducit in memoriam, & dum à Sacrosancto Patrum Senatu intelligo, disponentis *DEI* nutu id evenisse, ut per Tyrannorum crudelitatem eo itinere trahendus in captivitatem Hebræus populus innocentissimæ Rachelis conspecto tumulo sua eidem vincula ad libertatem excutienda calidissimis precibus commendaret: simul in eam delabor cogitationem, Sacros demortuæ Virginis cineres in eam vallem esse congestos, in quam terminandi reliquias mundi, & defunctorum Manes in lucem restitutos ad supremum tribunal convocabit: Ut spem inde eruamus miseri nimium peregrini, exituras aliquando eodem in loco sub coactam universorum hominum panegyrim *Mariæ* voces, quæ ad formidandum illud Divinæ Justitiæ forum pro fontibus interpellent, & destinata in reorum vertices fulmina intercipiant. Neque recedunt ab instituto, qui in occursum Reginæ Cœlo effunduntur *Exercitus Angelorum*. Nam dum subit animum Tragici illius diei acerba recordatio, quo Divina Justitia, ut in *ultionem* contaminati per suas iniquitates hominis *omnes armaret creatu-*

creaturas, eas sub minacia Vindictæ labara convocavit, sidera malignis radijs venenavit, irâ & violentiâ ignem instruxit, aërem tonitribus fulminibusque replevit, ventos licentiâ & furore animavit, feras rabie & crudelitate exacerbavit, terram nocituris vaporibus sepelivit; simul se memoriæ insinuat, (dicamne Cantrix? an bellatrix?) illa *Sulamitis, Choris castrorum* præmunita: cui ut *Castra* serviunt nostræ Saluti protegendæ; ita *Chori* in numeros veniunt, ad Divinæ vindictæ calores temperandos. Et quamvis non ignorem Musico accentu serenari corda, temperari labores, sublevari tædia, mitigari dolores, furentesque animos ad benevolentiam revocari, fervente verò amorum incendio incæstari aërem fumo excæcari fulminibus oculos, per vulnera Mortem recipi, Victorem victo, viventes mortuis miserabili confusione incumbere: non ignoro tamen etiam hoc ab Ildephonso dictatum esse pro *Virgine Benedicta præconium,* ut *veluti Miles invincibilem vincat, & ut Musicus iratum placet.* Quare si audivistis olim eam *in vijs Iustitiæ ambulare, in medio semitarum Iudicij* versari; non equidem vobis persuadete, non aliquando gyrum cœli Sole velociorem esse emensam, in abyssos non penetrasse, tumentes Oceani tempestates non proculcasse, aut universas mundi regiones una peregrinatione nō pervolasse. Illud tamen non hærente animo credite, post obitos cœlos, post erutas abyssos, post calcata maria, post signatas vestigijs terras, sese ad proprium veluti centrum ac debitam sibi regionem, ad Justitiæ tribunalia reduxisse. Ego enim sic existimo, postquam malesanus mortalium furor armatus audaciâ

toties

toties rebellavit in cœlos, impatientem jam fræni Vindictam severissima plectendis criminibus instruxisse tribunalia; admisisse *Accusatorem fratrũ*, eundemque capitalem reorum hominum inimicum; & irati *DEI* manibus immite fulmen ingessisse. Sedet Judex, accusat hostis, reus homo deploratâ causâ inter sera ac non profutura lamenta desperat. Si semetipsum respicit, reatum videt: si hostem considerat, odium cum accusationis conjunctum veritate animadvertit: Si Judicem intuetur, supplicia reformidat. Abest Clementia, adest Justitia; abest pietas, adest rigor: abest misericordia, adest severitas. Nullâ parte affulget auxilium; nullâ Advocatus patrocinatur. O lachrymanda Mortalium infelicitas! Evolata sunt fortunatissima illa tempora, quibus unus in terris Moyses mugientia inter nubes fulmina, & justissimâ sævientem indignatione *DEVM* detinebat. Effugêre candidissimi illi dies, quibus unius hominis interpellatione Divini furoris incendia reprimebantur. O miseri! non est, *non est qui consurgat, & teneat* iratum Judicem: non est qui rigorem emolliat, sententiam flectat, secures obtundat, vindictam placet, fulmina excutiat, supplicia à nostris capitibus avertat. Prosterneret ea cogitatio deficientes formidine animos, nisi *in viis Iustitiæ ambulantem*, adstantem *in semitis Iudicij* Advocatam conspicaremur. Placuerint ei olim *florentes* suburbani *vineæ* ad amœnitatem: arriserint *hortorum* deliciæ inter jucundos Zephyrorum lusus ad voluptatem: delectaverint *montes Myrrhæ, & colles Thuris* ad odorum lenocinia: hodie (ô jucundum reis spectaculum!) ab hortis ad carceres, à plantis ad laqueos, à mollitie florum ad rigorem securium,

ab

ab aquarum lenè cadentium murmure ad feralem tubarum clangorem, à suburbanis gaudijs ad fori mœrorem, ab arborum fructibus ad reorum patibula, ab agrorum amœnitate ad *vias Iustitiæ* nostra transit *Advocata.* Hic sive Bellatrix invicta, sive flexanimis Musica invadit tribunalia; discurrit, allegat, impugnat, precatur, minatur, orat, evincit. Discurrit in favorem rei, allegat rationum momenta; respondet Adversariorum argumentis; impugnat hostium prætensiones; orat à Divinâ pietate misericordiam; minatur inferno vastitatem; evincit à Judice clementem animum; ut reos tandem in optatam afferat libertatem. Est jam pientissimi Sodales, est omninò *Advocata* vestra, quæ Demosthene suaviùs, vehementiùs Tullio, Cyneâ efficaciùs vestram causam propugnet Oratrix *Maria.* Est quæ ad desideratam clementiam iratum Judicem flectat Patrona. Est *inexpugnabile Scutum*, quod fulminanti Vindictæ objiciatur. Est erectum *propugnaculum*, quod ab excidio animas nostras tueatur. Est *murus & antemurale*, quo coronantem obsidione furorem intrepidi sustineamus. Est denique heroicum robur, quod ultricem manum compescat. Quare si audivistis aliquando, *DEVM ultionum Dominum* excussis pietatis ac misericordiæ retinaculis *egisse liberè*, quod justissimus furor ingerebat; ex vetustorum temporum miseria vestram agnoscite felicitatem; dum Virgo proruentem in fulmina *DEVM tenebit, & non dimittet.* Si audivistis retineri impatientem injectas per Moysen moras excussisse, ut *irasceretur furor* suus; Mariani roboris invictam gratulemini fortitudinem; quæ *tenebit eum & non dimittet.* Si ingemuistis

eum

eum ad supplicia provocatum *inflammaturum in circuitu inimicos suos*; repressas hodie vindictæ flammas vobis persuadete, dum infusa est Cœlo *Advocata*, ut *eum teneat, & non dimittat*. Meministisne ex antiquitatis Romanæ fastis armati ad excidium urbis Coriolani? mementote etiam patrios lares ab interitu vindicantis Veturiæ. Conceptâ ille in Quirites indignatione exteras in ultionem copias contrahit, cingit obsidione Romam, tectis incendia, ædibus ruinas, templis busta, aris profanationem, mœnibus excidium, Civibus funera, urbi vastitatem, sacris & profanis miserabilem confusionem comminatur. Quid agat obsessus civis, dum animo formidante præconcipit direpta bona, ereptas fortunas, violatas uxores, trucidatos liberos, eversas aras, extinctos focos, & liberum populum vel uno patriæ busto tumulatum, vel in ærumnosam servitutem adductum? Trepidant viri, lamentantur uxores, complorant liberi, lachymantur Sacerdotes, omnia supremis ululatibus in desperationem rapiuntur. Una, una in projectâ desperatione constans Veturia, Coriolani Mater, una trepidantibus omnibus intrepida, una afflictis reliquis erecta, certam serenitatis spem in horrenda illa tempestate pollicetur. Nec mora, gradum corripit, portas penetrat, pontem invadit, & per medias Volscorum iras ferocientis filij vultibus se sistit patriæ *Advocatam*. O Coriolane, inquit, si affusa tuis pedibus patria, si sacrosancta Sacerdotum dignitas inclinata, & à te indignabundè repulsa, ne dicam profanata, si Romanæ Reipubl. majestas humiliata, si prostratorum Civium lamenta, si omnis conditionis, sexus, ordinis, ac dignitatis lachrymæ,

æstuantis tui furoris flammas extinguere nondum potuerunt: si adamantinâ stat mente fixum, sævire per tenerioris ætatis jugulos, & crudelitati tuæ Civium peremptorum sanguine litare; si crudus esse decernis spectator patriæ suo tabo innatantis: en una pro omnibus assisto victima feritati tuæ immolanda. Si filius es Matrem agnosce. Uxor, etiam in reluctantem, materno jure, quod natura dedit; & brachia illa, armata licet crudelitate invado: quæ tenellis olim fascijs illigavi. *Tenebo te, & non dimittam*. Si Civis Romanus es, patriam reverêre, in cujus Senatorias purpuras, ac honoris immortalitatem es educatus. Si Matrem agnoscis, filium indue, lachrymas terge, mœrorem solare, dexteram porrige, in desideratos pacis amplexus admitte. Si patriam aspicis, Civem te cogita: cassidem & scutum depone, ut amœna in frontem serenitas, in pectus candor revocetur. Si hostis es, & Filium, & Civem exue. Non ante tamen in hæc mœnia exilies, quàm lamentabile Matris cadaver proculces. Non antè has portas perfringes, quàm istud pectus perrumpas. Non antè per Civium jugulos grassaberis, quàm ferro mea viscera perscruteris. Da Matri Coriolane, quod debes naturæ. Scribatis posteris, regenuisse Matrem, quam insanus Volscorum furor ibat interemptum; conservasse patriam, cui excidium imminebat; Deos ipsos & templa stabilivisse, quibus Martis calor busta minabatur. Excidêre enimverò ad ea dicta Coriolani pectore furores, oculis flammæ, fronte rugæ, vultu ira, manibus ferrum: & repentè sedato calore, non potuit, quin exclamaret: *Expugnasti me Patria; vicisti iram meam admotis ejus precibus, cujus utero sum*

conceptus. Non invideamus suam Quiritibus Veturiam; dum in causam nostram perorat *Maria.* Narretur per Historicorum fastos una Tyrannum Patriæ detinuisse Veturia: sed narretur desperatam Mortalium salutem resuscitâsse *Maria.* Recenseatur inter pietatis miracula una propugnaculis fortior pro Roma stetisse Veturia: sed recenseatur & *Maria murus & ubera ejus turres*, ex quibus *pendent mille clypei* in reorum protectionem: quorum objectu, si nos circùm suppliciorum obsidione incingat *DEVS*, muniamur: si machinas admoveat, reprimatur: si fulmen jaciat, eludatur. Quæ universa quoties ego tacitus mecum considero, eluctantes affectus continere non valeo, quin toties in plenissimas illas confidentiâ voces erumpam: *Eja ergo Advocata nostra, sub tuum præsidium confugimus.* Quod etsi non dubitem filialem quoque Vestrum omnium fiduciam unà mecum exclamare: videor tamen mihi observare non neminem suorum criminum pondere dejectum miserandum lamentari. Et quæ tandem spes mea præcordia subire poterit, quem jam inde à puerilibus annis per nefandorum facinorum præcipitia infamis voluptas jactavit? audebonè jacentem animum erigere in fiduciam; qui dies & horas ita cum voluptate divisi; ut quot vita momentis decrevit, totidem sceleribus sit cumulata? O miserum me! Non audeo. Poterone in illa fiduciæ verba prorumpere: *Eja ergo?* Non, non possum. *Advocata!* non merui. *Sub tuum præsidium!* Indignus sum, per tot facinora contaminatus. *Confugio!* serò nimis, indignabundo pede rejiciendus. Audebis tamen, dum præterita vitæ momenta detestaris, audebis attollere oculos, tentare

accessum, sperare veniam, implorare præsidium. Meministinè in eximiâ elogiorum suorum serie illud potissimùm gloriari Virginem, quod *in omni terra steterit?* Memineris quoque non eo duntaxat tempore id evenisse, quo vel Cœlis affigebantur sidera; vel Solis protrahebatur majestas, vel *pasce-bat in meridie:* sed sub illam quoque funestissimæ diei noctem, quia *facta sunt tenebræ super univer-sam terram*, sedenti pro Crucis tribunali Filio adstitisse *Advocatam*. Memineris eam, non quod Pictorum communis in errorem licentia evulgavit, ad dexteram; sed quod verissimè tradidit Bernardinus, ad sinistram Judicis adstitisse: vel ut illo Orientem respiciente, ipsa Aquilonarem in plagam (à qua *panditur omne malum*) *misericordes suos oculos* converteret: vel ut ad eam partem, ad quam *sta-turus erat hœdos*, semetipsam Vindictæ Divinæ clypeum obtenderet. Memineris demùm non unũ ab innocentia singularem infami ligno assistentem Joannem solùm, sed nos quoque suprema iniquitatis ludibria superstiti Matri à moriente Filio fuisse commendatos. Hic (si non magnopere fallor) non *suos*, sed *tuos ô pulcherrima mulierum hœdos* appellavit; qui paulò antè *oves suas* pascendas Petro commendaverat. Et certè si *Tui* non sunt, cujusnam eos esse definiemus? An Dei; Sed qui per iniquitatis vias abierunt, *longè facti sunt ab eo*. An suos? Sed semetipsos turpissimè perdiderunt. Tui, tui sunt Clementissima *Advocata*; quæ, quos *Cœli Cœlorũ capere non poterant*, in quos Divinarũ legũ sancita *nihil coinquinatũ* admittunt, una *tuo gremio contulisti*. Audite jam verecundos oculos in cœlos attollere, cui contaminati animi pudor eos ad

terram dejiciebat: & si fortè parentem luminis Solem intueris, ingeniosi Poëtæ epigraphen illi additam recordare: *Omnibus idem*. Unus ille Cœlos irradiat, sed & terram fœcundat, obambulat montium cacumina, sed in valles quoque se demittit: in floribus deliciatur, sed & vapores exsugit suæ lucis inimicos: aërem illustrat, sed & in nubes addensat: coquit sub undis aurum, sub montibus argentum, in conchis margaritas. Nihil est tam sublime, quo non enitatur; nihil tam depressum, quod dedignetur: nihil tam magnificum, cui non addat magnificentiæ incrementum; nihil tam humile, quo radiorum suorum majestatem non deprimat, nihil tam probum, cujus aspectu non delectetur; nihil tam improbum & sceleratum, cujus obtutum aversetur. *Omnibus idem, super bonos & super malos exoritur*, itaque se insinuat universis, ut *nemo sit, qui se abscondere* possit *à calore ejus*. Quæ cum attentiùs meditaris, illud à me tibi suggeri patiaris: *Electa ut Sol est Maria:* cui pariter amans Poëta aureo charactere inscripserit: *Prosum omnibus una*. Quæ ita in probos solatia spargit, ut suam improbis non deneget pietatem: ita propinquis se infundit, ut longè dissitos non dedignetur: culta & vasta, plana & ardua, hortos & deserta, mare & aridam, lucem & tenebras, diem & noctem, aurum & lutum, Cœlum & cœnum eodem pietatis oculo intuetur. Quare, si audivistis aliquando pugnaces illas discordesque DEI voces: *Ego occidam, & ego vivere faciam; percutiam, & ego sanabo:* si non concipitis dissidentium in uno clementis, Justique DEI pectore affectuum pugnam; certè Divinæ Vindictæ hinc senten-

ſententiam fulminantis; inde *Mariæ* interpellantis duellum exiſtimate. Stringat ergo acinacem illa, & ferale intonet; *Ego occidam:* expandet *Maria* brachia *fugientibus à facie iræ*, & amicè blandietur: *Ego vivere faciam.* Arripiat illa implacabile fulmen, ut *percutiat:* aderit *Maria*, ut ſauciatis medeatur. Inſpiciat illa toties nefario mortalium ſcelere proculcatum Redemptoris ſanguinem, & in flammas exſiliat, ut *occidat:* Oſtendet *Maria* toties impenſos ſanctiſſimi lactis fontes: & fulmineas etiam flammas extinguet, ut *vivamus.* Exacerbetur illa hiantibus adhuc *occiſi Agni* vulneribus, ut *percutiat:* Emollietur *DEUS* Matris uberibus, ut parcat. Aſſurgat illa in obſtinatos homines, ut *occidat:* proſternet ſe *Maria*, ut deprecetur. Quæ cum animo conſideratis, ita demùm ſtatuite, æquè fidam ac efficacem pro deſperata mortalium cauſa ac Divinæ Juſtitiæ Tribunal hodie *Aſſumptam eſſe Advocatam*; quæ quantùm habet ad perſuadendum efficaciæ; ad flectendum vehementiæ, ad impetrandum gratiæ; tantùm quoque habet ad tollendos ex animis metus, ad erigendas dejectorum ſpes, ad confirmandos erectorum amores facultatis.

Dicta Viennæ Auſtriæ ad Sodales Marianos.

ORATIO IX.

DE S. JOANNE BAPTISTA.

Hic erit magnus.

DUm Genethliacam Joanni neniam, Amoris in eum noſtri teſſeram meditamur, tutiusne

ſit pene erumpentem coërcere ſilentio vocem, an cupiditate arbitrâ ad dicendum fræna laxare, tam periculoſum videtur experiri, quàm difficilè judicare. Etenim exaggerata nominis & tituli magnitudo in eam extulit infantiles cunas ſublimitatem, ut par omnino ſcelus formidare debeas, ſive laudatione ad eam ſublimitatem nitaris aſcendere, ſive ſpe tuâ dejectus, cunis imparem eloquentiam taciturnitate compeſcas. Nam & ſilentio læduntur Virtutes, & commendatione ſauciantur. Eſt quippe illud turpe debiti honoris ſepulchrum, laudabilium factorum tumulus, nominis tinea, lucis injurioſa nubes, interitus famæ, occaſus gloriæ, virtutum omnium ac præclarè geſtorum denſiſſima nox, quæ memoriæ diem eripit, hiſtoriæ nitorem funerat, commendationis pretium furatur, præconij Majeſtatem velat, narrationis lucem detergit, triumphi radios premit, laudis ſplendorem tumulat, commendationis ſolem extinguit. Sed nec laciniosæ minûs eloquentiæ forma ſinceræ Virtutis frontem obnubit, quę dũ procuratis intumeſcit verbis, minoris virtutis eſt argumentum. Eſt enim non minima infelicitatis nota precaria venuſtas, cui vel in labra roſæ, vel Aurora in genas, vel in frontem ebur, vel nives in collum, vel in oculos ſidera, vel majeſtas in ſupercilia, fuliginis lactisque pugnâ, ſtibij ceruſſæque mendacijs revocantur. Deformis eſt virtus, quæ inani facundiæ ornatur calamiſtro, & peregrinæ lucis fumum emendicat. Vera virtus ipſa ſibi laudem facit, ac pretium; & adſcititiam exoſa laudationis pompam taciturnitate ſuâ omni facundior eloquentiâ perorat. Non eget alieno ſplendore qui glorioſus triumphat in ſuo. Ut proindè operosâ commendationis

noſtræ

nostræ veste ornari se non patiatur, qui innatâ melius luce venerationi est omnibus & amori. Quid agemus, Auditores, ubi & loqui nefas est, & nefas est silere ? alterutram in partem inclinare cogimur, in neutram licet. Affulget tamen singulari nascentis populi beneficio spes non exigua, qua & dictionis crimine eximamur, & orationis culpâ vacemus. *Vox clamantis est Ioannes*, fœcundissimæ sterilitatis partus; cui vos excipiendę cùm animos juxta auresque ministratis, silentij crimen facili excusatione delebitis, ne vocis illius suavitas dictionis meæ asperitate violetur. *Vox clamantis est Ioannes* anilis sterilitatis soboles; in cujus ego admiratione defixus, dum rupesco, si à vobis imago soni, vocis effigies, resonabilis Echo audietur, loquacitatis me crimine absolvetis, ne præpostero consilio, vocem illam condemnetis, cujus ego ad vos refero simulachrũ. Sed fortè exosi simulachrum, rem ipsam, non umbratile signum, totis animis anhelatis. Audio sollicitâ quærentes indagine: *Quis putas puer iste erit?* Quis certus augur, futurorum præscius, Divorum interpres, petentibus certa dabit sine ambage responsa? Equidem difficultatem pareret non mediocrem quæstio sollicito timidoque enodanda augurio; nisi pridem Juvenili sub imagine spectabilis è cœlo nuntius eam Gabriël resolvisset. Quo cum ego hodie ajo compendiosè, ajo liberè, ajo intrepidè: *Magnus coram Domino*. Hanc ego Pueri magnitudinẽ, è parvitate mea cùm suspicio, favete animis, favete linguis. Age ergo, quem humano superiorem limite penè cœlis parem, sine fabularum hyperbolis *Magnum* compellabis ? an quem ambitio impotens per Regum neces & funera, per indiscre-

tas proborum juxta ac improborum cædes sævissima imperandi libido protraxit ad solium? Periculosa est magnitudo, ad quam non nisi ferreâ semitâ pervenitur. Ad lapsum properat, quisquis per casus graditur aliorum. Violentas regni habenas nemo diu securus tractavit. Parta per violentiam Fortuna suam ipsa impellitur in ruinã. An quos infelix Midę felicitas ex asse hæredes scripsit, in quos aurati prodiga tempestas maris aggeratis fluctibus sese devolvit? At nemo eorum, teste Romano Sapiente, quos divitiæ honoresque in altiore fastigio collocârunt, magnus est. Nemo enim crevit alieno. Etiam in ipso Olympi supercilio parvus est pumilio, si absque basi eum suâ metiaris. An cui obsequiosæ fortunæ commercia frequentant atriũ, cui clientum ministrant officia, cui plurima stipatorum turba latus coronat? at nudus inspiciendus est, cujus inire velis æstimationem. Ponat ancillantis fortunæ obsequia, ponat honores & adscititij splendoris mendacia; & si gloriari libet, suo glorietur. An quos vel in tumorem felicitas, vel in superbiam felicitatis usus inflavit? Non est *Magnum*, quod inconstans, quod fortunæ ad arbitrium versatur; quod nescientibus advenit, & quantumcunque reluctantibus violenter elabitur. Miserrima est magna felicitas, quam magna virtus non fulcit. Quem ergo popularibus undis exemptum ad prima *Magnorum* subsellia statuemus? cessent humana consilia, ubi ipsa Veritatis cortina respondet. Prohibemur curiâ, interdicitur rogatio, vetatur concilium, inciditur consultatio, acta omnia rescinduntur: adsunt Divinę tabulæ, exstant è Veritatis tripode æterna responsa: *Qui fecerit & docuerit; hic magnus vocabitur.* Apage inane

inane nomen Alexandri, non eget populi suffragio, qui suo magnus est. Apage *Magne* olim, sed parve tunc Philippe, quem aliena virtus fecit superbum, inepta est excellentiæ mensura malorum plausus. Apage Pompei, magnitudinis umbra, quem popularis inflavit aura & non vera vulgo exemit magnitudo: *Qui fecerit & docuerit, hic magnus vocabitur.* Quod si ita est, jam ad omnium retrò sæculorum invidiam intrepidè rogare licet: *Quis putas puer iste erit?* in cujus laudum parte ea statuentur, quæ in alijs sola prolixè solent commendari; qui vel solo nomine apparatissimam dabit orationi supellectilem, & argumentum. *Quis putas puer iste erit?* qui, si asserendum Divinis legibus imperium, & populos in obsequia trahet, & Reges in amorem: si atterenda morum licentia, spiritu Eliæ armatus obibit compita: si restituenda in urbes æquitas; forum tenebit: si erigenda in foris Justitia, consilio gravis Regum aulas penetrabit. *Quis putas puer iste erit?* qui, si movenda publicæ impietati bella sanctissimarum virtutum acies disponet; si extinguenda communis improbitas, provolabit in vicos, excurret in oppida, penetrabit in urbes, infestas veritati Regias obsidebit? *Quis putas puer iste erit?* qui si impurissima etiam potentiorum castigandi licentia, eriget in minas supercilium, in frontem nubila contrahet, in oculis accendet fulgura, in vocem impellet tonitrua, in verbis ac sententiis fulmina jaculabitur. *Quis putas puer iste erit?* cujus doctrina imperium animi obtinebit ratio, famula rationi subjicietur cupiditas; vias & compita observabit modestia, in penetralibus reviviscet sanctitas; affligetur in foro perfidia,

 invio-

inviolata Æquitas tribunalia occupabit. *Quis putas puer iste erit?* cujus labor, si impudicitia æstuet, faces extinguet; si furor præcipitet, frenum injiciet; si rebellet improbitas, arma obtundet; si labet Religio, humeros supponet: si exsultet audacia, moderatione coërcebit. *Quis putas puer iste erit?* qui exemplo suo Paulos & Antonios, Hilariones & Macarios in obscura Thebaidos deserta evocabit. *Quis putas puer iste erit?* quem si Prophetam nomines, *plus quàm Prophetam* Veritas appellabit: si Apostolum dicas, *Hominem à DEO missum* profiteris, si Martyrem voces, suffragium habes à cruento Herodis acinace: si Virginem colas, intra materna adhuc viscera sanctitate repletum pronuntiabit Archangelus: si Anachoretam suspicias, etiam Judæa sylvarum suarum, etiam Jordanis antrorum inquilinum attestabitur: si Doctorem venereris, *Vocem* ad tradendas scientiarum disciplinas ipsa Veritas nominabit. *Quis putas puer iste erit?* in quo ita agendi docendique præcepta ad omnem latè Jordanis regionem demirabimur, ut ignoraturi simus, utrùm dicamus conformiùs: Joannem egisse docendo, an agendo docuisse? & in difficili lite dubitaturi, expediatnè magis Doctorem audire, an factorum æmulatione Joannem sequi. Quæ ne speciosè magis ad eloquentiæ venustatem in turbinem contorta, quàm ad virtutis commendationẽ verè & explicatè à me dicta existimetis, actorem videbitis olim, sub frondosa nemoris occulti scena ad latebrosa ferarum spelæa, ad algosa Jordanis antra, & in ipsis Regum penetralibus. Etenim si suum cuique tribuendi prona voluntas, aut virtus omnis, est justitia; hæc verò

verò in actione tota consistit, peroratum est AA: dum *Ioannes* (Ambrosio teste) *ipsa Iustitia est; qua ante DEVM ambulabit, & ponet in via gressus suos.* Videbitis hanc olim Justitiam populares undæ, cùm propè Jordanis fluenta ad æquitatis regulam iniquas mortalium vias complanabit. Videbitis eam senatus & curiæ, cùm in edita Regum palatia, dignitatis prætoria, Majestatis Regiam penetrabit. Audiet eam orbis dictantem Regi jura, *non licet tibi habere uxórem fratris tui.* Nefas est, consanguineos incestare thalamos; nefas est, privata conjugij jura violare. Sed ut Justitia neque in curiam sine gladio, neque in forum sine fascibus & securi procedit; ita prompta Joannis vis, & suum cuique tribuendi voluntas, comitem habet fortitudinem; *Manus enim Domini erat cum illo.* Quod si portentosi illius prodigiorum Parentis Moysis ex *digito DEI* tanta fuit fortitudo, ut involventes sese, & succedentibus impetu procellis fugientes aquas sisteret, divortio secerneret, crystallino muro suspenderet, sequentem pelago tumularet exercitum, obstantes invaderet ac premeret, dissiparet, funderet, fugaret, perimeret legiones; quantum demùm futurum in Joanne robur est credendum; quo cùm non unus assistentis Numinis digitus, sed manus tota laborabit? *Manus enim Domini erit cum illo.* Scio ego amplissimum hunc, quaquà patet, terrarum ambitum verbo DEI extitisse. Nam *ipse dixit, & facta sunt.* Scio creaturas universas, sive quæ remigibus pennis librantur in aëra, sive quæ segniore passu, agilique saltu terras metiuntur, sive quæ famulantibus pinnis arant Oceanum, ad annuentis jussa DEI

ex nihilo prosiliisse; quando *ipse mandavit, & creata sunt*. Non ignoro vastissima illa corpora, quæ perenni rotata impetu diei noctisque vices alternant, DEI digitis esse enata. At verò ad hunc, cujus Genethliacam celebramus memoriam, condendum puerulum (ut eum singulare magnitudinis exemplar intelligatis) quasi nec jubentis DEI nutus, nec mandantis suffecissent imperia; ipsa manus DEI est protensa. Quod quidem judicium si eminus tantum & per augurium umbramque conspectis Joannis gestis verum esse arbitramini, quo quæso eum in loco reponetis, ubi Doctorem quoque illum, qui omnium artium, & facultatum supremos teneat numeros, intellexeritis? Equidem Grammaticæ primas adhuc cancellatus visceribus tenuit, qui necdum natus, jam Alpha novit & Omega: qui è montanis Judeæ veluti è pulpito *Verbum* docuit; qui cùm *Vox* esset, optimam cum Verbo fecit constructionem. Poëtam non diffiteberis, qui cum aliquando spectabis intentum versibus, sive *cùm multos filiorum Israël convertet ad Dominum DEUM illorum*; sive cùm *convertet corda Patrum in filios, & incredulos ad prudentiam*. Qui syllabarum numerum, mensuramque longas inter & breves ita definiet: *Illum oportet crescere, me autem minui:* qui versum non faciet, nisi Heroicum è vita ad mortem, quem unica in cervice honestabit cæsura. Nec eloquentiæ in eo desiderabis lumen, qui & *Vox* erat, & *erat lucerna ardens & lucens*; qui adhuc intra materni uteri claustra repletus est Spiritu Sancto, hoc est *linguam igneam* accepit & *scientiam Vocis:* qui eloquentiæ suæ bla..dimentis *Hierosolymam, omnemque* latè *Judæam*,

daam, ac circumſitas *Iordani* regiones trahet in concionem; qui vehementiâ perſuadebit *pœnitentiam*; lenocinijs *parabit viam Domini*, minis *omnem arborem, quæ non facit fructum bonum*, terrebit; pugnacitate *progenies viperarum* expugnabit. At philoſophico forſan eum fraudabis pallio? qui demonſtrationem faciet nulla in Schola aut Lycæo, nulla in porticu aut Athenæo auditam; cùm digito in DEUM intentus, Agnum DEI demonſtrabit: qui *Ens entium* primamque docebit cauſam; qui ad Unum, Bonum, Verum cognoſcendum deducet ignorantes. Medicinæ verò peritiſſimum nemo negarit; quem ſanctiſſimos ſibi diætæ ac temperantiæ videbimus aphoriſmos præſcribentem: qui *vinum & ſiceram non bibet*; quem de radicibus atque herbis conficientem pharmaca fuerimus conſpicati; qui dubitantes in vitæ necisque confinio animas ad eum efficaci redimet medicina, qui ſe eſſe *Vitam* profitetur. Cenſoria juris Virga Themidisque donabunt eum bilance, Sibyllarum ſacraria, cortinæ Delphicæ, Athenarum Areopagi, quem juſtitiæ velut ſimulachrum clauſis oculis, & ſine manibus æquitatis jura audient decernentem; qui capitulum, *Non licet:* etiam in Regum & Tetrarcharum citabit opprobrium. Sed Theologus audire mavult, cujus prima eſt de *Lumine gloriæ* tractatio, quando *venit in teſtimonium, ut teſtimonium perhiberet de lumine:* cui ne exteri in volumen citarentur Angeli ipſe à Divino Verbo pronuntiatus eſt Angelus. Qui compendium gratiæ circumferet in nomine: qui Incarnationis præcurret myſterium: qui vitia & peccata dedocebit, *dabitque ſcientiam ſalutis plebi ejus*

in remissionem peccatorum : qui de pœnitentia gentes erudiet ad *faciendos fructus dignos* æternitate : qui denique reconditissimum Triados mysterium ad Jordanis undas evolvet : quando *aperientur cœli, & videbit Spiritum DEI descendentem, & vox Patris de cœlo* insonabit : *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui.* O inæstimabilem pueri magnitudinem, qui etiam sine fabula Roscium egit & Comœdum, & ad omnium retro sæculorum opprobrium, futurorumque eruditionem Doctorum ! Quanquam quid aliud cum natalium fataliumque siderum observatoribus Astrologis præstolari poteramus ? qui & novimus agente in Virgine Sole filios nasci generosos, & Virginem Sole suo videmus plenam Joannis cunis assistentem. Quid aliud augurari de eo licebat, ad cujus incunabula Lucinam egit *Aurora*, cui pro Genethliaca face luxit ipsa *Lux*, *quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.* Quid ominari aliud par erat de Joanne, quem nascentem ulnis excepit Luna plena, *pulchra ut Luna Maria.* Quo jam tum ostendebatur pueri magnitudo, ut aut ejus Virginis brachiis, quæ DEUM sinu gereret, eum excipi oporteret ; aut aptior nulla mundo suppeteret ad examinandam ejus magnitudinem mensura, quàm eæ ulnæ, quæ DEI immensitatem sunt amplexuræ. Quis igitur est, qui Joannis magnitudini certamen indicat, aut cum eodem possit comparari ? Ad virgam auream, Apocalypticæ civitatis mensuram (quâ Patrum consensu Christus significatur) provocemus. Hâc regulâ, hoc mensorio calamo Joannem expende, quisquis ejus magnitudinis numeros voles inire,

Vidisti

Vidiſti proximam aliquando huic menſorio calamo Magdalenam? ſed *ſtans retro vix ad pedes ejus* protendebatur. Vidiſti cruoris manantem profluvio mulierem? Sed cujus magnitudo ad ipſam veſtimenti oram terminabatur. Vidiſti primum de Salvatoris Anaſtaſi dubitantem Thomam? Sed cui celſitudinis limites in latere fuerunt ſtatuti, ultra quos ne protenſâ quidem manu potuit eniti. Vidiſti demùm applicatum regulæ *Diſcipulum illum quem diligebat IESVS?* ſed & huic ad pectus aſcendiſſe ſuffecit. At Joannes (teſtes eſtis Jordanides undæ) dexteram menſuræ ſuperextulit, cum ſanctiſſimo vertici laticem ſuperfudit. I nunc & quære: *Quis putas puer iſte erit?* Reſpondebit *Bernardus: Major homine, par Angelis, cœli tuba, præco Chriſti, arcanum Patris.* Reſpondebit Auguſtinus: *Quidquid Ioanne majus eſt, non tantùm homo eſt, ſed Deus*, Reſpondebit Bernardus: *Vnus eſt, ſecundum non habet, tria namque fecit DEVS ſine ſecundo; Chriſtum, Mariam, & Ioannem.* Reſpondebit Auguſtinus: *Præcellit cæteris, eminet univerſis: quiſquis de muliere natus eſt, inferior illo eſt.* Reſpondebit Bernardus: *Sanctorum ſplendor, juſtorum lætitia, Angelorum gaudium, Conſanguineus Chriſti.* Reſpondebit Chryſoſtomus: *In humana natura angelicam transgreditur ſanctitatem.* Reſpondebit Guerricus Abbas: *Ioannis tam magnificè ſanctitas effloruit ſupra modum aliorum, ut crederetur Sanctus Sanctorum.* Reſpondebit Chryſologus: *Præcurſor Verbi, Sacerdotis ſpeculum, ſanctitatis exemplar, Evangeliſtarum Princeps, clauſula Prophetarum.* Reſpondebit è cœlis Aliger: *Magnus coram Domino.* Reſpondebit

bit demùm Veritas ipſa : *Inter natos mulierum non ſurrexit major Ioanne Baptiſta.* O magne coram Domino Joannes! in tui defixos admirationem una nos laudabilis urget ambitio, ut nos, quos in eandem agendi, docendique ſortem admittis magnitudinis effectu & nomine ne fraudemur. Nemo labores, arduum gloriæ pretium, detrectat; ſcholaſticos nemo pulveres dedignatur. *Vniverſum charitate complexi, cum terrarum orbe doctrinam laboresque; affectum verò ultra ipſas terræ pelagique oras protendemus.* Vocas ad litigioſa pulpita, ad clamoſas Peripateticorum porticus? En tumentia Pallade capita feliciſſimo partu ſapientiam enixura. Vocas ad venalem ſudore gloriam? En laborioſas frontes, ſudoribus pridem innutritas. Vocas ad remotas & propè nauſeantis naturæ vomitu mundo ejectas dationes? Ecce Angelos veloces, quorum *vocationis eſt diverſiſſima mundi loca peragrare, qui non contenti terrarum finibus, uſque ad Orientales & Occidentales Indias penetrabunt.* Vocas tecum ad carceres ſqualore obſitos? neſcit quidem ingenua vinciri libertas; dabunt tamen in vincula manus, quas pridem tenent vincula charitatis; quorum virtuti æquum eſt in gloria theatrum, & probris. Vocas tecum in exilium? non erit hoc turpe indemnatis. Vocas in vulnera & mortem? in cædes & funera? Ecce in omnium animis honeſtiſſimam patiendi avaritiam; ut pulchra morte venalem illum gloriæ titulum tecum emant, ut *Magni* nominentur.

Dicta Viennæ Auſtriæ.

ORA-

ORATIO X.

D. LEOPOLDUS
IDEA PRINCIPUM.

SI neque publicus mundi oculus suę serenitatem majestati ab illustribus mendicat terrarum Panathenęis, neque ab hasta robur, vim à galea, ab umbone pectus, animos à lorica sumunt Agamemnones, neque adscititijs famæ laudibus per orbem differuntur Sapientes: non est, quòd in augusta patriæ nostrę Marchionis Leopoldi encomia solliciti, ejus commendationem Oratoria vel pennâ scribere, vel voce quotannis perorare multùm laboremus, Academici. Satis enimverò Heroem animus, Athlantem labor, virtus Herculem commendavit. Quibus si fama accesserit, nihil majoris addet incrementi, quàm corporibus umbrę ancillantes. Geminę nempe atque individuæ sorores sunt, aut si mavultis, geminæ sunt eodem in axe rotæ, virtus & fama: quibus triumphales Heroum curules ad gloriam provehuntur. Quo passu Athlantis aut Alcidæ virtus, eodem processit & fama: altera alterius magnitudinis fuit decempeda & mensura. Ne supra verum fama excederet, non excessit virtutem; ne fama humilior inserperet, virtus ipsa supra communes vulgi limites assurrexit Unum dedit Austria Leopoldum, infra cujus virtutem cùm serperet fama, vel silentium Oratoribus imperavit, vel illud effecit, ut quantumvis dicamus plurima, vix dicentibus simus similes, & quanta qualia porreximus elogia, siquidem

dem D. Leopoldi non attingant majeſtatem, meritò debeant ſilentia nominari. Nam qui plurima jam ſæcula meritiſſimâ laude invaſit, æternitatemque bene geſtis, & ætatis ſuæ domeſticam, & Auguſtiſſimæ Auſtriacorum familiæ matrem effecit, inconſulti damnabit Oratorem conaminis, qui ſemihorulæ ſpatio vel metiri ſæcula, vel totam peragrare æternitatem moliatur. Nempe quot heroes tulerunt ſæcula; tot expreſſit virtus in Leopoldo; in quem unum aggregavit univerſa, quæ per alios non illiberalis diſperſit, quem cùm vides unum, Auguſtiſſimum debes animo Principum, Ducumque concilium intueri. Unum ut dicas cum veritate, ſolùm te cogere poteſt paris defectus. Ut ſine mendacio dicere non poſſis unum, ampliſſimus in uno heroum omnium Senatus efficiet. Dum enim in uno Leopoldo totaſeſe compendio virtus incluſit, latè ſimul Principum omnium Archiducumque glorias explicavit; quas viva in hiſtoria legendas producit, quando unum producit orbi Leopoldum. Cujus corpus, cùm circumfuſi equitum ordines ſtemmatis ſuffragio coronarent, viciniùs animum omnis honeſti familia ſepiebat. Ex quo illud tandem conficitis AA: unum pro dignitate, meâ non poſſe oratione dilaudari, niſi per omnium fœcunda graſſatione excurrat encomia; per omnium pro temporis brevitate divagari laudes non valere, niſi in ſemihorulæ anguſtias totam cogamus perennitatem. Sed ſi nullus eſt finis, eſt tamen ſuum perennitati noſtræ principium: Ut heroes animi nunquam intereant; certe naſcuntur. Etiam vaſta flumina ſuam à tenui vena derivant opulentiam: etiam iſte, quem ſuper videtis, ſubterque labi cœlorum ordo natalem aliquando diem celebra-

celebravit. Habeat & nostra cum immortali Leopoldi animo commune hoc oratio, ut nascatur saltem hodie nunquam interitura : habeat cum vasto ejus elogiorum flumine ex æquo participatum , ut à tenui saltem hodie vena scaturiginem adaperiat : habeat cum augusta cœlorum machina commune illud, ut sui cursus hodie natalem auspicetur , nullo unquam fato, etiam si libuerit, occubitura. Ut verò immortali animo digni statuantur exortus, apta exaggerato flumini reperiatur vena, augustus cœlesti machinæ exoriatur natalis; in uno Leopoldo Principes, Ducesque orbi dedero, ubi unam ideam Principum , Ducumque formam demonstravero Leopoldum. Quod dum aggredior, vos mihi, Auditores Academici, vel colores miscete, ideæ Principum efformandæ; vel symmetriam proportionemque dictate, quâ optimi Ducis formam effigiari oportere existimatis. Scio equidem à Platone sic depictum aliquando Principem, ut vertici insideret prudentia, oculos animaret vigilantia , supercilia temperaret clementia , vultum insumeret affabilitas, dexteram armaret justitia, sinistram impleret consilium , cor accenderet pietas , pedes ductaret felicitas ; Virtus omnis in paludamento radiaret. Non ignoro ex Plutarcho, ut imaginem Principis statuas , statuendam esse DEI: cujus proinde domesticas esse oportebit, Consilium & scientiam, bonitatem & sapientiam, justitiam & clementiam, providentiam & vigilantiam, & quidquid usquam est, quod mortali participatione à DEO possit in hominem derivari. Teneo ex Romano Sapiente , ut Ducis lineamenta assequaris, Solem esse depingendum. An quia oculus est, qui continuâ vigilantia mundum lustrat ? an

quia

quia irradiatione sua, mitique aspectu mortalibus afflat serenitatem? an quia stellarum satellitium, siderum vulgus, astrorum concilia, cœlestemque septemviratum sua trahit in obsequia? an denique quia unus in cœli præsidia tot armatur sagittis, quot radios ejaculatur. Sed & tua Romane Sapiens Principis lineamenta, & tuam Ducis formam Plutarche, & tuam divine Plato Regis ideam dicar assecutus; si ad eam, quam tibi Augustissimus Imperij Orbisque Pater Ferdinandus III. fixit pietatis ac justitiæ regulam, depinxero Leopoldum. Optimum scilicet dixisti Principem, quem justum, pium nominasti. Magni nomen subditorum fecit humilitas: Justi ac Pij, virtus invenit. Africani aut Germanici, nationis sunt cognomenta: Justi ac Pij, virtutis universæ. Qui justitiam & pietatem Regni dixit firmamenta, simul Regem justitiâ & pietate definivit. Geminæ nempe bases sunt, quibus tota fundatur regni fortuna, justitia & pietas: gemini poli sunt, quibus Imperij cœlum faustissima rotatione gyratur: geminæ rotæ sunt, quibus Principum curules ad immortalitatem gloriæ provehuntur: gemini pedes sunt, quibus augustissimum Regni corpus innititur; gemini oculi sunt, qui pro commissi Principatus incolumitate è solio, tanquam de specula, pervigilant: gemina brachia sunt, quibus patriam patriæ Pater complectitur. Deme justitiam; jam suis destituta basibus regni labascit fortuna: deme pietatem, jam felicissimus Imperij cursus suo evulsus polo inciditur. Excute regno justitiam, jam alterâ fractâ rotâ incitatæ ad immortalitatem curules sistuntur: excute pietatem, jam uni solùm augustissimum Regni corpus inni-

xum

xum pedi lapsûs discrimen quocunque debet ab impulsu formidare. Tolle justitiam, jam alterius oculi irradiatione pulcherrimam Regni faciem deformâsti: tolle pietatem, jam altero Majestas brachio, securo patriam sinu non poterit confovere. Utraque basi tua stat, D. Leopolde fortuna, utroque rotatur populo felicitas, utrâque rotâ cœlestiũ triumphorum provehuntur curules, utrique pedi verenda tua innititur Majestas, utroque oculo pervigilant tuæ pro Austria curæ, utroque brachio Pater patriæ deliciosissimum mundi paradisum Austriam amplexaris. Equidem justitia ducalem illi porrexit gladium, quo vel metum incuteret, vel reverentiam imperaret. Ne populorum scelera sua faceret; punivit. Scelestus enimverò ipse est, qui cùm possit & debeat, Imperio scelera non succidit: fovet vitia, quisquis parcit sceleratis. Ne culpa culpam traheret, pœnas statuit. Tunc enim crimini succedit crimen, quando prius est inultum; unum dissimulatum plurium semen est secutorum. Ne exorbitaret in licentiam populus, cancellos statuit, moderata supplicia: alijs licere putant omnes, quod impunè vident patrari. Quam ego dum in Leopoldo commendo justitiam, nolim sagittas & fulmina, vulnera & cruorem, cædes & funera mente concipiatis: nolim mentitam illam animis vestris depingatis æquitatem, cui surgit in supercilijs tumor, frontem corrugat sævitia, oculos accendit furor, vultum exasperat Megæra, manum inflammat crudelitas, pectus animumque Tyrannis exulcerat. De Austriaco disserimus Leopoldo. Sitire sanguinem barbaros Reges sapit. Illo saturantur Austriaci cruore, non quem fulmineus per vulnera, cædesque gladius

dius evocavit;sed quem pudor ingenuus per vultus & ora diffudit. Non facit Regem calcatus populus, præcipitio proximus est, qui per aliena capita graditur; dum lubricum nimis gressum in aliena ponit libertate: Rebellare docet Regna,qui semper terret, extortus enim timor & gravia reddit imperia,& invisa. In Ducis formam, in idæam Principum respicire Duces; Principesque,quibus ad Majestatis solium,vel stemmatis suffragia,vel populorum vota gradus instraverunt. Ducale frænum gemino tractavit loro, amoris ac timoris. Ne invisa redderet timor imperia, amor faciebat amica; ne despecta blando nimiùm redderentur amore, moderatus timor cogebat suspicere. Sic amabat populus,ut timeret, sic timebat, ut amaret Leopoldum. Sic medium est tenendum,ut nec æquitas clementiæ,nec clementia quidquam deroget æquitati: Sit rigidus amor Principis,& amicus rigor. Equidem timeri decet imperantem, sed amari est necesse; ut invitos aut cœlo rebelles timor subjuget, amor flectat obsequentes. At verò ut formidandum conspiciatis Leopoldum, ad Barbaros Hunnorum insultus mentes animosque convertite. Patriâ suâ exire debuit ipse, ut timeretur: totâ Austriâ timere nemo potuit Leopoldum. An quia Austriacorum ea est ad omnem virtutem indoles & natura, ut blando Principis amori faciles obsequantur? an quia ipsa Leopoldi imperia, imperia amoris esse censebantur? Imminebat Austriæ finibus barbara Hunnorum crudelitas, secumque latè agrorum vastitates,oppidorum excidia, direptiones urbium; fortunarum prædas, exilia civium,innocentum funera invehebat. Jacebat afflicta valetudine

viribus-

viribusque ademptis Leopoldus Quartus, Divi Leopoldi Genitor, & non magis febri, quàm metu trepidus agrorum, ac urbium, oppidorum, & fortunarum, civium ac innocentum, vastitates & excidia, prædas & direptiones, exilia & funera metuebat, Unus in patris solatium, in patriæ tutelam, in oppidorum salutem, in urbium incolumitatem, in fortunarum fortunam, in civium præsidium, in innocentum felicitatem, unus supererat Filius Leopoldus, qui ab agris repelleret vastitates, ab oppidis amoveret excidia, ab urbibus direptiones averteret, à fortunis prædas arceret, à civibus exilia prohiberet, ab innocentum capitibus funera amoliretur. Et verò detumuit Leopoldi manu vesana Hunnorũ superbia, repressa protervia oppressa audacia, extinctus furor, crudelitas est cinerata. Quò factum est, ut quantò formidabilior hosti, tantò & suo populo amabilior esset, & in patriam patremque *Pij* Principis nomen assequeretur. Quod cum difficillimis posteà Germaniæ temporibus in Henricorum patris ac filij consanguinea, ac propè sacrilega bella inter Henrici Quarti cum Lothario accerrima prælia, inter rapinas & cædes, incendia & vastitates, sua cum tranquillitate & pace administratâ provinciâ retinuisset; illud quoque raro inter Principes miraculo, stupendo in aulis exemplo, & à mancipatis sibi populis, & à tota posterorum serie gloriosus evicit; ut pij etiam in Deum Marchionis nomine insigniretur. Atque hic ego non aperiam privatæ pietatis scenam. Taceantur sanè vigilatæ illustratæque ad animorum incendia noctes, sileantur diuturna cum cœli Principibus colloquia; tegantur quæ in publicis emicuêre supplicationibus flammæ, detergantur

dius evocavit; sed quem pudor ingenuus per vultus & ora diffudit. Non facit Regem calcatus populus, præcipitio proximus est, qui per aliena capita graditur; dum lubricum nimis gressum in aliena ponit libertate: Rebellare docet Regna, qui semper terret, extortus enim timor & gravia reddit imperia, & invisa. In Ducis formam, in idæam Principum respicite Duces; Principesque, quibus ad Majestatis solium, vel stemmatis suffragia, vel populorum vota gradus instraverunt. Ducale frænum gemino tractavit loro, amoris ac timoris. Ne invisa redderet timor imperia, amor faciebat amica; ne despecta blando nimium redderentur amore, moderatus timor cogebat suspicere. Sic amabat populus, ut timeret, sic timebat, ut amaret Leopoldum. Sic medium est tenendum, ut nec æquitas clementiæ, nec clementia quidquam deroget æquitati: Sit rigidus amor Principis, & amicus rigor. Equidem timeri decet imperantem, sed amari est necesse; ut invitos aut cœlo rebelles timor subjuget, amor flectat obsequentes. At verò ut formidandum conspiciatis Leopoldum, ad Barbaros Hunnorum insultus mentes animosque convertite. Patriâ suâ exire debuit ipse, ut timeretur: totâ Austriâ timere nemo potuit Leopoldum. An quia Austriacorum ea est ad omnem virtutem indoles & natura, ut blando Principis amori faciles obsequantur? an quia ipsa Leopoldi imperia, imperia amoris esse censebantur? Imminebat Austriæ finibus barbara Hunnorum crudelitas, secumque latè agrorum vastitates, oppidorum excidia, direptiones urbium; fortunarum prædas, exilia civium, innocentum funera invehebat. Jacebat afflicta valetudine

viribus-

viribusque ademptis Leopoldus Quartus, Divi Leopoldi Genitor,& non magis febri,quàm metu trepidus agrorum,ac urbium, oppidorum,& fortunarum,civium ac innocentum,vastitates & excidia, prædas & direptiones, exilia & funera metuebat, Unus in patris solatium,in patriæ tutelam,in oppidorum salutem,in urbium incolumitatem,in fortunarum fortunam,in civium prę sidium,in innocentum felicitatem, unus supererat Filius Leopoldus, qui ab agris repelleret vastitates,ab oppidis amoveret excidia,ab urbibus direptiones averteret, à fortunis prædas arceret, à civibus exilia prohiberet,ab innocentum capitibus funera amoliretur. Et verò detumuit Leopoldi manu vesana Hunnorū superbia, repressa protervia oppressa audacia, extinctus furor, crudelitas est cinerata. Quò factum est, ut quantò formidabilior hosti, tantò & suo populo amabilior esset, & in patriam patremque *Pij* Principis nomen assequeretur. Quod cum difficillimis posteà Germaniç temporibus in Henricorum patris ac filij consanguinea, ac propè sacrilega bella inter Henrici Quarti cum Lothario accerrima prælia,inter rapinas & cædes,incendia & vastitates,sua cum tranquillitate & pace administratâ provinciâ retinuisset;illud quoque raro inter Principes miraculo, stupendo in aulis exemplo, & à mancipatis sibi populis, & à tota posterorum serie gloriosus evicit;ut pij etiam in Deum Marchionis nomine insigniretur. Atque hic ego non aperiam privatæ pietatis scenam. Taceantur sanè vigilatæ illustratæque ad animorum incendia noctes, sileantur diuturna cum cœli Principibus colloquia; tegantur quæ in publicis emicuêre supplicationibus flammæ, detergantur

dius evocavit; sed quem pudor ingenuus per vultus & ora diffudit. Non facit Regem calcatus populus, præcipitio proximus est, qui per aliena capita graditur; dum lubricum nimis gressum in aliena ponit libertate: Rebellare docet Regna, qui semper terret, extortus enim timor & gravia reddit imperia, & invisa. In Ducis formam, in idæam Principum respicite Duces; Principesque, quibus ad Majestatis solium, vel stemmatis suffragia, vel populorum vota gradus instraverunt. Ducale frænum gemino tractavit loro, amoris ac timoris. Ne invisa redderet timor imperia, amor faciebat amica; ne despecta blando nimiùm redderentur amore, moderatus timor cogebat suspicere. Sic amabat populus, ut timeret, sic timebat, ut amaret Leopoldum. Sic medium est tenendum, ut nec æquitas clementiæ, nec clementia quidquam deroget æquitati: Sit rigidus amor Principis, & amicus rigor. Equidem timeri decet imperantem, sed amari est necesse; ut invitos aut cœlo rebelles timor subjuget, amor flectat obsequentes. At verò ut formidandum conspiciatis Leopoldum, ad Barbaros Hunnorum insultus mentes animosque convertite. Patriâ suâ exire debuit ipse, ut timeretur: totâ Austriâ timere nemo potuit Leopoldum. An quia Austriacorum ea est ad omnem virtutem indoles & natura, ut blando Principis amori faciles obsequantur? an quia ipsa Leopoldi imperia, imperia amoris esse censebantur? Imminebat Austriæ finibus barbara Hunnorum crudelitas, secumque latè agrorum vastitates, oppidorum excidia, direptiones urbium; fortunarum prædas, exilia civium, innocentum funera invehebat. Jacebat afflicta valetudine

viribus-

viribusque ademptis Leopoldus Quartus, Divi Leopoldi Genitor, & non magis febri, quàm metu trepidus agrorum, ac urbium, oppidorum, & fortunarum, civium ac innocentum, vastitates & excidia, prædas & direptiones, exilia & funera metuebat, Unus in patris solatium, in patriæ tutelam, in oppidorum salutem, in urbium incolumitatem, in fortunarum fortunam, in civium præsidium, in innocentum felicitatem, unus supererat Filius Leopoldus, qui ab agris repelleret vastitates, ab oppidis amoveret excidia, ab urbibus direptiones averteret, à fortunis prædas arceret, à civibus exilia prohiberet, ab innocentum capitibus funera amoliretur. Et verò detumuit Leopoldi manu vesana Hunnorũ superbia, repressa protervia oppressa audacia, extinctus furor, crudelitas est cinerata. Quò factum est, ut quantò formidabilior hosti, tantò & suo populo amabilior esset, & in patriam patremque *Pij* Principis nomen assequeretur. Quod cum difficillimis posteà Germaniç temporibus in Henricorum patris ac filij consanguinea, ac propè sacrilega bella inter Henrici Quarti cum Lothario accerrima prælia, inter rapinas & cædes, incendia & vastitates, sua cum tranquillitate & pace administratâ provinciâ retinuisset; illud quoque raro inter Principes miraculo, stupendo in aulis exemplo, & à mancipatis sibi populis, & à tota posterorum serie gloriosus evicit; ut pij etiam in Deum Marchionis nomine insigniretur. Atque hic ego non aperiam privatæ pietatis scenam. Taceantur sanè vigilatæ illustratæque ad animorum incendia noctes, sileantur diuturna cum cœli Principibus colloquia; tegantur quæ in publicis emicuêre supplicationibus flammæ, detergantur

dius evocavit; sed quem pudor ingenuus per vultus & ora diffudit. Non facit Regem calcatus populus, præcipitio proximus est, qui per aliena capita graditur; dum lubricum nimis gressum in aliena ponit libertate: Rebellare docet Regna, qui semper terret, extortus enim timor & gravia reddit imperia, & invisa. In Ducis formam, in idæam Principum respicite Duces; Principesque, quibus ad Majestatis solium, vel stemmatis suffragia, vel populorum vota gradus instraverunt. Ducale frænum gemino tractavit loro, amoris ac timoris. Ne invisa redderet timor imperia, amor faciebat amica; ne despecta blando nimiùm redderentur amore, moderatus timor cogebat suspicere. Sic amabat populus, ut timeret, sic timebat, ut amaret Leopoldum. Sic medium est tenendum, ut nec æquitas clementiæ, nec clementia quidquam deroget æquitati: Sit rigidus amor Principis, & amicus rigor. Equidem timeri decet imperantem, sed amari est necesse; ut invitos aut cœlo rebelles timor subjuget, amor flectat obsequentes. At verò ut formidandum conspiciatis Leopoldum, ad Barbaros Hunnorum insultus mentes animosque convertite. Patriâ suâ exire debuit ipse, ut timeretur: totâ Austriâ timere nemo potuit Leopoldum. An quia Austriacorum ea est ad omnem virtutem indoles & natura, ut blando Principis amori faciles obsequantur? an quia ipsa Leopoldi imperia, imperia amoris esse censebantur? Imminebat Austriæ finibus barbara Hunnorum crudelitas, secumque latè agrorum vastitates, oppidorum excidia, direptiones urbium; fortunarum prædas, exilia civium, innocentium funera invehebat. Jacebat afflicta valetudine

viribus-

viribusque ademptis Leopoldus Quartus, Divi Leopoldi Genitor, & non magis febri, quàm metu trepidus agrorum, ac urbium, oppidorum, & fortunarum, civium ac innocentum, vastitates & excidia, prædas & direptiones, exilia & funera metuebat, Unus in patris solatium, in patriæ tutelam, in oppidorum salutem, in urbium incolumitatem, in fortunarum fortunam, in civium præsidium, in innocentum felicitatem, unus supererat Filius Leopoldus, qui ab agris repelleret vastitates, ab oppidis amoveret excidia, ab urbibus direptiones averteret, à fortunis prædas arceret, à civibus exilia prohiberet, ab innocentum capitibus funera amoliretur. Et verò detumuit Leopoldi manu vesana Hunnorū superbia, repressa protervia oppressa audacia, extinctus furor, crudelitas est cinerata. Quò factum est, ut quantò formidabilior hosti, tantò & suo populo amabilior esset, & in patriam patremque *Pij* Principis nomen assequeretur. Quod cum difficillimis posteà Germaniæ temporibus in Henricorum patris ac filij consanguinea, ac propè sacrilega bella inter Henrici Quarti cum Lothario accerrima prælia, inter rapinas & cædes, incendia & vastitates, sua cum tranquillitate & pace administratâ provinciâ retinuisset; illud quoque raro inter Principes miraculo, stupendo in aulis exemplo, & à mancipatis sibi populis, & à tota posterorum serie gloriosus evicit; ut pij etiam in DEUM Marchionis nomine insigniretur. Atque hic ego non aperiam privatæ pietatis scenam. Taceantur sanè vigilatæ illustratæque ad animorum incendia noctes, sileantur diuturna cum cœli Principibus colloquia; tegantur quæ in publicis emicuêre supplicationibus flammæ, detergantur

quia irradiatione sua, mitique aspectu mortalibus afflat serenitatem? an quia stellarum satellitium, siderum vulgus, astrorum concilia, cœlestemque septemviratum sua trahit in obsequia? an denique quia unus in cœli præsidia tot armatur sagittis, quot radios ejaculatur. Sed & tua Romane Sapiens Principis lineamenta, & tuam Ducis formam Plutarche, & tuam divine Plato Regis ideam dicat assecutus; si ad eam, quam tibi Augustissimus Imperij Orbisque Pater Ferdinandus III. fixit pietatis ac justitiæ regulam, depinxero Leopoldum. Optimum scilicet dixisti Principem, quem justum, pium nominasti. Magni nomen subditorum fecit humilitas: Justi ac Pij, virtus invenit. Africani aut Germanici, nationis sunt cognomenta: Justi ac Pij, virtutis universæ. Qui justitiam & pietatem Regni dixit firmamenta, simul Regem justitiâ & pietate definivit. Geminæ nempe bases sunt, quibus tota fundatur regni fortuna, justitia & pietas: gemini poli sunt, quibus Imperij cœlum faustissima rotatione gyratur: geminæ rotæ sunt, quibus Principum curules ad immortalitatem gloriæ provehuntur: gemini pedes sunt, quibus augustissimum Regni corpus innititur; gemini oculi sunt, qui pro commissi Principatus incolumitate è solio, tanquam de specula, pervigilant: gemina brachia sunt, quibus patriam patriæ Pater complectitur. Deme justitiam; jam suis destituta basibus regni labascit fortuna: deme pietatem, jam felicissimus Imperij cursus suo evulsus polo inciditur. Excute regno justitiam, jam alterâ fractâ rotâ incitatæ ad immortalitatem curules sistuntur: excute pietatem, jam uni solùm augustissimum Regni corpus inni-

xum

xum pedi lapsûs discrimen quocunque debet ab impulsu formidare. Tolle justitiam, jam alterius oculi irradiatione pulcherrimam Regni faciem deformasti: tolle pietatem, jam altero Majestas brachio, securo patriam sinu non poterit confovere. Utraque basi tua stat, D. Leopolde fortuna, utroque rotatur populo felicitas, utrâque rotâ cœlestiũ triumphorum provehuntur curules, utrique pedi verenda tua innititur Majestas, utroque oculo pervigilant tuæ pro Austria curæ, utroque brachio Pater patriæ deliciosissimum mundi paradisum Austriam amplexaris. Equidem justitia ducalem illi porrexit gladium, quo vel metum incuteret, vel reverentiam imperaret. Ne populorum scelera sua faceret; punivit. Scelestus enimverò ipse est, qui cùm possit & debeat, Imperio scelera non succidit: fovet vitia, quisquis parcit sceleratis. Ne culpa culpam traheret, pœnas statuit. Tunc enim crimini succedit crimen, quando prius est inultum, unum dissimulatum plurium semen est secutorum. Ne exorbitaret in licentiam populus, cancellos statuit, moderata supplicia: alijs licere putant omnes, quod impunè vident patrari. Quam ego dum in Leopoldo commendo justitiam, nolim sagittas & fulmina, vulnera & cruorem, cædes & funera mente concipiatis: nolim mentitam illam animis vestris depingatis æquitatem, cui surgit in supercilijs tumor, frontem corrugat sævitia, oculos accendit furor, vultum exasperat Megæra, manum inflammat crudelitas, pectus animumque Tyrannis exulcerat. De Austriaco disserimus Leopoldo. Sitire sanguinem barbaros Reges sapit. Illo saturantur Austriaci cruore, non quem fulmineus per vulnera, cædesque gladius

viribusque ademptis Leopoldus Quartus, Divi Leopoldi Genitor,& non magis febri,quàm metu trepidus agrorum,ac urbium, oppidorum,& fortunarum,civium ac innocentum,vastitates & excidia, prædas & direptiones, exilia & funera metuebat, Unus in patris solatium,in patriæ tutelam,in oppidorum salutem,in urbium incolumitatem,in fortunarum fortunam,in civium præsidium,in innocentum felicitatem, unus supererat Filius Leopoldus., qui ab agris repelleret vastitates,ab oppidis amoveret excidia,ab urbibus direptiones averteret, à fortunis prædas arceret, à civibus exilia prohiberet,ab innocentum capitibus funera amoliretur. Et verò detumuit Leopoldi manu vesana Hunnorũ superbia, repressa protervia oppressa audacia, extinctus furor, crudelitas est cinerata. Quò factum est, ut quantò formidabilior hosti, tantò & suo populo amabilior esset, & in patriam patremque *Pij* Principis nomen assequeretur. Quod cum difficillimis posteà Germaniæ temporibus in Henricorum patris ac filij consanguinea, ac propè sacrilega bella inter Henrici Quarti cum Lothario accerrima prælia,inter rapinas & cædes,incendia & vastitates,sua cum tranquillitate & pace administratâ provinciâ retinuisset;illud quoque raro inter Principes miraculo, stupendo in aulis exemplo, & à mancipatis sibi populis, & à tota posterorum serie gloriosus evicit;ut pij etiam in Deum Marchionis nomine insigniretur. Atque hic ego non aperiam privatæ pietatis scenam. Taceantur sanè vigilatæ illustratæque ad animorum incendia noctes, sileantur diuturna cum cœli Principibus colloquia; tegantur quæ in publicis emicuêre supplicationibus flammæ, deter-

gantur

gantur frequentiore templorum aditu, per aperta compita signata vestigia. In vulgatis pietatis laudes ea possunt advocari, non in principis commendationem. Non bene privatis clauduntur cancellis Principes, qui publico nascuntur, quotunque protendunt imperia, prorogare debent & pietatem. Illa ergo sint encomia imperantis, jacentem erigere pietatem, emortuam animare Religionem, extinctam accendere charitatem, exulem sacrorum cultum revocare. Illa sit Leopoldi commendatio; cum ducali virga proferre virtutem; neque laxiorem dominatu compescere regionem, quàm continere populum religione, vivis creditam sibi provinciam erudire documentis, hortamentis provocare, incitare legibus, amore trahere, exemplis ducere, sanctissimis formare institutis. Illa sint elogia Leopoldi, prosternere in foris licentiam, erigere in solijs æquitatem, incitare in senectute segnitiem, continere in juventute fervorem, bella inferre vitijs, pacem stabilire innocentiæ, libertatem è compitis ejicere, revocare in domos probitatem, extinguere in urbibus discordiam, accendere in templis religionem, eradicare in aulis ambitionem, totâ Austriâ pacem concordiamque disseminare. Illa denique in Divi Leopoldi laudum censum non postrema veniant, fundare templa, statuere aras, sanctissimorum virorum cœnobia excitare, ac filios etiam Othonem & Conradum ad plurimorum incolumitatem, aut in D. Benedicti familiam accensere, aut sacris initiatos Salisburgenses Archiepiscopos renunciare. Ut jam mirari nemo jure possit, vel à populo *Pij* nomen assecutum, vel ab Innocentio II. *peculiarem sancti Petri filium* appellatum esse Leopoldum. Terrarum nempe

cœlo-

cœlorumque consentientia in sui laudes suffragia meritus, hanc & populo, & sacræ Sedi imponit necessitatem; ut quoties vel nostris animis, vel illius præconijs obversatur, toties justissimus, pientissimusque Princeps, Principum omnium idea nominetur. Quod quidem judicium, si tua non pridem à Majoribus nostris virtus emisset Leopolde, certè deflua hodie per Augustos Austriæ Principes in Ferdinandum usque III. pietas & justitia suavissimâ à nobis violentiâ extorqueret. Necesse est enim ea propè sidereæ mentis exempla, quæ tantum cœli sapiunt, primos ortus à Divo traxisse. Ut scaturiginem suam vastissima etiam flumina redolent, sic avita virtus Majores. Neque illa, tibi cognominis Germaniæ Martis, Leopoldi, à suo fonte aberrat justitia & pietas; quæ eundem amplexæ gladium, quà mucro fulgurat, hostilem acerrimo spiritu improbitatem persequuntur; quà patet capulus, patibulati Numinis crucem præferunt, augustissimum pietatis ac Religionis nostræ monimentum. Quod si æquissimè Principum, Marchionum pientissimè agnoscis, illud quoque vel tuo in paternam Austriam persuasus affectu, vel nostris tibi supplicantium votis superatus efficies; ut ad tuæ pietatis & justitiæ exemplá, tam fontes ab Austria Vandalorum minas avertant, quàm optatâ pace, tranquillitateque populos moderentur ad tuos vultus animosque efformatæ alteræ Principum ideæ Leopoldus, Ferdinandus.

Dicta Viennæ Austriæ in Basilica S. Stephani nomine Austriacæ nationis ad Academicos.

ORATIO XI.

DE S. LEOPOLDO.

Austriæ Principum idea.

QUod fœcundissima Archiducum, Regum, ac Imperatorum Mater *Austria*, hæreditario semper jure per *Rudolphos, & Albertos, Fridericos & Maximilianos, Carolos & Matthias, Ferdinandos*, & tot augusta virtutis nomina, quot serenissimos Austriæ Principes, inoffensam ad hæc nostra tempora transmiserit felicitatem, quanquam Augusti stemmatis indoli permultum, plurimum tamen uni post DEUM *Leopoldo*, vivo Principum archetypo, perfectæ Ducalium virtutum epitomæ, absolutissimæ Archiducum ideæ, hodiernis hisce Academicæ pietatis comitijs non ingrata posteritas referre debemus in acceptis. Enimverò ut ad optimi Principis normam singulos efformaret natura, in *Leopoldum* respexit: ut singulis animum instrueret virtus, *Leopoldum* proposuit. *Leopoldus* unus, Themistoclem, successorem Miltiades, Alcides Theseum, Alexander Cæsarem, Liber Alexandrum, Achilles Pyrrhum accendebat æmulatione, instruebat virtute, animabat exemplis, armabat documentis, sanctissimis vitæ institutis informabat. Hinc si miramini, quod gloriosa illa Principum Austriacorum series adhuc in teneris annis virtutem Regiam non promittat, sed exhibeat, ætatem facinoribus prævolet, anticipet actiones habitibus, prævertat facultatem operæ, præ-

currat executione præcepta, celeritate factorum naturæ tarditatem præoccupet; depictas credite ex *Leopoldo* imagines, cujus anni nunquam teneri, cujus virtus semper matura; cujus vita nunquam juvenis, cujus mores semper senes; cujus facta nunquam levia, cujus dicta semper gravia; cujus modestia nunquam in vere, cujus prudentia semper in autumno, cujus æstimatio nunquam in aurora, cujus gloria semper in meridie; qui & levitatem adolescentiæ morum gravitate oppressit, & juventutis florem fructuum opulentiâ prævertit, & senectutis canitiem candidissimis moribus supplevit; ut quisquis eum inter mortales agentem conspiceret, inter mortales eruditum merito posset suspicari. Si miramini illos (quorum etiamnum beneficiis fruitur orbis) Augustissimæ familiæ Martes in sago, Divos in toga, terrores in campo, amores in urbe, Davides in templis, Salomones in Consiliis, Constantinos in acie, Justinianos in foro: deductas credite lineas ex archetypo LEOPOLDO; qui cùm ferrum induit, amores non exuit: cùm aquilas explicuit, columba est visus; cùm in acie stetit, clementiæ non oblitus: idem acer & mitis; fortis & mansuetus; victor & temperatus; triumphator & modestus. Si miramini demùm in illis, quos oculis spectatis, animis suspicitis, votis tenetis desideriis producitis *Austriæ* Vestræ, *Principibusne* dicam, an *Parentibus?* quod Patrum Historias renarrent factis, avorum præcepta exprimant exemplis, Majorum documenta virtute resuscitent; vivas *Leopoldi* picturas existimate, qui Avorum glorias traxit in compendium, Antecessorum laudes coëgit in proprias, Majorum splendorem

 gemina-

geminavit in suo; & tantum unus in suæ vitæ consulit apparatum, quantùm generosæ claritatis numerosissima multitudo discerpsit in partes. Verbo; quod debet pictura archetypo, structura ideæ, sculptura exemplari, hoc *Serenissimi* nostri *Principes patriæ Patres*, debent *Leopoldo*. Hoc singulare vobis ad gloriam est, *Serenissimi Principes*, hoc nobis ad gratulationem eximium; hoc orbi ad desideria acceptissimum: Vos à natura & indole, sanguine & virtute ad Divorum similitudinem esse efformatos; ut si quidem nondum Cœlites adoramus in terris, certè post Cœlites primos veneremur *Patriæ* nostræ *Tutelares*. Quod ne audacis eloquentiæ existimetis hyperbolen; agite, amabo vos, quam effigiem optimi Principis, quique gloriosum exemplar secuturis posteris obtendi possit, animis vestris impressistis? Laudabitis cum Carolo Magno illum, qui sit *Imperio Augustus*, *judicio Pericles*, *bello Alexander* aut cui à solicitis in populos laboribus *nomen sit Adamus*, ab accensa in Superos pietate *cognomen Abrahamus*. Commendabitis illum, quem in moneta descripsit Severus Imperator; cui caput sit *Elephantis*, cum lemmate, *Magnanimitas*: pectus *Delphini*, cum inscriptione, *Humanitas*: manus *Castoris*, cum epigraphe, *Officiositas*: pedes *Vrsi*, cum dicto, *Modestia*. Desiderabitis illum, quem voluit olim Alphonsus Aragonius, qui subditos suos vel *ferat* in *capite*, vel *gerat* in *corde*. Amabitis illum, qui Ægyptiorum more in campum evocatus, quaterna rogatus responsa edere possit: *Sum pius: Sum justus: Sum liberalis: Sum laboriosus*. Eligetis eum, quem depinxerunt Ægyptij: *in cujus dextera*

Sol,

Sol, in sinistra horologium; ut ad illius splendores populus videat, ad hujus regulam dirigatur. Vovebitis illum cum Plutarcho; *qui sic imperet suis, quemadmodum pater liberis*: cui sit pro imperio amor, pro mandato nutus, pro regula favor, pro lege gratia, pro norma exemplum: qui emineat, nec tumeat; dominetur, nec urgeat; frænet, nec coërceat, regat, nec imperet; impellat, nec cogat; flectat, nec frangat; premat, nec gravet; audiatur, nec jubeat; amet, & timeatur, terreat, & ametur; se populo misceat, & colatur. Illum voletis, cui sit pro capite sapientia, pro oculo judicium, pro lingua prudentia, pro pectore consilium, pro manu fortitudo, pro pedibus constantia, pro corpore justitia, pro anima pietas, pro respiratione amor, pro paludamento clementia, pro purpura majestas, pro scep ro authoritas, pro corona religio, pro solio magnificentia, pro civibus filij, pro muris cives, pro clypeo corda populorum. Ut compendio dicatis universa, eum ad solium destinabitis, quem collatis suffragijs natura, DEUS, & Virtus, *pro DEO, & populo* stare edocuerint. Quod ubi statuistis, statuite simul unum *pro DEO*, formatum unum *pro populo Leopoldum*. Audio enim adhuc sacrum Oratorem in verendo Romæ Consistorio non sine Sacramento edicentem: *Perpetuus in DEO erat Leopoldus*. Mortuumnè facundissime juxta ac veracissime Encomiastes, an verò inter homines agentem, vivumque descripsisti Marchionem? Certè si mortuus ille est, Thassensis edicto, *cujus vita abscondita est in DEO*, vivum persuadere non potero, *qui perpetuus in DEO erat Leopoldus*. Quare si audivistis aliquando *earum*

 rerum,

rerum, quas adfert adolescentia, omninò expertem; exstinctum credite *Leopoldum*, in quem nihil possit æstuantis naturæ impetus, nihil ardor juvenilis. Si intellexistis *integerrimam castimoniâ juventutem* egisse, jam tum defunctum suæque impositum pyræ Vobis persuadete; ut non miremini natam ex aquis Deam nullum in innocentibus flammis invenisse hospitium. Si legistis septenis illum quot diebus vicibus in genua provolutum, oculos manusque in cœlos cum repetitis suspiriis extulisse; morientem vos legisse existimate. Illo nempe in genua prolapsu vel corpus jam exanime terrę debitum deponebat evolaturus in cœlos animus; vel jam cœlo receptum *Leopoldum* nunciabat inter augustiores animas Seniorum agere, quę depositis è vertice mitris ante Solium dominantis Agni procumbunt. Illa oculorum in cœlos sublatio (*si oculi sunt in amore duces*) erat abeuntis animi manuductrix; vel quia in terris visu dignum reperiebat nihil, prima cœlos ingredientis salutatio. Illa manuum protensio erat primus gestus *extendentis seipsum ad bravium supernæ vocationis*; vel quia violentis solùm illæ felicitatis sedes conceduntur, *violenta cœli* invasio, ut *illud raperet*: vel demum post exactum cum laude *Viatoris* officium exoptata Patriæ *Comprehensio*. Illa denique imo ducta de corde suspiria, supremi erant halitus exspirantis *Leopoldi*. Quæ omnia si morientem vobis, aut extinctũ persuadent, mihi vivum omnino probant *Leopoldum*. Nam quid est, *perpetuum esse in DEO Leopoldum*, nisi *DEUM* esse in *Leopoldo?* Divina testor oracula: *qui manet in charitate, in DEO manet, & DEUS in eo*. Quid verò est DEUM esse in *Leopoldo*, nisi *vitam*

tam in eo hospitari? Ad sacras Tripodes appello, supremamque conrectot Veritatem DEUM, qui sua inter elogia non postremum illud recensuit: *Ego sum resurrectio & vita.* Concludite Laconicè: *DEUS* una fuit vita *Leopoldo*. Hanc, si non erro, toties instauravit, quoties è quinis vulneribus Christi animam per oscula capiebat. Nisi fabula esset Metapsychosis credere potuisses pendentis de trabe *DEI* animam in *Leopoldi* corpus emigrasse: adeò *perpetuus erat in DEO Leopoldus*. At etsi fabula sit, sub nascentis mundi originem elementa omnia naturali impetu ad cœlum tetendisse, ut in Authoris sinu conquiescerent: Veritas certè est, inquieta semper sollicitudine *Leopoldum* cœlo iter intendisse. Amor quem corripit, desidiosum esse non patitur. Rapax fluvius: ad Oceanũ tenuissimos etiam fontes devolvit. Præpes aquila est; ad Numinis mensas Ganymedes deportat. Fugax Pegasus est, ultra stellas Bellerophontem deducit. Non miremur jam tam laudabiliter fastuosum in *Leopoldo* rerum & voluptatum caducarum contemptum. Innocentissimæ Alcyonis nidus non patitur muscam: uno in corde non hospitatur geminus amor. Unam fecère Mathematici stellam *Venerem* & *Luciferum*, ut intelligas te Luciferum amare, qui hanc non odisti. Venerem execratur, qui DEUM sapit. Atque hanc cum DEO familiaritatem è Divinis Scripturarum eloquiis didicisse *Leopoldum* non vanè suspicor; in quæ ille ita intendebat, *ut non facilè divinarum rerum lectione, aut contemplatione vacuum fuerit invenire.* Sunt enim illa vel ad discendam virtutem palæstra, vel ad expugnanda vitia armamentaria. Nulla ibi legitur virtus, quæ non commen-

detur; nullum vitium, quod non vituperetur; nulla honestas, quæ non accendat, nulla turpitudo, quæ non avertat; nulla interior gratia, quæ non amorem ingerat; nullum animæ venenum, quod non odium pariat; nulla bonorum præmia, quæ non alliciant; nullus malorum exitus, qui non deterreat; nulla Heroum facinora, quæ non excitent æmulationem; nulla reproborum historia, quæ non suscitet detestationem. Legebat laudum historias, sed actus exprimebat; pervolvebat fastos, sed fastis interim digna exhibebat; scrutabatur virtutes, sed nullam ex integro alienam patiebatur. Ut suam dignè sustineret personam, omnium, quos legebat, Heroum mores induebat. Si quis ergo divina oracula absque fabula *Solem* nuncupavit aliquando, dicat *Speculum Leopoldum*, qui totum Solem in compendio hauriebat. Si quis *Oceanum* illa dixit, *Institorem* nuncupet *Leopoldum*, qui amplissimâ per illum onerariâ decurrit. Si quis illa *fluvium aureum* vocavit, *auri piscatorem* appellet *Leopoldum*, qui suam in illis animam deauravit. Si quis ea *Fontem* appellavit, *Cervum* vocet *Leopoldum*, qui sitibundus ad illorum solatia provolavit. Si quis ea *Campum* nominavit, *Messorem* indigitet *Leopoldum*, qui non sine laude, *in omnem alienam messem suam falcem mittebat.* Si quis *Hortum* ea existimavit, aut *Pomarium*, *Depopulatorem* concipiat *Leopoldum*, qui fructus & flores decerpsit *in odorem honestissimæ vitæ.* Atque hoc ille tantùm ex Sole concepit, ex Oceano duxit, ex fluvio derivavit, ex fonte bibit, ex campo messuit, ex horto colligit divitiarum; ut ob impensum illud studium, quo divina pertractabat, meritò fuerit

Leopol-

Leopoldus Pius appellatus. Sed non hæret in nomine Pietas. Hoc habet commune cum arbore, in fructus abit; cum Sole, in radios dividitur; cum Oceano, in fluvios excurrit. Quod nobile illud hospitantis in terris virtutis domicilium, in propinqua valle S. Cruci dedicatum usque stet monumentum, opus est *Leopoldi:* quod vel eo nomine inter sylvas erexit, ut debitus Cruci honor exedente carie nunquam interiret, adolescentibus semper arboribus in nova ruinarum supplementa. Induxit eodem ex melliflua D. Bernardi familia Religiosos viros, Apes dixero, ut amatoris Crucis dulcorem mellis aspergeret, & Austriacis suis, dulcori assuetis, redderet Crucem minus exosam. Illa Virginis augusta Basilica, quæ Neoburgi altero ab hinc lapide præterlabentis Danubij ripam ex clivo despicit, opus est *Leopoldi*; ubi adhuc saxa illius pietatem loquuntur. Ut DEUM haberet Austriæ inquilinum, ei Domum instruxit, cui olim peregrino mundus negavit *diversorium*. Sed noluisse visus est DEUS sine *Leopoldo* habitare, cujus ad idem monumentum superstites cineres advocavit; vel quoniam ipse est *ignis consumens*, ut inter hos cineres apud æternum foveretur; vel ut amicus amico vicem redderet, essetque *perpetuus* cum *Leopoldo DEUS*, cum quo *perpetuus fuit Leopoldus*. Deleatur jam ex hominum memoria, eradatur è chartis vetus illud adagium: *Exeat aula, qui volet esse pius*. Ex quo aulam sustinuit *Leopoldus*, docuit primum *Regnorum firmamentum* esse *Pietatem*. Sed qui *perpetuus cum DEO fuit Leopoldus*, non potuit abesse à populorum salute. Trahuntur facilè à conversantibus mores; & socij vita

transit in convictoris naturam. Qui semper cum æterno *Patre* versatus est, æquè Pater esse didicit bonis, ac Judex malis. Qui à Filio nunquam recessit, æquè *Agni* naturam traxit in probos, ac Leonis in *improbos*. Qui cum Spiritu sancto pene unus fuit spiritus, æquè ignis esse voluit ardentissimus in hostes, ac columba mitis in Cives. Fornax fuit *Leopoldo* in *DEVM Pietas*, ad quam cæteræ *pro populo* virtutes incaluerunt. Exarserat aliquando Stephanus II. Pannoniæ Rex, quem à ferocientis animi impotentia Fulmen dixerunt; ut ardentem scilicet insaniam extingueret *Leopoldus*, congregaverat numerosam populi multitudinem; ut parva *Leopoldi* manu dissiparetur: armaverat universam aciem furore pariter ac audaciâ; ut exarmata gloriosum fieret testimonium virtutis *Leopoldo*. Eduxerat Cadmæas armatorum aristas in campum, ut felicissimum Messorem experiretur *Leopoldum*. Digesserat ordines in lunas, ut à *Leopoldo* cornua infringerentur. Coitur: & dum medius inter præliaturos campus decrescit, generosus in Austriacorum animis calor accrescit. Pugnatur: nec dubio Marte, dum causa est bona. Sudatur, sed ad gloriam capessendamque sub lauro quietem. Vincitur ad hostium dedecus Stephanus, ad Austriæ incolumitatem. O quantus in eo prælio *pro tuo populo* effulsisti *Leopolde!* dum primus obstantis aggressus arma, æquè tuos proprio corpore protegeres, ac formidandus hosti incumberes. Quantum illud est tui in Austriam, Patriam, Cives, aras & focos amoris documentum, quòd pro eorum salute propriũ caput *Fulmini* opposuisti? Meruisti vel hoc nomine *Coronarium* nomen eripere

Stephano,

Stephano, & victoriæ coronâ redimiri. Meruisti ab *Innocentio II.* illud ad tui nominis immortalitatem elogium, *ut peculiaris B. Petri filius diccreris*, qui ut inexpugnabilis *petra* contra fidei hostes pro te Christiana constitisti. Meruisti demum illam ad posterorum æmulationem ab *Innocentio VIII.* commendationem, ut *robustissimus lapis e funda Ecclesiæ vibratus* appellaretis, qui immanem Goliathi superbiam uno ictu prostravisti. Imò ut brevi unius *Leopoldi* encomio (quod ille quæsivit minimum) universum belli fructum concludamus; meruit diuturnam patriæ suæ tranquillitatem, & pacem secura civibus otia, & amœnissimam urbibus felicitatem. Et quamvis honestissimum esset, *Leopoldo*, ad posteritatis commendationem, vicisse; maluit tamen dici *pro populo* laborasse, cujus unius commodis suos metiebatur conatus. Poterat per aviti sanguinis suffragia Principatum adire; maluit per labores non tam honoris sui studiosus, quam suorum felicitatis. Adiit Principatum; imò non adiit, sed in se devolvi passus est, ut unus Atlas omnium ferret necessitates. Sublatus est suorum violentia meritorum ad solium Patris, sed illud alio nomine tenere non voluit; quàm ut in sublimi speculâ pro aliorum salute excubaret. Accepit jacentem Austriam, ut erigeret; fractam, ut sanaret; afflictam, ut solaretur; circumsessam bellis, ut defenderet; turbatam, ut componeret. Erexit, sanavit, solatus est, defendit, composuit, & quadraginta omninò annis tenuit inconcussam, cùm circum omnia belli motibus trepidarent. Quo die *Leopoldo pulchro* parenti *pulchrior* filius successit, Patrem induit, cujus gloriosissimi nominis affectus omnes

in subditos derivavit : turpissimum ratus, in edito sedere Principem & ad suorum utilitates oculos non demittere. Aurum & argentum, tenacissima alias metalla, in ejus manibus diffluebant, quas charitatis ardor igniverat. Unum illi erat, videre necessitatem & tollere. Lenta beneficia ex beneficiorum numero eradantur. Tantum demitur gratiæ, quantum moræ adjicitur. Sol non expectat mortalium preces, ut oriatur : ultro se etiam non cogitantium oculis infundit. Odisse potest gratiam, qui diu expectavit. Optimi beneficij anima est, benefaciendi promptitudo. Intellexerat ex Mænandro, Principes publicos esse fontes; ex quibus nemini non esset hauriendi potestas. Erravi; fluvios esse intellexerat; qui non rogati ad inferiora decurrunt, & sese ultro sitientibus terris propinant. Quæ importunitas exprimit, à benignitate non veniunt. Divinum aliquid sapiunt, quæ non petentibus occurrunt. Cùm auri plurimum munificentissimè in omnes effudisset, id quod volebat minimum, testatus est, se auream animam habere. Quid miremur igitur, si unus omnium in se animos coëgerit *Leopoldus* ? facilè colliguntur amores, ubi sparguntur beneficia. Vix subeunt oculos, jam pectus stringunt; vix manus tangunt, jam corda ligant. Magnetes sunt, qui *Arcanis nodis* omnes accipientis affectus & cogitationes, discursus & appetitus nectunt in catenam. Dicam compendio : Si amor est ignis, beneficium est flatus, quo excitatur. Si amor est sagitta, beneficium est nervus, quo impellitur. Si amor est volucris, beneficium est ala, qua incitatur. Si amor est lyra, beneficium est plectrum, quo sanat. Si amor est

horolo-

horologium, beneficium eſt pondus, quod movet. Si amor eſt miles, beneficium eſt tuba, qua evocatur. Amores omnium & affectus cum reciperet *Leopoldus* munus exiſtimabat; merces erant: gratiam reputabat, debitum erant. Injurij profecto Marchionis noſtri laudibus ſimus, niſi tandem conſentientibus votis edicamus, *Leopoldum pro DEO & populo factum Auſtriacorum Principum Ideam.* Id ſi taceamus hodie, clamabunt Auguſtiſſimæ Auſtriadum animæ cœlo illatæ, ſe cum tranſcripta per hæreditatem provincia, etiam virtutes *Leopoldi*, accepiſſe. Revocavit enim verò *pro DEO* Pietatem *Rudolphus* è Sereniſſima familia Primus Imperator, vel quando ſub integumento panis *DEVM* veneratus. *Sacrum Viaticum* accepit ad Imperij coronas; vel quando recens inauguratus Cæſar in ſceptri vicem Crucem arripuit piiſſimus Imperator, cum dicto: *en ſceptrum, in hoc Comes Habſpurgenſis regnabit.* Revocavit *pro populo* benignitatem, quando neminem acceſſu ſuo prohiberi juſſit: teſtatus, *ſe non eſſe ad imperium vocatum, ut in arculâ includatur.* Armavit *pro DEO* zelum, *pro populo* fortitudinem *Albertus I.* quando munitus *gladio dexteram, lævam Cruce*, ſeſe Ottocari caſtris infudit, & exemplo docuit Auſtriam in *Cruce* & *gladio* ponere *Firmamenta Regnorum.* Excitavit *pro DEO* ardorem Albertus Honorificus, quem dixerunt *è cœlo delapſum ad erigendam collapſam in Regno Bohemiæ Religionem.* Excitavit *pro populo* virtutes univerſas, quando à Calendis Januarij ſæculi Chriſtiani decimi quarti uſque ad quartum nonas Julij tres Coronas, Ungariæ, Bohemiæ, ac Imperij non alio titulo admiſit, quàm ut plures populos earum

umbra protegeret. Inflammavit *pro DEO Pietatem* Fridericus; vel quando per adorata Divinitatis vestigia in *Terrâ Sanctâ* sanctitatis viam est ingressus: vel quando Apostoli vice functus Romæ *cecinit Evangelium*. Provexit *pro Populo* felicitatem Reipublicæ, quando indicto armis silentio supra quinquaginta annos integrum Austriæ dedit tranquillitatis Jubilæum. Intendit *pro DEO* animum Maximilianus I quando amplissimam *Austriadum* familiam in unum contractam & Oenipotanâ in rupe nutantem unus adorato Eucharistico DEO conservavit. Extendit *pro Populo* manum, quando vel à tributariâ quotannis victoriâ palmam tulit; vel gentium devictarum spolijs impleta æraria quotannis in suorum commoda exhausit: indignum ratus Imperatorem gentibus dominari, & auro servire. Taceamus Carolum solo nomine Quintum, virtute primum, cujus susceptos *pro DEO &* Religione labores, relatas *pro populo*, & Austriaci nominis immortalitate victorias novit orbis, quem *imperijs rexit, nomine implevit, felicitate beavit, gloriâ illustravit, famâ suspendit victorijs peragravit, triumphis composuit: Pyrrhus in Peloponneso, in Africa Annibal, Scipio in Hispania, in Pannonia Trajanus, Marcellus in Sicilia, in Germania Constantinus, in Italia Cæsar*, ubique *Carolus*. Taceamus *Ferdinandum I.* cujus *pro DEO* calorem loquuntur adhuc apostatarum cineres, testantur hæ ipsa in urbe non humiles ædes, quas Religiosis viris exstruxit: cujus *pro Populo* enarrant facinora Saxonia, Bohemia, Ungaria, Dacia, Thracia, & ne longius abeamus, hæc ipsa urbs Vienna. Hæc quæ supra nos eminet fastigiata turris, æternus stat.

Maxi-

Maximiliano obeliſcus ſervatæ patriæ teſtimoniũ. Transeamus Rudolphos & Matthias, hoc eſt, *pro DEO & populo*, Turcarum terrores, Orbis delicias. Reticeamus ampliſſimam Principum Auſtriacorum gentem; eſt in recenti memoriâ Divus *Ferdinandus* glorioſi nominis *Secundus*. Suprà fidem eſt hujus *pro DEO* Zelus: unius opera (parate fidem veritati) ſupra centies centena hominum millia fidei orthodoxæ lucem aſpexerunt: cujus *pro Populo* invictâ fortitudine edomita regna, fractus Dacus, dejectus Palatinus, Italia territa pacata rebellantis plebis diſſidia, repreſſi Dani, fugati Cimbri, laſſati Haſſi, & Sueciæ *Guſtavi*, priusquam mente conceptum anagramma *Auguſti* conſequerentur, depoſiti. Eſt in oculis *Auguſtiſſimus Cæſar FERDINANDVS III.* Pius, Juſtus; Eſt *FERDINANDVS IV. pro DEO & Populo*, à DEO nobis conceſſi inter ferrea ſæcula aurei Principes; quos nemo audivit, qui non deſideravit: nemo vidit, qui non amavit: nemo allocutus, qui non admiratus eſt. Hæ ſunt animatæ *Leopoldi* hiſtoriæ, hæ ſanctiſſimi Marchionis vitæ imagines; quas cùm uno deſcriptas ab exemplari intelligitis, edicite tandem, *Auſtriacorum Principum pro DEO & Populo*, cœleſti beneficio datorum *Archetypon Leopoldum*. Videte quàm vel hoc nomine ſpes noſtræ exilire poſſint in laudabilem ambitionem. Annus hic eſt ſupra quinquies centeſimum decimus quintus, ex quo de cœlo in noſtram felicitatem *Tutor* excubat *Leopoldus*. Annus eſt ſupra trecenteſimum & ſeptageſimum tertius, ex quo Rudolphus Habſpurgicus Auſtriam in relatæ de Bohemis victoriæ & pacis reſtitutæ præmium ſub Imperialis

Aquilæ

Aquilæ umbram accepit. Annus est ducentesimus decimus tertius, ex quo nunquam interrupto cursu Archiducalis corona in certiorem Austriæ tutelam sociata est diademati Imperiali; ut ex tam longâ annorum serie spem non dubiam concipiamus nunquam terminandæ felicitatis. Accipite ominis argumentum. Cœpit hæc continuationis felicitas inauguratione Alberti Secundi ipsis Januarij Calendis. Quidquid ominentur hic cæteri, ego Austriam intelligo *auspicari felicissimum novum annum*, nunquam terminandum, dum in cœlis *Austriacorum Principum* vivit Idea *Leopoldus*.

Dicta Viennæ Austriæ in Basilica S. Stephani nomine nationis Austriacæ ad Academicos.

ORATIO XII.

DE S. LEOPOLDO.

PRINCEPS AUSTRIACUS

Candidus & Rubicundus.

INter cæteros augustæ majestatis splendores, qui Principem potissimum deceat vestimentorum color, ut publicis hodiernæ festivitatis comitijs, à vobis decernatur, & frequens hujus Basilicæ exspectatio, & ardens in D. Leopoldum Austriꝫ Marchionem Pietas efflagitat, Auditores. Agite ergo Academici, sapienti consilio statuite, quibus coloribus illustrem Principis vestem animis ipsi vestris depingatis. Superborum illa est animorum nota, cui pretioso murice purpurata concharum servit

Respu-

Respublica: Avaræ mentis illa est,quam vectigalis lambit Eridanus. Tumentis animi illa est,quam aureo tributo dives illustrat Orontes; cujus dispersa in fimbrijs nitet majestas,& humili populorum reverentiâ afflatur paludamentum. Tyrannorum illa est; quæ pullato colore formidabilis spectantium animos terrore percellit. Vanitatis illa est,quæ revirescenti sylvæ concolor amœna vernantium colorum ludit varietate. Superbiant Augusti suâ verendi in purpurâ, jactent sese paludati in auro Macedones atrato colore horridi Nerones orbem concutiant, vernent inter virides colorum gratias imbelles vernæ Heliogabali: ego de suo,non alieno colorem Austriacum reverebor. Etenim tantum in hujus venustatem astra contulerunt,ut quamvis Illustres Austriacæ virtutis radij humanis sese oculis eriperent; unius tamen coloris suffragio, non tam cœlestem in terris Austriadum formam,quàm Divinam inter homines spectaremus venustatem. Verbo dicam: Austriacus color divino par est, *Candidus & Rubicundus.* Ille amores conciliat, alter fortes designat: ille mentes in obsequia, iste hostes trahit in triumphos. Nec dum excessit animo nivei illa candoris toga, quam ut faceret Austriacam,decertans ad Ptolemaidos mœnia LEOPOLDUS Austriæ Marchio, adeò inimico sanguine depurpuravit; ut ea solùm parte candorem servaret, quâ circumductus baltheus pectus tegebat,non sine omine candidissimi semper futuri pectoris,virtutisque bellicæ Principum Austriacorum. Legite utrumque in D. LEOPOLDO colorem,quicunque Austriaci estis, *Candidum & Rubicundum, Amabilem & Fortem,* verbo Austriacum LEOPOLDUM. Per aculeos spinę rubo-

ruborem tulerunt rosis, per mucrones arma tulerunt Austriæ: Utrisque carò constitit *rubere*, ruborem tamen virtute emit LEOPOLDUS. Exarserat in Austriam *Fulmen*. Quid nisi incendia & funera suspicemur? Fulmen nihil tangit, quod non perimat; nihil ferit, quod non cineret. Exarserat Panoniæ Rex Stephanus, sub larvâ amabilis nominis ferocissima Tigris, & quâ duce odio, furore comite gradiebatur, latè cædes & funera minabatur. Sed Xerxes Pannonicus invenit suum in LEOPOLDO Miltiadem, Græciam in Austria agnovit. Sub Crucis labaro militem cogit LEOPOLDUS. Quis victoriam non auguretur *in hoc signo?* Ipsæ ad *hoc signum* tenebrarum potestates ceciderunt; quid filij lucis non sperabunt? Proditur utrinque in aciem, fervet ira ac furore miles, coitur, pugnatur: nunquam tamen dubiâ victoriâ, quia semper Austriæ ea se deberi intellexit. Quare ne penderet ambigua, in LEOPOLDUM vix cœptâ pugnâ inclinavit. Fugit Stephanus: vanum nomen secum abstulit, non coronam, quæ LEOPOLDO debebatur. Stratæ procubuêre acies, ut per subjecta cadavera altior graderetur *Leopoldus*. Cùm fasces submittere noluissent clementiæ, ac *Pietati*; corpora subjicere debuerunt *Iustitiæ*. Vide jam cruente prædo, quâ tua tandem tempestas strage detumuerit? nempe, quæ suo fragore aures, non animum perculit. Hastatas in medium adduxisti segetes; sed tu messorem experieris *Leopoldum*. Lunatos in prælia coëgisti exercitus; sed ut Lunaticam disceres tuæ fortunæ cōstantiam, quando furibunda Lunæ decertantis cornua infringebat Austriacus. Minatus es fulmina; sed sterile tonitrû fuit. In Laureatos Austriadûm vertices nihil

hil potuit, qui vel ipſum *Fulmen* norunt fulminare. Nubes quam coactæ in aërem ſagittæ condensârunt, Cœlo quidem diem potuit eripere; ſed non animis ſerenitatem. Ignis quem laribus & templis ſacrilego furore minabaris, fumo quidem latè diffuſos involvere campos valebat; nihil tamen fumi Auſtriacæ virtuti allinere. Ferrum non obex, ſed ſtimulus fuit *Leopoldo* ad victorias. Actum egiſti Stephane. Ubi conclamatum fuit de ſalute, à fuga conſilium cœpiſti. O miles Heros! quem campum tuâ fugâ evacuaſti, ſuô nomine implevit *Leopoldus*. Ut te *Fulmen* probares eſſe, (quod vulgo dicebaris) vix viſus evanuiſti. Tu verò, Auſtriace Princeps *Leopolde*, ſi unquam aliàs, hoc uno facinore æternam purpuram promeruiſti, tuæ fortitudinis perenne ſymbolum. Prodiiſti in apertum, quia jam virtus, naturâ ſuâ lucis avara, latêre non potuit. Evaſiſti in campum, ut glorioſam victoriæ meſſem legeres: deſcendiſti in arenam, ut aſcenderes in Triumphum. Unâ victoriâ omnes, qui circùm Auſtriam tonabant, bellorum tumultus terruiſti, ut annis omninò quadraginta, quibus Marchionatum tenuiſti, finibus tuis ſe inſerere formidarent. Tanti eſt vel ſemel gloriosè vincere, ut poſt nunquam impetaris. Occupata ſemel Ducis æſtimatio ingentes ſæpè exercitus exarmavit. Quanquam quid ab eo ſperare aliud poteramus, qui jam à teneris annis duriſſima poſuit ſuæ militiæ tyrocinia. Puer fuit ſed ætate ſolùm, virtute ſemper maturus, quod egit, ætatem ſuperavit: quod dixit, Catonem ſapuit. In ditione corporis ſui à mollibus annis duriſſimus Imperator; in domandis, premendisque affectibus propè Tyrannus. Ubi cœpit in ſeipſo experiri pugnas,

cœpit

cœpit grassari ad victorias. Ut nunquam vinceretur; victricem semper virtutum exercitum habuit præparatum. Dum daret maxima, semper majora virtutum facinora promittebat. Harum ubique memor, fortunæ suæ, ac penè naturæ obliviscebatur. Ut suam experiretur fortitudinem, seipsum impugnavit: cum cæteris amantissimus pacis pacem sibimetipsi negavit; primum ratus Principis ornamentum, vicisse seipsum; nec infeliciter in subditos imperare qui sui dominium obtinuisset. Stetit ergò ubi collabuntur fortissimi, inter aulæ pericula ad orbis cœlique stuporem inconcussus *Leopoldus*: stetit in augusto parentis solio servo submissior; inter medios libidinis æstus Josepho fortior, inter aulæ Syrenes Ulysse constantior; continentior in luxu Pythagorâ, in auro Iro pauperior. Audivit canoros applaudentium odarum strepitus, sed contempsit: cùm emineret omnibus, despexit neminē; cùm laudaretur, non audivit; cùm blanditijs mulceretur, non sensit; virtutis splendorem omnem indutus, latendi semper studio agebatur; videri ab omnibus dignus, videri erubescebat. Accessit ad moderanda Austrię gubernacula turbulentissimo tempore, ut labantem unus, sed constantissimus Atlas, fulciret Olympum. Et fuisset fortassis concutiente totas in circuitu regiones Martis furore; nisi in eos humeros incidisset, qui æquè scirent, ac valerent instantem ruinam prohibere. Sed non satis est: etiam *Candidum* vultis dilectum vestrum Austriaci? Ne dubitate de *Leopoldi Candore*, quem virtus fecit cœli *Candidatum*, omnis vita semper, *Amabilem*. Ubi Paternæ gloriæ solium conscendit, effecit, ut Majorum fata non sentiret Austria

&

& successorum fortunam prægustaret. Stetit in alto, ut quasi è specula suorum calamitates circumspiceret. Ubi Cruciaria crucis corona verticem cinxit, sanctissimas propugnandi Christiani nominis cogitationes sibi imprimi animadvertit. Adducta circum tempora fascia sensit se publicis Austriæ commodis obligari: cœpitque privatas Marchionatûs fortunas publici Juris efficere. Purpura non alio murice, quàm amore subditorum irrubuit. Secures si quando vibrare debuit *Leopoldus*, amor Reipublicæ extorsit, non ira; ita enim scelerum pœnas animi temperabat clementia, ut quoties in reos tonaret Justitia, toties etiam Patronum Judici, & Serenissimo Patrem Principi conjungeret. Amorem nunquam exuit, etiam ubi ferrum induit; quia nec hostibus suis hostis esse poterat Princeps *Amabilis Leopoldus*. Hoc elogium ut ab hominibus impetraret, à Divis extorsit. Magnificum Augustissimæ Cœlorum Reginæ templum statuit: sibi immortale tam pietatis, quàm munificentiæ monumentum. Collapsas Ecclesias erexit complures; ut si homines taceant, muta loquantur saxa, Principem Superis *Amabilem Leopoldum*. Cùm Cœlitum teneret amores, facilè occupavit humanos, Suavissimi mores, omnium amores invaserunt: Aulam suam non securitatis munimentum, sed miserorum asylum effecit. Præter regias animi virtutes aulicos nullos in delicijs habuit magis, quàm eos, quos dura necessitas, non turpis auri libido ad aulæ limen pertraxit. Omnem felicitatis suæ fructum alienis se debere calamitatibus semper arbitrabatur. Nihil se magis possidere ratus, quàm quod in suorum manus deposuisset. Prodigus videri poterat, qui ita dedit,

dit;ut ipse egeret. Teruntium cùm quæreret alienæ egestati solatium, ingemuit non suppetere. Opulentiorem fortunam hoc uno titulo adamavit, ut plures posset locupletare. Quam Dei Vicarius rexit Provinciam, Dei æmulator expurgavit ærumnis, seminavit beneficijs. Cùm neminem impunè flagitiosum toleraret, neminem patiebatur gratis innocentem; liberalitatem suam intra suorum merita numquam passus consistere. Illud aurum non placebat, quod vel splendorem ab Altaribus non acciperet, vel miserorum manibus oculisque non conferret. Neminem credidisses imperante *Leopoldo* pupillum in Austria: adeò enim, cùm Principis personam induit, omnium patrem agebat: cui idem erat beneficia conferre & accipere; illudque solùm videbatur Austriacum, omnes homines felices reddere. Cùm paucos sui sanguinis filios numeraret; affectûs sui progeniem Civium numero definivit. Impio Caligulæ voto addidit sanctitatem. Unam omnibus cervicem optavit: non ut uno ictu jugularet, sed ut uno amplexu confoveret. Ut proindè jam non mirer, omnium in se animos attraxisse *Leopoldum*, ubi tam fortes undique favores dispersit. Alijs virtutibus electrica amoris vis est, munificentiæ etiam magnetica: illæ leves animas attrahunt, hæc ferreas. Illud admirabile magis est in amabili *Leopoldo*, quod, quæ funesta alijs erant furoris semina lætam amoris segetem *Leopoldo* parturirent; quo cæteri in solio metebant odia, favores legit *Leopoldus*. Alij livoris metam sensere divitias, amoris scopum intellexit *Leopoldus*; alijs invidiæ laquei fuêre laquearia, illi animorum; alijs cupressum laureæ: amor odia, fortitudo interitum, lacernam

purpura

purpura, fasces securim, voluptas necem, aula insidias, regna pepererunt tyrannidem; *Leopoldo* verò Principi Austriaco, vitam, honores, ac nominis immortalitatem. Sed & hęc cùm sola populorum metiretur utilitate; nec alio nomine præesse vellet, quàm ut prodesset, omnium emit affectus, & amores. Quos cùm gloriosè æquè ac utiliter captivaret, simul suos affectus sentiebat catenari. Nullum enim habuit liberum; qui omnes Reipublicæ studio ac utilitati obligaverat. Hæc Austriæ ars est, ut emat corda, & voluntates, pronâ in omnes, effusâque ferri voluntate; ut immortalitatem nominis comparet, funera ac mortes, etiam suo funere ab aliorum vertice amoliri. Testantur id hodie, etiam me tacente, Augustissimi *Leopoldi* successores, *Fortes* Principes & *Amabiles*, Austriaci *Candidi & Rubicundi*, *Ferdinandus III. Iustus, Pius*, qui vel solâ Austriaci nominis virtute, expulsis ferreis, aurea in Imperio mundo reducet sæcula, & sacrilegos inferni partus; Hæreses omnes penitus ex hominum memoria extirpabit: qui cùm duodecim ante se videat Austriacos Imperatores, nullum non exprimit, dum omnes omniũ Virtutes ac fortunas, quasi compendiosa omnium epitome complectitur; sua *Pietate Candidus*, *Iustitia Rubicundus*. Testatur *Ferdinandus*, & nomine Augustissimo Parenti suppar, & virtute æmulator, *pro DEO & Populo* vel natus, vel cœlitus datus; in cujus verticem nuper ambitioso obsequio Ungariæ Bohemiæque coronæ convolarunt: in cujus frontem hoc ipso tempore, quo Principum Ratisbonę fervent Comitia, ipsum Imperij diadema jam sese videtur inclinare. Testatur *Leopoldus Guilielmus*, Gallicanus Hercules, à cujus

aspectu

aspectu diffugit Aquilo , & sparsæ inimicorum acies evanuêre : Cujus nomen non prius auditur, quàm animis amor ingeratur ; vultus & manus non prius videtur , quàm hostibus terror incutiatur : cujus *fortitudinem* loquuntur hostes, Amabilitatem adorat Imperium. Testatur Serenissimus *Leopoldus Ignatius*, ut nomine, sic & virtute *Leopoldus* , ex cujus *Industria & Consilio* præsagimus Principem *Candidum & Rubicundum. Fortem & Amabilem :* qui ubi nomen accepit, virtutes simul induit *Leopoldi*. Nec contentus nominis umbrâ,ad *clarissimas animi* dotes rapitur. Ab ipso nomine imitandi obligationem sortitus, ubicunque auditur, admirandam sui ingerit expectationem. Ita ingentium facinorum spem in flore ætatis præmittit ; ut non prius per indicia virtutem Austriacam polliceatur;quàm exhibeat per experimenta. Herous in tenera ętate animus,inconcussa mens,accensus Spiritus veluti per rimas prospiciunt , ut *Fortem* probent. Clementia in oculis,in fronte comitas,in toto vultu serenitas *Amabilem* facit ; conjuncta Sanguinis ac Virtutis suffragia *Austriacum Leopoldum*. Tuæ hæ sunt Laudes *D. Leopolde*, quod tales censeas successores. Ut in Solem stellarum lumina,sic in te venerabunda Domus Austriaca suos libenter splendores refundit. Tu Dive,si faves,fave. Ratisbona jam tuos vel tenet , vel expectat ad felicitatis portum stitura. Tu advenientes excipe Principes *Candide & Rubicunde:* ac tandem quod bonorum omnium est votum,quos felicitatis ac Imperij *Candidatos* fecerunt sanguinis ac meritorum suffragia, fac ut recipiamus recentiore dignitatis Regiæ purpurâ *Rubicundos*.

Dicta

ORATIO XIII.

SANCTUS LEOPOLDUS AUSTRIÆ MARCHIO.

Principum Humanissimus.

HVmanitatem & *Austriam*; si aures metiantu â sono, duas esse res; si animus dijudicet à re ipsa, eandem omninò esse publicâ sententiâ palàm enunciabo. Altera ita est in alterâ, ut hanc videre oculis nemo possit, quin illam animo contemple-tur: illam animo cogitare nemo valeat, quin ista cogitanti sese repræsentet: Vultus utrique idem est Frons explicata, serenitatis area; oculus aquilinus gratiarum theatrũ; supercilium modestum, amori arcus; os ridibundum, affabilitatis sedes; color san-guineus lacte permistus, sinceritatis insigne: vultu concolor habitus, & amœnissima totius corpori compositio. Ut *Austriam* pingat Timentes, *Huma-nitas* sit prototypon; ut Phidias sculpat *Humani-tatem*, *Austria* sit Idea. Quidquid est *Austria*, *Hu-manitas* est: quidquid est *Humanitas*, *Austria* ex-primit. In unâ videtur altera; in alterâ, altera cogi-tatur. Clementissimum Austriæ regioni cœlum est non aliud debuit habere clima *Humanitas*. Miti abblanditur aura; est halitus *Humanitatis*. Explica-ta pandit amœnitatem planities: hęc Superûm con-silio destinata est regio *Humanitati*, Tument non

nihil interſiti clivi: theatra ſunt erecta ad ſpectandam *Humanitatem*. Aſſurgunt ad extremos margines ſuperbi montes; mœnia ſunt, quæ contra rigidioris populi aſperitatem natura ſtatuit pro defendenda *Humanitate*. Devolvit Danubius undas ad inhumanam Turcicæ gentis confluviem; balnea ſunt, quę ſuo è ſinu profundit *Auſtria*, ut lavet barbariem ad *Humanitatis* venuſtatem. Circumſpice hâc illâc: florent horti, virent campi, flavent agri, vivunt prata, tument colles, undant ſata, gemmant vites, frondent ſylvæ, natant aquæ, rident aſtra, ludit aura, jucundiſſima ubique cœli terræque facies vivam ſpirat *Humanitatem*. Parem regioni Principem hodie ſiſto *Humaniſſimum Leopoldum*. Patiar ſuas eſſe Principibus Regibusque Hiſpanis laudes à prudentia, Italis ab ingenio, Gallis à facilitate, Ungaris à fide, Anglis à temperantia, Polonis à fortitudine, Germanis à conſtantia: tuarum hoc erit laudum compendium *Auſtriace Leopolde*, quod ad orbis miraculū unus ſis, & dicaris *Principum Humaniſſimus*. Patiar quoque, quę nuper in te commendata ſunt, cantari elogia Juſtitię ac Pietatis, quarum manibus primum naſcens exceptus, quarum ſinu geſtatus, quarum lacte enutritus, quarum legibus formatus, quarum præceptis inſtructus, quarum documentis eruditus *pro Deo & Populo* natus factuſque eſſe videbaris. Divina ea ſunt encomia: ad quæ cùm humili Oratori non licet aſſurgere, non poſſum tamen ab humanis avelli, dum te aſpicio, pariter ac ſuſpicio *Principum Humaniſſimum*. At verò *Humanitas* non una eſt virtus, Auditores. Ejus imaginem ſi fingere aliquando laboret Apelles, pingat in fronte amœnitatem, in ſuperciliis clemen-

entiam, in oculis Gratias,in genis suavitatem,
e blanditias, in labiis affabilitatem , in vultu
a , in pectore candorem , in sinu pietatem , in
e amorem ,in manu liberalitatem,in gestu mo-
am, in voce lenitatem, in affectu facilitatem ,
to corpore mansuetam compositionem. Pin-
ro amictu purpuram , pro zona candorem ,
paludamento præmia, pro corona illicia , pro
s munera , pro Sceptro munificentiam , pro
s dona , pro clypeo corda populorum. Pingat
oér in nube cœlum , Solemque meridiano
dore radiantem; circum latera colludentes Fa-
os; sub pedibus universam Floræ suppellecti-
Pingat eminus extinctas Deucalionis fabulas,
saxa mendaci Poëtarum calamo ad Huma-
em animata , convolantia ad Amphionis ly-
marmora in Thebarum propugnacula , feras
rphei modulos cicuratas , & magis ex deli-
Poëtarum cerebro , quàm ex Galliis oriun-
Herculem per aureas catenas efferatis barba-
ı nationum affectibus dominantem. Quæ
a si ductis in tabellam coloribus ad vivum ex-
rit; umbram delineaverit Humanissimi Prin-
ı *Leopoldi*. Nam si præcipuæ illæ sunt partes
anitatis , frontem explicare , ut cor videatur ;
s aperire, ut affectus cernantur; miseros aspi-
ut felices facias ; è solio , velut è specula de-
e, ut multorum utilitati prospicias ; subditos
ere, ut vel te illis, vel illos tibi reddas æqua-
es complecti,ut patrem agnoscant; fores nul-
essulare,ut expeditus sit ad animum accessus;
nemini obserare , ut aurum liberè diffluat ;
s habere apertas , ut nihil tenaciter possi-
M 2 deas ;

deas; propria denique ita commoda quærere, ut nulla omninò censeas, nisi quæ aliorum fœnerantur utilitati: unus, unus ad retroactæ antiquitatis invidiam omnes Humanitatis partes implevit *Leopoldus*. Non indiguit Philisci ad Alexandrum Macedonem documento: *Ne sis pestis:* qui omnium saluti à DEO concessus, semetipsum publici juris effecit. Non indiguit Parisatis monito, ut *imperantium verba ad subditos sint byssina*; cujus in ore feliciùs consedère Charites, quàm olim in Homeri labijs apes nidificârint. Sepelivit gloriosam Titi memoriã, qui eum diem se perdidisse ingemiscebat, quo nullum humanitatis officium exhibuisset; cùm ne diem perderet beneficijs, antevolavit auroram. Renovavit Periclis Atheniensis encomia, qui solenni acclamatione, & populi plausu Belli Imperator renunciatus, eam sibi legem statuit: *Attende Pericles, quod gesturus es imperium in Liberos* quando evocato ad superos *Leopoldo* patre, virtutum congenitarum suffragio ad gubernacula evectus, universam Austriam unam constituit familiam, cui ipse Pater præesset. Extinxit Tiberij laudes, erasit Germanici historias, tumulavit famam Severi, qui edicto publico vetuerunt se Dominos appellari; quando supra omnium capita elevatus, ad omnium se necessitates demisit. Excitavit sepultam Vespasiani memoriam, qui faciles aditus ad se patêre omnibus imperavit; quando ne ab indigentibus adiretur cum molestia, prior ipse adibat indigentes cum voluptate. Tumulavit Romanorum in Tribunitijs ædibus gloriosum nomen, quarum illi valvas die nocteque egenorum accessibus patêre voluerunt: quando in egenorum solatia munificentissimas manus, candi-

dissi-

dissimumque pectus aperuit. Obliteravit Augusti Cæsaris Humanitatem, qui cùm se timeri vidisset, illachrymatus est; quando ne timeretur ipse, amorem per sui aspectum suorũ animis immisit. Dempsit admirationem Adriani elogijs, *quod neminem viderit pauperem, quem non ditarit:* quando opulentissimam domum, publicum fecit indigentibus & calamitosis ærarium. Ingessit æmulationis ardorem Rudolpho Magno Imperatori, qui illud frequentius edicere solebat: *finite ad me accedant homines, neque enim ideò Imperator sum, ut inclusus in arcâ delitescam:* quando felicem se existimavit, si omnium infelicium calamitas in suum sinum convolaret; eamque libens amplectebatur inopiam, quæ de gremio pauperum evolaret. Accendit in Augustissimâ Principum Austriacorum familiã, ac inde natis Archiducibus, Regibus, & Imperatoribus æmulandæ humanitatis studium; qui divina cùm faciant, humanam sortem non erubescunt; quando cùm emineret supra alios dignitate; virtute ad aliorum demissionem suam excellentiam depressit. Prævivit Alphonso Arragoniæ Regi, ut in symbolum sibi assumpto lumini adjiceret lemma: *Alijs servio, mihi consumor:* quando (hæret attonita & obstupescit oratio!) quando: (prohibeor narratione facti, quod fidem excedit!) quando: (sine me pro tuâ in omnes humanitate *Principum Humanissime Leopolde*, sine me vel unum adhuc ad tua encomia singulare, ad sæculi admirationes eximium enarrare!) quando ita se in egentium stipem exhausit, ut ex amplissimis censibus, quos ancilla Fortuna quotidiano tributo pendebat Austriaco Principi, non superesset teruntius unus, quem po-

ſtulanti erogaret *Leopoldus*. Tunc enimverò auream ſortitus animam, ne deeſſet egenti, animam eliquavit in affectus. Tunc fortè provocatum Humanitate Cœlum deſtinavit Imperium *Leopoldo*; ut haberet, unde piè prodigus alienæ egeſtati ſubveniret. Meminimus enim Henrico Quarto per fata ſublato, unanimi Septem-Virorum ſententiâ & voto univerſam Imperij molem in Auſtriaci Marchionis humeros ſidere incepiſſe; ſeſſuramque omninò, niſi quæ ſemper comes eſt *Humanitati* modeſtia, tantum gloriæ pondus in cognatorum capita avertiſſet. Excuſſiſti quidem *Leopolde* illud perituræ Majeſtatis pondus, ſed fugâ gloriæ gloriam aſſecutus es immortalem: cùm univerſi mundi conſenſu, & glorioſiùs ſit mereri magna, quàm accipere; & immortalitatis nomen honorificentius, honorem fugere, quàm amplecti. Laudaris per nobiles hiſtoriarum curas, quòd Imperium rejeceris; nemo quòd promptus exceperit. Honor per ſui fugam naſcitur. Obviantibus inter amplexus evaneſcit. Amat ſe averſantes, amantes odit. Non eviciſti tamen Auſtriace Princeps, ut non tandem ad tuos Sereniſſimos ſucceſſores, *Auſtriæ Archiduces* Imperium deferrent obſequioſæ Aquilæ; innatæ *Humanitatis* ſuffragio apud eoſdem perennaturum. Emiſti beneficentiâ tuâ Diademata; non ſubiiſti: ut hæreditatem filijs reſervares. Depoſuiſti pretium Imperij per liberalem in egentes *Humanitatem*; poſſeſſionem adeundam ſucceſſoribus tranſcripſiſti. Adeò quod *Humanitas* in egenos profeminat, *cadit in terram bonam, quæ fructum centuplum refert*. Tacebo jam modeſtiſſimam illam *Humanitatem*, quòd immortalem Baſilicam Augu-
ſtiſſimæ

ſtiſſimæ Cœlorum Imperatrici Clauſtro Neoburgi, altero ab hinc lapide, erecturus, noluerit ipſe primum in fundamenta lapidem conjicere, quòd hoc ſacris Eccleſiaſtici Viri manibus deberi exiſtimaret: Quâ quidem re meruit, ut ſuum poſt fata corpus, ad Baſilicæ fundamenta depoſitum, univerſam molem ſuſtineret, nunquam interituri honoris Mauſolæum. Ut hinc non vanus augur præſagiam, *portas inferi non prævalituras* in Auſtriam, cujus Eccleſiæ fundamenta poſita ſunt ſupra *Leopoldum.* Erravi: dicere debebam, *ſupra firmam petram.* Nam ſi ex Romani Pontificis mente, D. *Leopoldus* eſt *peculiaris filius S. Petri:* ſi filij per Juris-Conſultos, ſunt aliquid Patris, aliquid Petræ eſt *Leopoldus.* Tacebo illud *Humanitatis* exemplum, quòd ut ſuos tutaretur *Leopoldus,* auream, quam habebat animam, venalem ferro expoſuit. Veniebat Fulminaſter Ungarus, Auſtriam, hoc eſt, *Humanitatis* patriam invaſurus. *Leopoldum* aſpexit, nec ultra potuit. Leones vidimus in vexillis, lepores in animis: efferebat in armis ferociam, clypeis metum tegebat in pectore. Impetum audivimus, non ſenſimus: ignes aſpeximus, ſed fatuos: fumum vidimus, ſed qui *Leopoldo* ſplendorem adderet; ferocienti verò barbaro lachrymas eliceret. Uno prælio confectus barbariem ſuam procul ab *Humanitatis* regione præcipitavit. Tacebo, quòd conſanguinea *Humanitatis* pax, cùm circùm undique ſonarent arma, ſub *Leopoldi* frœnis per annos omninò quadraginta *Auſtriam* tenuerit; vel quia nón audebat ferrum tentare patriam, cui *Princeps aureus* dominabatur: vel quia ferrum, ut affinitate nominis cum feritate conjungitur, ita naturam ejus

ſequitur; ut una nequeat habitatione cum *Humanitate* copulari. Tacebo, quod parum adhuc erat in homines *humanum* eſſe, niſi de DEO ipſo bene mereretur, ac in Superos *humanus* eſſet *Leopoldus.* Ne veneraremur Antiquitatis errores, quæ magnificâ templorum ſubſtructione ipſos è cœlo Divos in terras evocari autumabat, effecit *Leopoldus*; ambitioſamque fabulam feliciore artificio correxit; quando vel obſoletum ab aris ſenium abſterſit; vel regiis impenſis cœlo propiores Divorum ædes erexit; extorſitque piè, ut Cælites nobiſcum libenter habitarent, qui longius à terris abiiſſe credebantur. Loquuntur, me tacente, facunda in laudes ſaxa, quæ immortalia monumenta vel è colle novi Clauſtri, vel ex valle S. Crucis ad Cœlos protendunt. Loquuntur ipſa *Leopoldi* viſcera, Albertus paternæ pietatis hæres cognomento Devotus; Henricus II. Scotenſis Cœnobij parens; Leopoldus Quintus, Largus appellatus, Cœnobij ad Crucem Protector; Ottho Quintus Clauſtro-Neoburgi Præpoſitus, Morimundi in Burgundia Ciſtercienſis Monachus Friſingæ Pontifex, ubique Doctor; Conradus VI. Paſſavij & Salisburgi ſupremus Antiſtes; quot ille, cùm cætera omnia pro DEO effudiſſet, monaſteriis Tutores, aris Sacerdotes, Eccleſiis Pontifices, Fidei Aſſertores, DEO holocauſta donavit. Illud tamen ſilere non poſſum, quod ſuam in mortuos extenderit *Humanitatem*, quâ etiam ferreas Libitinæ leges emolljvit. Decem funera ſuis è ſepulchris eduxit ad vitam: ſed ſimul Orphei fabulas damnavit ad mortem. Adeò ſi inter umbras comparet *Humanitas*, reſtituit lucem. Præluxerunt debito noſtro rediviva funera, quando *Humaniſſimo* *Princi-*

Principum Leopoldo in venerationem assurrexerunt. Non patiamur eam nobis inuri maculam, ut legatur olim ad *Humanitatem* Leopoldi frigidus cinis incaluisse ad vitam, nostra verò pectora in mortuale frigus obriguisse. Desinat *Austriacus* dici, qui *Humanitatem* non legit in *Leopoldo*. Cor estis Germaniæ, quicunque estis Austriaci. Friderico Imperatori credite. Non aliam sedem sibi depoſcit Humanitas. Hanc si dederitis, efficietis, ut perennaturâ memoriâ cernatur in vobis *Principum Humanissimus* Leopoldus.

Dicta Viennæ Austriæ in Basilica S. Stephani nomine Austriacæ Nationis ad Academicos.

ORATIO XIV.

D. LEOPOLDUS

à Consilio & Industria Felicissimus Princeps.

SI quæ ad propugnandam optimi Principis commendationem æquè, ac Rerumpubl. stabiliendam incolumitatem complurimum faciunt, ut animo sentire liberè, ita liberè oratione proferre concedatur; *Senatus Academice*; easdem ego hodie tam ad sustinendam Principis gloriam firmas, quàm ad portandam populorum salutem inconcussas bases assignabo; quibus nuper *Serenissimus Hungariæ Rex* Leopoldus *Ignatius* securæ olim suæ felicitatis, ac Regnorum Provinciarumque fundamenta imposuit, *Consilium & Industriam*. Suspicio equidem Augustissimi Imperatoris *Ferdinandi III. Firmamenta Regnorum, Iustitiam*

tiam & Pietatem: sed agnosco ut *Augustissimi Parentis Serenissimum Filium Leopoldum*, sic *Iustitiæ genuinam* prolem *Consilium*; *Pietatis* nobilissimam progeniem *Industriam*. Probo ingeniosum Poëtæ ad Principis institutionem excogitatum commentum, qui in mella diffluenti Samsonis leoni gemini adverbij inscripsit epigraphen *Fortiter & Suaviter:* sed ad *Consilij* commendationem traho *Fortitudinem*; inter imperantium *Industrias* adnumero *Suavitatem*. Veneror, quam sibi Adolphus Imperator diverbio sancivit gubernandi rationem, *Vigilijs, & moderatione:* sed & *Vigilias* in partem *Consilij* voco; & *moderationem* aliquam *Industriæ* portionem intelligo. Revereor & illud ejusdem Imperatoris Delphino & adjunctæ anchoræ affixum lemma: *Festina lentè:* sed cùm ex Thesauri aphorismis lego: *Lentè consule, fortiter exequere: lentitudinem Consilio; festinationem Industriæ* comitem adjungo. Exosculor universam Principis institutionem geminâ Rudolphi Bohemiæ Regis voce expressam: *Cura, Vigila:* sed *vigilias* audivi olim à Xenophonte *Consilij* oculum, *Curas Industriæ* animam appellari. Admiror sanctissimam Agesilai decempedam, quâ magnitudinem Principis dimetitur: *si dicat optima, & agat honestissima:* sed *ut dicat optima*, informat *Consilium*; *ut agat honestissima*, manuducit *Industria. Consilium* Intellectûs est soboles: *Industria* voluntatis est serva. *Consilium* agenda concipit; *Industria* ad publicam lucem parit. *Consilium* Reipubl. ideam depingit, *Industria* molem exstruit ad Ideam. *Consilium* est oculus, quo gloriosam sibi Principes metam designant:
Industria

dustria est pes, quo ad immortalitatem nominis
citato passu progrediuntur. *Consilium* Sol est ,
i rerum colores develat : *Industria* manus est ,
iæ eos deligit & secernit , qui ad Rerumpubl. fe-
itatem conducunt: *Consilium* anima est , quæ
egnorum corpus flectit & temperat : *Industria*
rpus est,quæ animam per intima & extima Pro-
nciarum membra circumportat. *Consilium &*
dustria duo sunt humeri , quibus Atlantes orbis
inceps ponderosam Imperij molem supportant.
uo sunt luminaria,quibus tot invidorum tenebris
festata Majestas suo splendori vendicatur. Duo
nt brachia , quibus amplissima gubernandi po-
stas nationes & populos amplexatur. Duæ sunt
,quibus vel populorum inertia suam fugit humi-
atem ; & Regum gloria se sustollit ad immorta-
atem. Duo sunt oculi, quibus non tam aspicitur
imerosa subditorum multitudo ; quam singulo-
m prospicitur necessitati. Duæ sunt rotæ, quibus
l Imperatores ad Honoris Capitolium trium-
iabundi devehuntur ; vel universa Reipubl. in fe-
itatis sinum deportatur. Duæ sunt bases, quibus
l Cæsarea sustentatur authoritas ; vel inconcussa
ovinciarum tranquillitas stabilitur. Duo sunt
li , quibus vel *Iustitia & Pietas* ad Imperij pa-
m conservandam immotæ assident ; vel universa
egnorum moles secundo semper sine offensione
otu gyratur. Ut meritò tibi gratulari debeas
rthodoxæ Religionis propugnaculum , Hunga-
i, quæ gemino hoc humero portaris,his lumina-
ous illustraris , his brachiis stringeris , his alis at-
lleris , his oculis protegeris , his rotis procurris ,
s basibus inniteris , his polis rotaris , *Serenissi-*

mi Leopoldi Regis Consilio & Industriâ. Accepisti hoc, *Serenissime Rex*, à Divo *Leopoldo* Marchione; cujus cùm induisti nomen, involasti virtutes: Heroicæ mentis inde nactus obligationem, unde traxisti nomenclaturam. Patieris ergo, ut qui Regnorum tuorum à *Consilio & Industria* auguramur felicitatem, iisdem Divum *Leopoldum* Tuarum virtutum Ideam *Consilio & Industria* gubernantem speculemur. Quod ego cùm meditor, obversatur adhuc animo ingeniosi Pictoris non rude commentum; qui ut aliquam humanis oculis spectandam *Consilij* imaginem subjiceret; Virum pinxit venerandâ capitis canitie maturum; cui lucerna serviebat ad vigilias, & mediæ noctis tenebras evincendas. Supra verticem ex candida serenaque nube constantissimam flammam accendebat Cynosura. Dexterum latus tenebat ingens librorum ac vetustorum voluminum copia, quibus Veritas assidebat. Sinistrum latus occupabat Libertas, quæ aureæ virgæ summitate ad viri labra protensa linguam solvere videbatur. Ab ore contextum in catenas aurum emicabat, quo venerandæ frontis ac proceritatis Dea Respubl. gestiens trahebatur captiva. A fronte geminæ maturi aspectûs Camillæ, altera rerum præteritarum Experientia, altera futurarum Providentia specula obtendebant, in quibus quid præterlapsa sæcula tulerint, quid allatura essent sequentia, veluti præsens intuebatur. Ad pedes demum hinc ingens auri argentique vis proculcata; inde veteris primordia mundi, confusæ rerum species, & indigestum sine lege, sine ordine chaos spectabatur; cui ille in certam formam digerendo regulâ, circino,

&

& amussi incumbebat. Prævolatis ingenij celeritate lentam Oratoris dictionem, & per omnem Platonis ac Stagyritæ, Xenophontis ac Taciti Rempubl. eruditi paucissimos compendio describitis aphorismos, ad quorum decempedam felicitatem *Leopoldi* examinatis. Ac primus quidem est: *Consilijs ætate maturos admoveto.* Ignea Juvenum ingenia plerumque fumis occupantur. Magnificis intenti negligunt securiora. Commentorum suorum fatuis ignibus abducti ad præcipitia deferuntur. Speciosis illecti, utilia non secernunt. In crusta detenti, nucleum non degustant, quæ circumsecus posita sunt, æstimant; ad ea, quæ latent, non pervadunt. Senum circumspecta est meditatio, ubi in venis deferbuit æstus, tranquillior residet Sapientia. Ad duriora allisi sæpius securiorem callem observârunt. Quâ eundum sit, docent; non quo eatur, attendunt. Alterum ex rationis tripode sic dictatis aphorismum: *Consulenti Cynosura sit DEVS.* Ad scopulos alliditur Charybdi involvitur, Syrtibus dilaceratur, voragine sorbetur Reip. navis, cujus oculi non affiguntur Cynosuræ. In excidium populorum Regnorumque perniciem consilijs admiscentur Principum, quibus Religio simulata, profligata conscientia, mens cavernosa, & per inextricabiles intorta Labyrinthos. Ubi *DEVS* negligitur, potestas atteritur. Participatio quædam Divinitatis est, consulere: non derivatur in eos, qui secedunt à Numine. Facilè evertitur judicium mentis, quæ à DEO exorbitat. Ut *Sapientia in consilijs habitet,* Timore Domini est inducenda. Tertium ita concipitis: *Veritatem, cùm loquitur, pariat.* Difficilem hæc in au-

las aditum sortitur, quarum fores plerumque mendacium obsidet & silentium. Quia nuda incedit, eò non admittitur, ubi *omnes vestiuntur duplicibus,* Arcetur indè sinceritas, ubi primæ admissionis Principes sunt Dolus & Fictio. Ibi amatur minimum, ubi plurimum desideratur. Cujus revelatæ cognoscitur fructus, sepultæ involantur detrimenta. Pulcherrima judicij proles lucem formidat, quia detecta sui odium parit. Habet suos angulos privati boni studium, suos carceres passio, sua vincula timor, suas tenebras cæcus amor; quibus veritas absconditur, vincitur, catenatur, sepelitur. Adjicitis ex Platone quartum: *Linguam solutam consilijs adfer, non tam dicendi copiâ quam sententiæ libertate.* Arcanorum hic sunt nundinæ nusquam aliàs venales. Ut foris loqui est vitium, sic in Curia tacere est nefas. Ad consilium cùm ingrederis, Oratorem indue; cùm egrederis, Harpocratem. Judicia cæcum probant, oderunt mutum. Qui placituris studet, interimit Veritatem; factus alienæ sententiæ servus, suæ turpis Vespillo. Curiam ut forum ingredere, non ut carcerem; in quo ligeris metu, stringaris gratiâ, cateneris voluptate. Qui velificatur cupiditati Principis, in Syrtes & brevia Reip. navim præcipitat. Quod prodest, loquere; non quod placet: nisi placeat, quod prodest. Adulatio Phalaridis Tauros fabricat, & illuso per simulationem consilio authori interitum nundinatur. Cui vel Regis gratia, vel propria utilitas est Numen, vel silentio thurificat, vel mendacio veneratur. Non sine sacrilegio litatur, ubi Veritas immolatur. Postulatis ex Romano Sapiente quintum: *Qui Consilium accedis, experientiam præmitte.* Hæc præteritorum

ritorum discipula facta est Magistra futurorum. Qui longam ætatem excurrit, vidit quæ arriderent, quæ displicerent. Fausta & sinistra sidera ætas observavit. Cani alienæ felicitatis memores suam disponunt & ordinant: alienorum casuum inspectores, proprios evitant. Nusquam erratur facilius, quàm semitâ ignotâ. Qui sæpiùs mare transmisit, scopulos novit; & per ipsa etiam naufragia faciliùs didicit navigare. Itineris viæ vel per errores observantur, vel per impressa aliorum vestigia. Et prodest aliquando errasse, ut certiùs alterum manuducas. Navim siderum & maris experto Typhi, exercitum experto Duci committis. *Consilijs* Respubl. navigat; *Consilijs* præliatur: feliciter si experientiâ. Assequuntur cum Mithridate usum bene suadendi, qui per utramque jactati Fortunam vicissitudine rerum sunt fatigati. Ex Stagyrita & Xenophonte sextum sic definitis: *Providum in ventura oculum dirige, qui Reipublicæ gubernaculis assistis.* Res humanæ devolvuntur in orbem. Finis hic principium tangit. Dum primum punctum intueris, non latet postremum. In capite viarum erratur plerumque, non in exitu: tunc tamen vel maximè, quando exitus non prospicitur. Catenæ annulus annulum trahit: ubi primum apprehendis, etiam ultimum moves. Sic rerum momenta digere, ut exitum teneas. Natura capiti, principi corporis parti, infixit oculos: DEUS Reipubl. capiti, Regi providentiam imperavit. Universa corporis moles oculi directione, Respub. Regis consilio versatur. Hebes est, qui ante se posita, qui longinqua non cernit. Præmittendus est eò oculus, quò trahendum est corpus. Ne in infini-

infinitum excurrant aphorismi, septimum à communi populi suffragio accipitis: *Muneribus manus abstine.* Excæcant oculos Sapientûm. Auri splendor acerrimus est. Vix incurrit oculos, jam animos corripit: sed ubi illuxit oculis, extinguit judicium. Quia flammeum est, sui amorem accendit. Hinc, quod amori proprium est, cæcitatem inducit Natura extinguere incendium conata est, quæ illud vel damnavit ad fluvios & maria, vel superingestis montibus sepelivit. Cave dolosum latronem; primò jugulum petit: ubi in sinum irrepserit, venalem vocem prostituit. Lupi naturam sequitur: ubi apparet, vocem eripit. Cave, manus extendas: irrumpes in vincula. Iis teneberis, quæ te putas tenere. Arctissimæ justitiæ compedes auro fabricantur. Sed ubi *Consilij* emblema approbastis; ubi ex Sapientum oraculis ejusdem aphorismos collegistis, vivum etiamnum post funera spectate *Leopoldum*. Vir est, non minùs ætate gravis, quàm candidissima morum canitie venerandus. Nunquam visus est puer, qui semper maturos mores circumtulit. Annorum defectum meritorum copiâ compensavit. Lenta sequebantur tempora præcocis festinationem virtutis: Cujus cùm in ætatis Vere florem ostenderet, uberrimum simul fructibus Autumnum exhibebat. Opprimebat gravitate morum naturæ levitatem. A cunis in senium provolasse censuisses, nisi floridior vultus ætatem prodidisset. Quanquam nec ille tam fuit ætatis proditor, quàm supra virilem adultæ prudentiæ taciturnus Encomiastes. Cujus fronti matura severitas insidebat, oculis gravitas, supercilijs majestas, labijs oracula. Ut meritò dicas,

In

In compendium paucorum annorum universas senij laudes contraxisse : quod à temporis emensi orbita dimetitur vulgus ; Sapientes à redundantia meritorum. Id demùm evicit à puero, ut quacunque ætate admoveretur gubernaculis, non accederet immaturus. *Cynosura DEVS illi fuit*, Hoc *Duce*, Consilia, dicta, facta, cogitata ordinavit. In hanc, cùm irretortus respiceret semper, *Pij* cognomentum sibi vendicavit. *Pulchri* Patris non degener filius, eam pulchritudinem hæreditate traxit, quæ etiam cœlum sui amore accendit, *Pietatem*. Asiatici, Africani, Germanici, aut sunt terrarum eversarum nomina; aut vocabula Tragœdiarum: *Pij* nomenclatura est occupatæ divinitatis, æstimatione populi Principum authoritas stabilitur : illa verò pietatis cum Divinitate commercio comparatur. Illam ut obtineret Zoroaster, à ficta cum Homosi conversatione mendicavit: à Jovis commercio Minos: à Saturni affatu Carondas ; ab Apollinis amicitia Lycurgus; à Minervę societate Solon; ab Ægerię frequentatione Numa; à Vestę inspiratione Zamolxis; à Gabrielis alloquio Mahometes; omnes ab adscititia larva mentitæ Divinitatis : Unus à frequenti per dies noctesque cum DEO tractatione *Leopoldus*. Explevit monitorium Cambysis ad Cyrum aphorismum: *DEI amicus esto & in eundem pius:* quando adveniens dies affixos cœlo *Leopoldi* affectus vidit; Discedens necdum refixos dereliquit. Executus est Mecœnatis ad Augustum documenta : *Divinum Numen omni modo, omni tempore ipse cole :* quando in Curia *pietatis* versavit *consilia:* in foro DEI caussam egit: in templis Numinis venerationem imperavit: in aula conscientiæ jura stabilivit: in acie pro reli-

religione pugnavit. Revovavit in facta, quod inter Hebræorum numerabatur præcepta: *Postquam autem sederit in solio regni sui, describet sibi Deuteronomium legis hujus, & habebit secum, legetque illud omnibus diebus vitæ suæ*: quando ex Romani Oratoris testimonio; *Nunquam erat vacuum invenire sacrarum Scripturarum lectione Leopoldum*. Nihil exemplorum per oculos admittebat, quod altiùs animo non imprimeret: nihil heroicorum facinorum legebat, quod non sibi agendorum regulam statueret. Ad Divinæ legis normam regebat affectus: ad exemplorum ideam suos mores componebat. At cùm in seipso exprimeret plures, nihil mentiebatur. Qui omnium virtutes induerat, omnium personas sustinebat in sua. Hoc Protheo aut Vertumno felicior, quòd cùm alienam exhiberet personam, semper unus ipse agnosceretur: cùm suam ostenderet, semper alij multi viderentur. Nunquam finxit, nisi se DEO dignum. Ut sincera in *Consilijs* veritas appareret, nudam voluit. Principum præstigias adulationem & mendaciū non admisit. Secum loqui voluit Aulicos, non cum sua fortuna. Ut demeret Austriæ suæ crimina, sui laudatores exclusit: Non ignarus, qui omnia in Principe laudant, ad detestanda pertrahere. Ut auderent omnes vera loqui, audire non detrectavit à singulis veritatem. Fastidiens sinceritatem Imperator, linguam eripit veritati. Oculum se intellexit *Leopoldus*: palpari non sustinuit: non ignarus, quamvis etiam tenui palpo oculos offendi. Ut libertas esset in aula, veritatis vincula discerpsit, timorem, & Philautiam. Ne timeretur, cùm Princeps dictus est, Pater esse voluit. Hinc nemo parentum orbitatem queri potuit,

Mar-

Marchione *Leopoldo*. Injuriam non patiebatur, nisi quam DEUS; non ulciscebatur, nisi DEI. Gladium in suorum tutelam Marchio accepit, non in vulnera. Purpuræ sanguinem non amavit: nisi quâ monebatur, proprium cruorem suorum saluti impendere. Fabulam Plotini, *Principum animas è sulphure creatas esse, facilesque accendi*, mendacij damnavit mitissimus *Leopoldus*. Sepelivit Titi memoriam, ipse *suorum amor & deliciæ* nominatus. Cùm se omnibus amabilem præstitisset, sustulit, quidquid timere veritas potuisset. Commodis suis hoc uno studuit; quod consuleret alienis: aliorum secundam fortunam, suam ratus felicitatem. Si influebat in sinum opulentia, non tenebatur captiva: quia usque ad cor apertissimus erat. Manus gelatas sortitum credidisses; adeò nihil, quod à fortunâ accipiebat, stringebat. Oceanum dixisses, in quem devolvuntur flumina, ut evolvantur. Hoc tamen Oceano liberaliorem agnosce; quòd iste nunquam se totum emittat in fluvios: *Leopoldus* per liberalitatis manum amplissimos suos census etiam ad teruncij defectum redegerit. Sic commoda suorum cùm promoveret, alteram veritatis catenam confregit Philautiam. Geminum, ut corporis, ita animi sortitus oculum; *Experientiam & Providentiam*, Jani fabulas extinxit *Veritate*. Illum in præterita, istum in futura tempora immittebat. A teneris ita studuit veteribus, ut nova exhiberet: ita revocavit retroacta, ut transmitteret in anteriora. Quæ documenta accepit, exempla reddidit. Aspexit vetera, ut futuris sæculis exhiberet ideam. Magisteria sumpsit à sacris Oraculis: Discipulis cùm legeret, Magister cùm ageret. Qui intellexerat *fidem sine operibus mortuam*

tuam esse, factis animavit. Quæ ab Avis quoque accepit exempla, nepotibus auctiora dereliquit. *Prudentia* cùm in futura intenderet oculum, delatam sibi Imperij dignitatem detrectavit. Gravissima illa visa est Septemvirorum conspiratio, quæ tantam ei molem imponebat. Injuriam credidisset, nisi propria merita excusassent: quibus non poterat, ut munus dari; sed oportebat, ut debitum. Excussit tamen molem; fortior Atlas dejiciendo orbem, quàm sustentando. Pervidit fallax bonum, quod blandâ fronte illudit. Animadvertit præcipitia, quæ trahit sublimitas. Cùm intelligeret veteres in navis speciem Coronas efformasse, didicit periculosum esse bonum Imperia & Coronas; quibus liberè decumani fluctus insultant. Cùm legisset Imperatores olim, non Coronis texisse, sed fascijs illigasse verticem, agnovit, quàm vinculata sit libertas, imperare. Hoc uno æstimandus maximi, quod minimi gloriam æstimârit. Infra cupiditatem habuit, quidquid potest hominem sui amore irritare. Infra æstimationem depressit; quod supra æstimationem magnorum judicia extulerunt. Vulgus in ea, quæ apparent, ruit; hinc præsentibus mergitur: Providus ea quæ latent, pervidet; & futura propius intuetur. *Munera* alia non novit, quàm quæ dedit. Beneficium se tunc accepisse ratus, quando contulit. Ut nullus mali sensus est, in corpore, qui non illicò pertingat ad caput; nulla in Austria fuit necessitas, quæ non lacesseret *Leopoldum*. Ut omnium tolleret indigentiam, se singulorũ fecit ærarium; tantò minùs clausum, quantò pectoris erat magis aperti. Exhaustum aliquando stupuit orbis ærarium, cùm etiam nummo indigeret. Miserum credidisses *Leopoldum*, qui

qui id demum curavit, ut, quod libenter fecit, diutius facere non posset: qui cùm viveret benefaciendo, beneficiorum alveum liberalitate exsiccâvit. Sed fœcundæ sunt egentium manus. Quidquid acceperint, cum fœnore reponunt. Cùm egeret teruncio *Leopoldus*, talenta accepit: non ut sepulchrum, in quo mortua laterent; sed ut canalis, ex quo in communem utilitatem diffluerent. Adeò fluxa bona non amavit, nisi ut fluerent. Dempsit Omnipotentis nomen Cimoni, quod ab Atheniensibus impetrarat, quod vineis suis sepes sustulerit; quando ipse nec auro, nec animo, nec sanguini sepes posuit. Assecutus est eam felicitatem, ut in suas fortunas neque furto, neque rapinæ quidquam liceret; qui omnes communes fecit publicæ necessitati. Cùm omnibus daret, omnes non reddendi necessitate non obstrinxit. DEUM æmulatus, *qui omnibus dat affluenter*, à nemine recipit; omnes sui fecit debitores: evicitque, ut quidquid rependere molirentur, jam non munus esset, sed debitum. Ex quibus universim illud mecum conficite Auditores, qui dictatos à vobis *Consilij* aphorismos inconcussos agnoscitis; Sanctissimum Marchionem ad exactam *Consilij* normam Rempub. Austriæ gubernasse. Sed quia alterũ quoque Regnorum Firmamentũ *Industriam*, desideratis: ita vobiscum statuite; industriæ partes esse, ad ea subjectum populum pervincere, quæ ad Reip. faciunt conjunctam cum perennitate felicitatem. Ea verò, quantũ animo complector, sunt omnino duo, Sanctissimæ leges, & Exemplũ Imperantis. Lex obsequij anima est, vita Majestatis, flagellũ vitijs: nervus rationi, calcar virtuti: ex necessitate nata, servit felicitati, Rerumpub. splendor & tranquillitas in legum

legum basi stabilitur. Exemplum Regis impulsus est legis: Boni Principis vita est populo vivendi norma, præscriptio probitatis. Illuc concurrit subditorum industria & conatus, quo præcesserint imperantium facta & exempla. Hæc est felicissima Principum conditio: ut quidquid faciunt, præcipere videantur. Quod non valent imperijs, extorquent exemplis. Quæ si vestro etiam judicio comprobatis legite ex Romano Oratore, *Sanctissimis Leopoldi legibus universam Austriam compositam*, confirmatam. Nam *Leopoldus* enervavit impietatem, stabilivit Religionem: erexit Justitiam, oppressit iniquitatem: reposuit urbibus humanitatem, ejecit sævitiam: jurgia extinxit, accendit concordiam: incendia libidinum sopivit, castissimi amoris excitavit: licentiam accidit vitijs, virtutem donavit libertate. Miratus ipse est, quadraginta annis quievisse in pace Austriam: quam concussam, ac penè prostratam bellis acceperat. Sed sanctissimis id legibus tribuamus: quibus Marti ferrum extorsit: Agricolis dedit; Bellonæ serpentes eripuit; Mercurij caduceo affixit. Ut fundata legibus firmiùs stabiliretur tranquillitas, *Fœderis Arca* in Neoburgico colle Templum & Aram extruxit: ad quam litatur usque hodie *Principi Pacis*: ad quam sanctissimi *Marchionis* ossa *requiescunt in pace*. Ut Sacerdotes adessent Aræ, *fundavit Monasteria, ut essent, qui die ac nocte Pacem nostram implorarent*. S. Cruci in vicina valle honores, cùm restituit *Signum Pacis* erexit. Ab Innocentio II. *Peculiaris B. Petri Filius* dictus est: quia Petra fuit, vel ad quam alliderentur fluctus, quos vicina Stephani rabies concitârat: vel quâ fundaretur murus Religionis tran-

quillitati

quilitati protegendæ ; in quem eniti non posset Pannonica barbaries : vel quæ percussa exsiliret in ignes, quibus crudelitatis exercitus absumeretur. Ab Innocentio VIII. *Robustissimus Lapis è funda Ecclesiæ vibratus* appellari meruit : vel quia per utramque Fortunam gyratus accepit impetum: vel quia insultantem Austriæ prosperitati fastuosum Pannoniç Goliathum Stephanum interemit. *Ut Rosa placidusve Sol*, ingenioso Poëtæ anagrammate dictus est *Leopoldus Austriacus:* quia ut Rosis spinas, sic severitatem Clementiæ ; ut luci radium, sic legibus adjunxit executionem. Hanc verò non tam armis expressit, quàm vita; non tam imperio, quàm exemplo. Quò impellere volebat suos, ipse prævit. Ut suos omnes censeret Themistocles, unus fuit omnibus Miltiades. Nemo non effunditur in agrorum culturam, ubi Rex Tumquin aratro terram prosulcat. Nemo extra Tyri fossas otiatur, ubi Alexander Macedo ijs implendis fasces adportat. Nemo inglorium æstimat, arenam ædificio suggerere; ubi Constantinus Imperator duodecim terræ cophinos & saxa suppeditat. Id omnes agunt non inviti, quod agendum vita Principis ostendit. Nemo legum virginitatem violat, cùm Reges eam exemplo propugnant Vivo *Leopoldo* vixit in Austria Pietas, Castimonia, Sanctitas : quia ipse ut vixit, ita dictus est *Pius, Castus, Sanctus Leopoldus*. Amabilis cæteroquin omnium *Pater*, exemplo omnibus intulit violentiam. Violentissimum enim jubendi genus est, exemplo imperare. Ut imperaret pluribus, secuturis Austriacis Imperatoribus præluxit : quos ut faceret hæredes Austriæ, fecit virtutum *Regnavit à ligno Crucis* Rudolphus Primus; didicit à Pietate

Leo-

Leopoldi Conflixit armatus Cruce Albertus Triumphator ? Symbolum desumpsit à labaris *Leopoldi. Victoriam & Pacem* duos statuit Imperij pedes Fridericus Pulcher, quibus adhuc stat Austria Dominatrix, & vincere didicit, & quiescere à *Leopoldo. Fide & Constantia* stetit Albertus Secundus, Honorificus; sed quâ præluxit *Leopoldus. Liber & gladius* Friderici Pacifici, sunt Consilium & Industria *Leopoldi*: illis per quinquaginta annos pacem servavit; *Leopoldi* tranquillitatem suâ auxit. *Maximilianus per tot discrimina rerum* intrepidus magnanimitatem *Leopoldi* expressit. Æstus Caroli Quinti à *Leopoldo* est accensus: Religio Ferdinandi Primi, Justi, à *Leopoldo* descripta: Prudentia Maximiliani Secundi, per *Leopoldum* signata: Constantia Rudolphi Secundi à *Leopoldo* firmata, Affabilitas Matthiæ ex *Leopoldo* effigiata: Clementia Ferdinandi Secundi, *Iustitia & Pietas* Tertij, Amabilitas Quarti, à *Leopoldo* accepta: *Leopoldi* Primi Hungariæ Regis ut nomen, ita *Consilium & Industria* à *Leopoldo* derivata. Cùm ergo unum vides *Leopoldum* Austriæ Marchionem, Austriacos Imperatores omnes cogita: cùm omnes intueris, unum cogita *D. Leopoldum, Consilio & Industria* fundatam Austriæ gloriam, *Consilio & Industriâ* per tot Archiduces, Reges, & Cæsares derivatam, *Consilio & Industriâ* perennaturam augurare. Eâdem semitâ ad eundem terminum est iter; excipiuntur eodem portu, qui eâdem navi feruntur: non exerrant ab eodẽ scopo, qui eâdem lineâ progrediuntur. Quando memoriæ occurrit *Consilium & Industria* Divi Marchionis *Leopoldi*, superstitem agnominem gratulare, *Serenissimum* *Leopoldum*, quem Austria Archiducem

chiducem colit, Hungaria Regem veneratur, Bohemia expectat, Imperium inter vota: quid hæres lingua? Imperium inter vota: (Etiam mutus intelligor.) Qui hæreditate successit in bonis fortunæ, anteoccupavit successionem Virtutis. Cujus nomen accepit, involavit in facta. Ut, si felicem prædicatis Austriam *Consilio & Industria* Divi *Leopoldi*; felicissimam sperare Austriam, Ungariam, Bohemiam, Orbem universum debeatis *Consilio & Industria* Serenissimi Regis *Leopoldi*.

Dicta Viennæ Austriæ in Basilica S. Stephani nomine Austriacæ nationis ad Academicos.

ORATIO XV.

DE S. LEOPOLDO

Austriæ Marchione.

A*Ntecedentium Heroum facinora sunt ponè sequentium vel institutio, vel censura*. Ut artis opera metimur ad regulam, sic Principum vitam ad Antecessorum gloriam expendimus. *Est enim* (communi omnium opinione) *violenta quædam obligatio, ut eum sequantur virtute, cui succedunt dignitate. At magnæ virtutis magni sunt passus: ingentis ac gravis animi profunda vestigia.* In horum orbita dum currunt posteri, vel assequuntur commendationem; vel incurrunt vituperium. Ubi ingentes præeuntium passus fatigant sequentes, illorum quidem adjiciunt laudibus; at horum castigant inertiam. Ubi succedentis pares sunt passus, & celeritate pariter ac magnitudine exæquant vestigia,

suæ plurimum lucratur gloriæ, nihil derogat præeuntis. Nam & isti sua servit prærogativa, quod cæteris sit exemplar: & ille suam probat magnitudinem alterius mensurâ. Necesse enim est non esse exiguum, quod magno adæquatur. Non habet Austria, quod de suis queratur Principibus: qui nec priorum infamant vestigia currendi lentitudine, nec suæ gloriæ per illorum magnitudinem patiuntur derogari. Quos dignitate sequuntur & annis, assequuntur virtute & gloria; cujus prius adeunt hæreditatem, quàm Provinciarum. Ut felix ager, culturam præveniunt, & ætatis florem maturitate fructuum antevertunt. Bonæ indoles enim ipsam Majorum gloriam trahunt in naturam. *Sed habent tamen hanc nostri Principes obligationem, quam ectypa ad Prototypa: ut arcta non distendant, distenta non arctent; producta non brevient, brevia non producant: sic oculos, sic ora ferant, sic brachia fingant. Sed hoc quoque habent felicitatis, quod Majorum industriâ aliquid posterorum arti relinquat.* Non quod informem delineaverint imaginem, sed quod illa ornatûs accessum patiatur. Ut quantum, quod æmulentur, habeant Austriaci, quantum addiderint per tot sæcula ornamenti, intelligatis, *Leopoldum* exhibeo, *Leopoldi Pulchri* pulchrior filius parentis elogium superavit. Quod tulit in vultu, expressit in moribus, traduxit in animum. Formam sortitus, quam ipsæ Gratiæ amarent, prodidit animum supra humanum. *Ædes excultæ indicium faciunt hospitis non ignobilis. Species corporis est quoddam mentis simulachrum. Plerumque elucet in fronte quod latet in animo. Tenuis favilla facilè obtegitur cinere: at grandior ignes coer-*

ceri

mpatiens, ex animo in vultum, velut in thea-ı prosilit. Vt summa est deformitas, cùm à for- vultu degenerat animus; ita suprema est pul- udo, cum venustati frontis respondet majestas ıi. Turpe mendacium est, candor in genis, umbra ctore, frons explicata, animus involutus. Spe- ıâ usus ut stimulo, excoluit Virtutem: ut illi- everentes omniũ amores traxit. Quorum ve- at in oculos illabebatur in animos. Sanctitati :uræ vitæ prælusit capilli candor, cum quo, t innocentiæ tessera, prodivit in lucem, jam immortalitatis Candidatus. Credidisses enim :os candorum lucis emicare, quo probaret, se esse filium tenebrarum. Sed fortè canitiem um notavit natura, quos in adolescentia matu- ɔrodidit: ut, si annos non numeres, puerum e neges. Vix luci datus est, illicò parentis aula ussu terræ trepidavit; jam tunc hoc sanctitatis ligium sacro horrore venerata. Cùm præsenti- nnocentiam *Leopoldi*, tentavit suâ trepidatio- ɔerversos ab aula ımores excutere. *Sæpè mag- ulæ sunt magna vitiorum receptacula; & ad centis Principis obsequia incurrunt, & sese in- ant grandia mundi propudia. Quæ etsi sanctior ıceps proscribat non semel, sub mendace probita- arva revertuntur.* Aula sancta, *rarum miracu- !* ut frequentia miraculum demat, nascantur *poldi*. Disciplinæ jam capax ætas suâ bonitate cationis necessitatem antevertit. Moras enim orum urgebat celeritas bonæ indolis. *Vt oriens prius editis montibus se insinuat, seriùs in val- descendit, sic excelsæ Heroum animæ jam lu- tenent; cùm aliæ suis adhuc tenebris invol-*

 vuntur.

vuntur. Clari sanguinis à Majoribus ducti cùm meminisset, ne esset obscurus Nepos, parem illi ubique animum exhibebat. Naturæ beneficio sic ornatus, ut nihil egeret industriȩ; matris industriam sic admisit, quasi nihil duxisset à natura. Sub illius imperijs tyro magisteria edidit probitatis. Cùm obsequentissimus esset, non amavit imperia, antevertere cupidus Imperantem. *Servilis genij* ratus *esse, nihil agere, nisi jussum. Pulchri* Parentis servaturus nomen, id cavit semper, ut maculas non admitteret: quod non ignoraret, *Pulchritudinis encomio vel nævum officere.* Cùm Patris nomen moribus explevisset, *Pij* appellationem sibi adjecturus, paterno agnomini Maternam virtutem conjunxit: ut cùm à neutro degeneraret, utrumque exprimeret. Utriusque insignia prætendit, castigatissimos mores; quibus senilis ætatis fructum non promisit adolescens, sed, acerbâ quantumvis ætate, exhibuit maturum. *Lenta virtutis est, diuturnam sui expectationem facere: incitatæ indoles ab ortu currunt: quæ diu dubitat, rarò emicat, quæ annos expectat, in herba emarcescet. Properat vivere, qui meritis ætatem distinguit, non annis.* Splendori sanguinis, ac virtutis adjecit & Sapientiæ. Cùm scire quæreret, facere addidicit. In honestarum artium indagatione, etiam utiles invenit. Dignus olim evasurus imperio, eam excoluit partem, quâ benè imperaret. *Majus Africano monstrum* ratus *Principem ignorantem. Qui enim caput est multorum, hac stringitur obligatione, ut multa sciat. Hæc est digna Nobili Iuventute occupatio, caput sapientiâ excolere: ut qui vel Provincias gubernaturi sunt potestate, vel Principum solijs allaturi consilia;*

consilia, non adferant in Curias inane caput: cui emergens crista sit tumulus emortuæ sapientiæ. Bonarum artium cùm esset avidissimus, malarum factus est incapax: cùm ad illas tenderet strenuè, ad harum pervenit ignorantiam. Dubites, utro majorem laudem meruerit; an quod plurima didicerit, an quod plurima ignoraverit. Cùm Palladis oleæ jurasset, inermem Palladem non amavit. Eodem illius oleo ad Athletica usus certamina, nec oleum, nec operam perdidit. *Rarus Princeps hostem non habet, ut armis non egeat. Privatus adolescens artes tractet, Princeps etiam arma. Bellum, qui non præluditur, occupat inexpertum. Discendum est in otio, quod agendum est in bello. Aliàs armis inexercitatus Princeps parum fida est Reipublicæ salus.* Cùm nobili hoc Principe respiraret Patria, exspiravit Pater, *Leopoldus pulcher.* Quia digniorem videbat Austriæ gubernaculis filium, ne inferiore suis meritis loco detineretur virtus, suo cessit è solio, & vitâ; voluit enim hunc canis suis honorem addi, quod non moreretur injustus: & cùm non potuerit meritum filij solvere, nisi solveret jura naturæ; huic paratum pretium deposuit. Hoc verò suæ felicitati accessurum intellexit, quod opportunissimum tempus supremæ quieti nancisceretur; *ut requiesceret in pace*, quam filius mox Austriæ pariturus esset. Non sensit Austria decedentis jacturam; cum acciperet meliorem. *Sic amara facilè digerimus sequentis suavitatis amore.* Auspicaturus dominatum in alios prius in seipsum exercuit. *Quod turpissimum crederet, mancipium sui alijs imperare. Quas enim leges Provincijs dabit, qui nullas patitur?* pugnam ergo suæ

indixit Juventuti; cujus solùm voluit innocentiam, non affectus. Licentiam tamen cùm reprimeret, non amisit libertatem. *Nemo enim magis liber est, quàm cui intra honesti limites agendi potestas constringitur. Felix necessitas, ubi tantum id licet, quod licet!* seipso intra amplissimum virtutis circum coarctato, suos ijsdem finibus circumscribere est aggressus. Ut bonus esset Princeps, cœpit esse Medicus: ut sanis imperaret, morbos sustulit. Quos etsi momento sublatos vellet, morâ est usus. Quòd sciret *Medicum impatientem esse pejorem morbo: præfestinatâ medicinâ exacerbari malum: lentæ quandoque obsequendum infirmitati, ut ad medelæ obedientiam trahatur.* Ne dissoluti mores Reipublicæ compagem solverent, sanctioribus legibus constrinxit DEUM tamen æmulatus, ducere maluit, quàm trahere. *Vel quod ingenuæ mentes violentiam non tolerent; vel quòd periculosa sit vis in reluctantes animos exercita. Emollienda sunt duriora corpora, ut flectas: quibus si inferas vim, in plures partes dissiliunt.* Ne ergo cogeret pœnis, duxit exemplo. *Hoc habet felicissimum excelsa conditio Principum, quòd eorum acta agendorum sint regulæ; & quæ procedunt ipsi longum semper comitatum trahant.* Cùm ita regeret, ut imperare nihil videretur; quæ sperare vix poterat, impetravit. Nova facies Austriæ reddita, ostendit, *Etiam juvenem Principem feliciter gubernare posse, cui sanctitatis opinio fecit auctoritatem. At gubernationis principia rara sunt sine ferro.* Cùm rosæ purpura prodit plerumque & spina. Ut ergo non vili æmulo confligeret, *Fulmen* nactus est hostem. Hic quam ferebat in nomine coronam, dilatare imperio moliebatur in Austriam.

itm. Fidem quietis juraverat Leopoldo Pulchro:
rvavit, dum majus à rupta commodum effulge-
t. *Suspectam Principi semper esse decet limitaneo-
m fidem : suis intenti lucris, invigilant vicino-
m damnis. Vt fortuna, vitrea est eorum fides: &
erumque hæc frangitur, dum illa constat.* Par no-
ini ferocia sæviebat in Austriam : sed nesciebat se
ssum fulmen, aut fatuum ignem esse, dum in
eopoldum incurrit. Hic ut securiùs vinceret, pro-
dit ne vinceretur. Duobus Ducibus universum
ommisit exercitum, Bonæ causæ, & disciplinæ :
uic imperavit, alteri obtemperavit. *Non est robur
d vincendum fortius, Bonâ causâ : miles, quem
ucit in campum, non ad dubiam pugnam, sed ad
rtam victoriam.* Disciplinam in milite ut obtine-
et, imperavit probitatem : *quod non feliciter pug-
et pro bona causa miles improbus. Deest plerum-
ue sceleri fortuna, & dissoluti exercitûs mores non
gant trophæa.* Ne ulli suorum deesset animus,
singulis infudit *Leopoldus*. Exercitûs fortunam
a virtute æstimans, cum hoste ita feliciter con-
essus est; ut ipsum fulmen terruerit. Cujus cùm
umerum mortibus censeret, docuit, ingentem vir-
tem ingenti numero prævalere. Trepidârunt
licò sub Duce fulmine ignes fatui; & ferociæ
trepitu ad pedes translato, quam sperare non po-
erant suis à manibus vitam, à pedibus mendicâ-
unt. Contentus esse poterat una strage confu-
us hostis. *Sed hoc habet insania febris, à sparso
anguine vehementiùs incalescit.* Refecta acie,
ed laceris animis redit in campum: at herbam non
eperit, quam reportaret : quòd omnem vel fugæ
rdor decoxerit, vel jam præcerpserit *Leopoldus*.;

cui una victoria secundæ pignus porrexerat. Cum desperato agendum cautiùs ratus Marchio, ut vires quiescerent, pugnavit ingenio. *Non enim solo impetu & calore sospitatur fortuna belli, sed consilio, & Industriâ. Uti nec lenæ pugnæ est secura victoria, ita nec calidæ temeritatis est fœlix eventus. Ab ingenio quandoque petitæ suppetiæ plùs virium habent, quàm numerosus exercitus.* Circumventum hostem ea parte aggreditur, quâ se tutum rebatur. Non cæde actum est, sed strage, Pars prius ferrum visceribus hausit, quàm manu corriperet: Pars suo sanguine Leittam auxit, ut vadari non posset: in æstu fugæ ferri frigore obriguerunt permulti. Demùm succensa castra festivis victoriæ ignibus luserunt. Stephanus cùm à tergo reliquisset victoriam, à fronte salutavit infamiam: ut vel invitus eam cernere cogeretur, eædem illi luxerunt flammæ, quæ hostilem insaniam egerunt in cineres. Cûm assertâ patriâ patriæ pater acclamaretur, sensit Austriæ non esse matrem. Illa tamen matris defectum non advertebat, cujus omnes affectus à *Leopoldo* experiebatur. Ut diffamatam à sanctitata aulam redderet sanctiorem, Agnetem duxit, Cæsarum Filiam, sororem, neptim, & inde aviam. Quia utrique virtus conciliabat amores, nec illa aliam ducere, nec ista alteri nubere debuit. *Malè ducitur uxor, cui amorem asserunt opes, & Majorum ceræ. Nulla est inops, nulla obscura, quam & locupletant virtutes, & illustrat innocentia. Quæ tamen utrasque conjungit, mirandum est. Nam nihil propè rarius est, quàm magna fortuna cum integra innocentia.* Omninò par conjugum, quos genus & genius, virtus & innocentia pares fecit. Suscepti è conju-

gio

gio liberi auxerunt familiam numero, numerum gloriâ, nec degeneres esse poterant, nisi maternum ac revomerent, cum quo ipsam virtutem suxerant. Itcumque *verum sit, patrimonium virtutis citò decoqui*; Per hos tamen ultra tertium hæredem ransivit. Filij gubernârunt Austriam, cumulârunt titulos, rexerunt Cœnobia, honestaverunt Insulas, Marchiones, Duces, Prælati, Episcopi, Archiepiscopi. Filiæ nuptui datæ fœdere & affinitate iunxerunt *Leopoldum* Marchionibus Principibus, Ducibus, & Regibus. Alias proles avara bonorum æternitas in flore præcerpsit; Quòd non egeret Austria tot exemplis, unũ *Leopoldi* & *Agnetis* nunquam satis expressura. An bene alteri conjungi cum altero convenerit semper, omen ne acceperis à nomine Agnæ & Leonis. Quanquam & si hoc placet, non è sylvis Leonem accipe, sed è cœlo. Nam qui illic à Joanne visus est Leo, Agnus fuit. Quantus ergò mutuus utriusque amor fuerit, hinc collige, alter ab altero conjux didicit etiam in hac vita *Agnum sequi, quocunque ibat*. Tum verò ut Rempublicam feliciter gereret, privatam ordinavit. Singularum virtutum servus, omnium Dominus, cùm singulis obsequeretur, omnes habuit ad arbitrium. Aliàs nulli subjectus, virtutum etiam mancipium esse voluit. Quod crederet, *sine hac servitute nullum Principem esse liberum*. Cùm pacem peperisset Austriæ, reperit tamen hostem, quem opprimeret, seipsum. In hunc desævijt acriùs, ut lenitatem servaret alijs. Cùm amaret omnes, uni sibi fuit infensus, animum nactus propè divinum, ut contumacem premebat. Leges, quas laturus erat alijs, priùs sibi ipsi dixit: *quod nullus facilè reverentiam legibus neget*;

 quando

quando eas legislator colit. Omnibus jam præluсebat, sibi tamen uni videbatur obscurus. Dignitatis sedem humilem ratus, nisi virtutibus attolleret, cùm ad infimos se demisit, supra maximos eminuit. *O quale monstrum est, Princeps felix, & non elatus! à magna enim fortuna non corrumpi, nec Herculi contigit. Vini naturam habet: Nisi usu temperetur, dementat. Indomitus equus est: Nisi fræno regatur, in præcipitia rapit. Vt plurimis sua felicitas fuerit infelicitatis auctoramentum.* Si licèt deprimeret, animo tamen efferebatur: sed ad cœlum. Ita agebat Principem, ut Sacerdotem crederes: non qui Horas DEO diceret, sed momenta dicaret. Seipsum secum deferens semper habebat aram & sacrificium. Orantis violentiam senserunt Cœlites, quos non semel protraxit in terras. Hos sæpiùs expertus pro suis excubitores, liberiùs ipse DEO vigilabat. *Non dedecet Principem cœli cura: Primum bene regendi elementum est Principis pietas; cui quietem non concedit, nisi in centro.* Cœlum incolere solitus, corpus tamen in terra relinquebat; quod sæpiùs, plumas exosus, humi reclinabat. Terræ scilicet ne oblivisceretur, eam capiti applicabat. Nec fuit durus somnus in sinu matris. Hic etiam novus Jacob deprehensus in *via*, ad portam cœli dormivit. Somni cæteroquin parcissimus. Vigilias suas aliorum quieti obligaverat, laboribus suis gaudens aliorum lassitudinem recreare. Sic totus alienis commodis intentus, ut sui oblitum crederes; sic totus intra seipsum recedebat, ut extra se aliud nihil cogitare existimares. Devinctus omnibus, nullius debitor; Abstractus à singulis, effusus in omnes, cum

um imperandi poteſtate, ſerviendi neceſſitatem ibi impoſuit. In ſumma libertate ſui captivus, in elicitate vitæ penè ſui veſpillo, inter baſilicas dapes ſe ad Tantali pœnas condemnavit. Delicias ex nimo æſtimans ad ſenſum non admiſit: divitias ex nimi ærario metiens, cæteras poſſeſſiones fecit genis tributarias. *Sed nec infeliciter alios gubernat, qui ſibi ipſi & parere didicit, & imperare; ipſe ibi Conſul, & civis, ipſe Rex, & colonus.* Cum mprobis nihil habuit commune *Leopoldus*, niſi quòd, cùm eſſet optimus, omnes voluerit ſe meliores; cùm omnes effeciſſet optimos, ſe omnibus prætiterit meliorem. Bonæ gubernationis primam regulam poſuit, Religionem. Velut enim à prima phæra rapiuntur cæteræ, *à religione partes omnes elicitatis impelluntur.* Ut *DEUM* haberet ſuis ſecum in terris habitantem, magnificis ſuis ſumptibus ædes alias ædificavit, alias reſtauravit, alias dotavit. Ne ſine ſplendore ſuis in ædibus verſaretur *DEUS*, ei famulos, quales decebat, pios ac Religioſos addixit. Ut in populum Divinus cultus propagaretur, ſeminaria ſanctitatis magiſtris fundavit. Cùm nullis læderetur injurijs, Divinas ſentiebat cerbiſſimè. His ſolùm iraſci potuit; cæteris neque ungi. Cùm uno bello quadraginta annorum pacem ſtabiliviſſet, peccantes ſervare ſollicitus, delicta inſectabatur. Nemo, eo Principe, periit; niſi qui melior eſſe noluit; ut caſus labentium eſſet antium eruditio. Hoc ſolo nomine juſtitiam armatam coluit; quòd noxijs eſſet metui, læſis præſidio. *Illam enim Principes decere credidit juſtiam, quæ plures terrore corrigeret, quàm pœnis bſumeret; quæque, ne ferro cogeretur recidere*

robustam audaciam, adhuc teneram minis curvaret. Eadem enim est justi Principis commendatio, quæ Medici; morbos & vitia tollere, homines servare. In manu Principis laus potior est ferri hebetis, quàm acuti. Ut sui non deessent incorrupti Justitiæ Sacerdotes, Magistratus tales esse voluit, quos criminosi non reperirent sui similes: qui æquitatem instruerent monitis, & docerent exemplis. *Efficax enim recti persuasio est, innocentia Iudicis. Nam fiunt excessus formidini, cùm sciuntur Magistratus inculpati: & veretur quisque scelus, cujus non videt complicem in suggestu.* Quibus judicij libram concessit, ab ijs voluit merita ponderari, non munera. *Gladius contemnitur, ubi aurum suspicitur. Inermis redditur Iudex, cùm à cupiditate constringitur.* Cunctatores tamen voluit, cum judicarent de salute: propterea quòd *alia sententia corrigi potest: quæ transacta est de vita, se mutari non patitur.* Sed & alienis delictis usus est ad gloriam, dum materiam clementiæ statuit delinquentium reatus, & pœnarum asperitatem suâ lenitate mollivit. Ferias quoque indixit gladio, cum provenit sine cruore correctio: commotus placidè, minatus otiosè, iratus clementer. Cùm sævitiam odisset, violentiam tamen exercuit, quâ suorum affectus rapuit, benignitate. Hæc in unum exercita mille animos lucratur. Ut crudelitas in unum multos armat ad odium, sic clementia in unum exhibita est augmentum amicorum. Cùm nemini nocere vellet, neminem odisse posset, effecit tamen, ut timeretur ab omnibus. *Est enim timor non crudelitas, sed majestatis progenies, quem comitatur reverentia, non tormentorum suspicio. Belluas iste, ille ingenuas mentes agit.*

Frustra

·ustra custodes cumulat Princeps, quem non tuen-r amores. Ingentes copiæ non satis muniunt, cui uniendo non sufficit paucorum præsidium. Vbi im communis omnium est amor, vel unus custo-iæ satis est: & omnis numerus parvus est, ubi est lium omnium. Amari, coli, diligi, inexpugnabile t munimentum. At non potuit non amari, qui ureis illiciis trahebat. Aurum nunquam passus st indurari, quin de manu flueret. Hoc uno fortu-am suam æstimabat, quòd posset benefacere; cui, t vellet, naturæ bonitas contulerat. Non audiebat itoici Romani legem: *sic egenti dandum esse, ut pse non egeas.* Nam postquam penè prodigè am-llissimas opes erogasset, auditus est aliquando in-;emuisse, quod egentium multitudine superatæ acultates, eum jam ad teruncij defectum redegis-ent. Non redegèrunt tamen ad egestatem. *Quia nunifica & liberalis manus, etiam nolens fœnera-ur: & beneficia sparsa, velut semen, redeunt au-ctiora.* At veluti Sol radios suos longissimè spar-git, *ita virtus, etiam cùm latere se putat, eminus conspicitur.* Doli alias incapax hunc dolum pati-tur; quòd cùm latissimè fulgeat, sibi uni sit obscu-ra. Sparsa est totâ Germaniâ *Leopoldi* fama; & qui sibi tam beatè, Austriæ tam feliciter impera-verat, visus est Principibus dignus, qui Germa-niæ imperaret. *Ita virtus in arcto exercita, suffra-gium sibi facit ad amplissimum campum.* Collide-bantur mutuis armis Henricus & Conradus, Pater & Filius, quasi necdum essent consanguinei, nisi per cædes & funera mutuum sanguinem confun-derent. Quam Patri abrogaverat Coronam Pon-tifex, filius sibi impotenter arrogabat. Neuter jam

 place-

placebat concussa Germaniæ; quia alter non poterat, alter non debebat. Ideò seu bellantium odio, seu bellorum fastidio, seu pacis & quietis amore, inter duos litigantes tertius rogabatur *Leopoldus.* Nunquam aliàs durus, hic etiam marmor stetit: non emollitus precibus, non advocatus splendore. Adeò suam amabat Austriam, ut illi soli imperare feliciùs duceret, quàm Germaniæ. Virtutem eximiam agnoscis, quæ rogari debuit, *Aliàs ad honorem nemo non est Mercurius. Præcipiti ambitu festinatur ad solia.* Virtutem supremam agnosce, quòd tot precibus non sit flexus. *Efficacissimæ aliàs sunt preces, cùm res ipsa blanditur.* Meritis se æstimavit *Leopoldus*, non præmiis. Coronam meruisse contentus, habere contempsit. Quod *gloriosiùs* crederet *honorem mereri, quàm obtinere. Nam mereri, non nisi optimis contigit, obtinere, etiam pessimis.* Sed auxit regnandi dignitatem, cùm regnare recusavit. *Nemo enim imperio dignior est, quàm qui noluit imperare.* Regnum sui ne perderet, alienum non admisit. Verùm quam hic rejecit Coronam, æternitati servavit. Reluctatus est semel, pro qua luctatus est semper. Noluit eam, ubi perdendi restabat periculum, ut ibi obtineret, ubi semel indepta, est immortalis. Adeptus est tandem XV. Novembris, cùm vitæ annos constante gloria deduxisset ad canos, quod Principum paucis contigit: *Rara enim felicitas pervenit ad senium.* Cùm in tranquillitate Austriam gubernasset annis XLII. quod paucioribus: *Regna enim, ut mare, momento vertuntur:* cùm sanctitatis nomen obtinuisset in terris, quod paucissimis: A diuturna enim felicitate non corrumpi, prodigium est. Illicò à Cœli

Clavi-

:lavigero admissum esse, ne dubites: erat enim nnocentij II. testimonio *Peculiaris B. Petri Fi-us.* Ne moras faceret pater, meruerat observan-a filij. Si licet à die omen accipere, DD. Felici & Secundo in Ecclesiæ fastis sacer, Felix & Secun-us fuit *Leopoldo.* Funestior visus est Austriæ sub-ucto Sole, cujus absentia non minus torquet, uàm præsentia recreat. Occumbentem stellam ix unus aliquis observaverit: cadentem Solem ota natura luget. *Boni Principis funus amanti opulo & immaturum est semper, & luctuosum. Nemo non optat immortalem, quem expertus est ptimum. Sed naturæ hoc vitium est, quod nullus it Princeps, qui aliquando suos non affligat, vel vivens, vel moriens. Naturæ quoque est beneficium, uod nullus sit Princeps, qui aliquando suos non ecreet, vel vivens, vel moriens.* In exitu res de-num aperitur: *malum tripudia comitantur ad tu-nulum; bonum lachrymæ.* Blandissimæ lenitatis ncomium promeritus hanc unam reliquit Austriæ cerbitatem *Leopoldus*, sui desiderium. Sed pro-idit tamen vulneri medicinam, ut quod ille exci-averat desiderium. Posterorum Principum *Consi-io & Industria* expleretur.

Et Vero Lætare, feLIX AVstrIa, Cæsare,
LEOPOLDI sVCCessore;
In qVo totVs tVVs LEOPOLDVs reponItVr,
ReLVXere per aCtas ætates LEOPOLDI
LaVDes, VIrtVtes aC gLorIæ;
In VarIIs AVstrIaCIs CæsarIbVs VarIæ;
TV soLVs LEOPOLDe oMnes
ConsILIo & InDVstrIâ eMIS.

In

In te Vno & soLo CoLLeCtæ sVnt VnIVersæ
VIrtVtes AVstrIaCæ,
QVas proDIga natVra In pLVres LIberaLIter
DIspersIt.
In te MartIs ferVIDIorIs CaLor,
In te Vno Læta paCIs aMœnIorIs DIes,
IngenIVM, CanDor, affabILItas, generosItas,
InDoLes, MaIestas, reLIgIo, æqVItas
prVDentIa, IntegrItas, CLeMentIa, gratIa,
MagnIfICentIa, LenItas, fortItVDo,
AnIMI CeLsItVDo, benIgnItas,
ConsILII, & InDVstrIæ noMen,
EtqVICqVID VIrtVtIs InprIVato, qVICqVID
poLItICæ gratIæ In prInCIpe esse soLet,
AVt ConVenIt;
In VnIVs LeopoLDI AVstrIaCI, aVgVstIqVe
Cæsarls peCtVs, DIVIte CopIa Con-
VenerVnt.
CLaVDaMVs:
In LeopoLDo Cæsare VIVat resVsCItata paX,
VIrtVs, gLorIa, gVbernatIonIs qVIes, pIetas,
IntegrItas, & reLIgIo sanCtI LeopoLDI.

Dicta Viennæ Austriæ in Basilica S. Stephani nomine Nationis Austriacæ ad Academicos.

ORA-

ORATIO XVI.

DE S. LADISLAO, UNGARIÆ REGE,

Cujus Funus currui impositum sponte sine vectore, Varadinum delatum est.

ILlud testabat unum, Academici Auditores, ut post substratum Apostolici Regni moderatrici Virgini sceptrum, post inclinatas ad obsequium galearum cristas, post lunatas acies Virgineo tholo anathema defixas, post erecta Cœlitibus æternatura trophæa, ipse tandem etiam in Libitinæ feretro æternum sese amoris monumentum figeret, qui sese ad Lucinæ incunabula Reginæ Virgini dedicaverat *Ladislaus*. Enimverò impositum currui, dicamnè cadaver? nullum Virtus post se relinquit superstes cadaver: dicamnè umbra? unus cœlestium ornamentorum splendor hanc odit pedissequam: dicamnè cineres? nullis potest amoris flamma tumulari cineribus; dicamnè exuviæ? Regum exuviæ regna sunt; quæ nullis possunt curribus contineri. Imposita tamen currui aliqua pars *Ladislai*, eo ipso die, quo Lampadophoria veteres Athenæ præparabant, nova amoris sancit Panathenæa, non ut ad profana Palladis delubra, sed ad Protectricis Ungariæ Virginis aram ardentem extincti corporis facem defigat: dum spontaneo, adeoque prodigioso motu incitatæ rotæ sacratissimâ onustæ sarcinâ; sine jugalium equorum adminiculo, sine directore deferuntur. Non eguit

scilicet

ſcilicet vectore jumento amoris curſor, cui vel famuli Cœlites alatos humeros ſubjecerunt, vel miſſi ſub juga Spiritus, nunc demum excuſſis frænis, quibus compreſſi vivo parebant *Ladiſlao*, velociſſimo impetu ad metam deportant. Quod ſi inſtructum funus oratione proſequi imperatis, ad buſtum uſque proſequamur: non quòd digna buſto oratio pompam illuſtrare præſumet: ſed ut cùm meæ dictionis argumentum ſit funus, ſuæ quoque à tumulo vitæ principia hauriat, cunas ſortiatur in ſandapila, in funere adoleſcat, Regum exuvijs adornetur, illuſtretur Herois umbrâ, ad buſtum ſeneſcat, cineribus demum, ubi magis conclamata fuerit, quàm declamata tumuletur. Quanquam ego cum immane plauſtrum Regio onuſtum funere conſpicio, non tam ſuperbientem Regum caſibus Libitinæ pompam, quàm poſt fulminatos hoſtes triumphantis *Ladiſlai* ſpeciem videor intueri, hoc uno ambitioſo Romanorum apparatu feliciorem, quòd, non edomitis ad fræna leonibus, non miſſis ſub juga Elephantis, non jugalibus cervis, non equis peregrino ex Orbe advocatis ſuſpenſo paſſu protrahatur; ſed ad Varadinenſe Capitolium (quod dudum ipſe Orbis Imperatrici Virgini dedicaverat) ſpontaneâ rotarum volubilitate rapiatur. Utinam mortua illa cum opimis animorum ſpolijs Epicuri diſciplina in hæc Ladiſlai tempora fuiſſet reſervata! didiciſſet profectò, vel in Rege emortuo, vitám beatam Virtutemque in rotam conſcendere potuiſſe, vel ut præcipiti impetu deturbaret Fortunam; vel ut ſecundiſſimo inceſſu raperetur ad gloriam. Utinam inani fremitu fulminantes Tyranni, in hanc æternam crudelitatis ſuæ exordia protraxiſ-

traxissent! didicissent minas quidem in Fortunæ rotam sibi concessas; Victoriam verò ac Triumphum uni Ladislao. Etenim unus ille est, qui è volubili rota in præcipitium egit Fortunam: sedentemne dicam cum Apelle, quæ nullo unquam aut loco aut ætate quievit? an stantem, quæ Rhamnusianâ rapacitate semper agitur? Unus ille est, qui admirabile dedit virtutis spectaculum; ut, quæ levitatis olim & inconstantiæ fuit imago, constantiæ nunc esset & virtutis simulachrum. Vocem olim audiveramus Saporis Persæ: quod si cum Fortuna ipsa duello manus conferre liceret, palmam esset reportaturus: res ipsa eventusque gloriosus servabatur Ladislao. Ut intelligeremus unum tandem existere potuisse Regem, quem non ut victimam saginasset ad supplicium, nec hostiam ad pœnam coronasset Fortuna. Non enim per humanæ felicitatis stadium decurrenti ad victorias Ladislao, vel regna moras injecêre, vel detinuerunt curæ, vel irretiverunt illecebræ, vel impedivit dignitas, vel avertit insolentia, vel potestas retardavit. Nihil magis odit obstacula, quàm incitatus ad gloriam cursus: qui cùm in metam anhelus intendit, impedimenta vel non sentit, vel frangit. Vidimus equidem verendam diadematis majestatem (quanquam natus ad libertatem Ladislaus suum illâ verticem nunquam voluit coronari) vidimus tamen etiam fronte prohibitam humili obsequio ancillantem coronam; ut quæ immortali coronâ dignissimum caput tegere non poterat, vel ejus saltem pedibus offenderetur: vel quem unum ad regni gubernacula divinitus datum esse intelligebat, in compedes transmutata æviterno nexu

regnis adſtringeret: vel ut doceret ſplendidas eſſe Regibus umbras, qui pro Sole ipſam habeant Virtutem. Vidimus auratas Regiæ dignitatis notas; ſed quas illuſtriores reddebat Virtus, quam opulentæ peregrini maris piſcationes. Adoravimus ſanctam illam Regnorum Dominam Virgam, ſed aureo ſuffuſam rubore: an quòd ea amaret ſanctiſſimi Regis manu tractari? an quòd puderet non majus in terris tantæ Virtutis præmium poſſe reperiri? Suſpeximus Regalem purpuram, ſed quam Cœlitum ante amor ſeipſo imbuerat, quàm cruore muricis tingeretur. Sed tum etiam bis tinctam vidimus, quando per medios hoſtium nimbos, non ſine vulnere ſibi viam fregit, ut raptæ in prædam Virgini in Virginitatis aſylum ſecurum reditum patefaceret. Quid quod vulnus ipſum immani oſcitans hiatu medica ſubito è cœlo manus reparavit? Crediderim, ne plus ſanctiſſimi ſanguinis effunderetur quàm ad tingendam purpuram deſiderabatur. Sed parum erat vel proprio ſanguine decorum, vel murice maculatum ſagum induiſſe, quod probis æquè ac improbis Fortuna ſine meritorum diſcrimine elargitur; niſi detractos etiam Othomannicæ Lunæ rubores ſuæ trabeæ adjungeret ornamentum. Etenim aſtra, quæ ſacrilegus Barbarorum furor è ſanctiſſimis delubris eripuerat; dicatæ Superis faces, quas incruentum lumen propudioſis cornibus Othomannica ſibi Luna vindicârat; eò (Numine ſic diſponente) rapta videri poterant, ut reparanda Ladiſlao ſervarentur. Vos ego montana Cherelem teſtor, quæ nec petroſo aditu, nec umbroſis luſtrorum ſcenis ita Chunos tutari potuiſtis, quin in uno Ladiſlao diſ-

ceretis

ceretis nihil tam invium esse, quod Virtus non calcaret secura; nihil tam obscurum, quod suo illustris splendore non irradiaret. Vos Lami Lapique appello, qui decolores Chunorum sanguine, procellas tingendæ Ladislao purpuræ suppeditâstis. Vos Save, Isterque fluviorum Principes testor; quoties oppositos riparum limites hostili adaucti sanguine perrupistis? quoties cruenta Lunæ cornua in ferrugineū livorem degenerare conspexistis, & inaudito hactenus spectaculo experti estis, etiam mediam Lunam deliquium pati potuisse? quoties experientiâ didicistis, non magicis solum carminibus (quod superstitiosâ credebat Antiquitas) sed & vi, & robore, Virtuteque *Ladislai* Lunam in fluvios potuisse deturbari? vos Bulgari & Græci, vos Macedones & Bessi, vos Thraces ego compello, quoties Luna vestras ad *Ladislai* pedes substravistis, & vel inviti nobilem estis testati *Ladislaum*, cujus calceis Lunas addebatis. Vos denique Orthodoxis infesta Turcarum agmina, quæ ad Aci nutum desolationes Urbium, oppidorum vastationes, regnorum incendia, templorum eversiones, Religionis excidium, sacrorum profanorumque miserandam confusionem vomebatis: vos ego compello, qui præcipiti vestrâ fugâ comprobastis, feliciùs ad defectum Lunæ conflixisse *Ladislaum*, quàm vel vos ad ejusdem incrementum destinaveritis, vel ad plenilunium Spartani consueverint præliari. Quid si & *Lunâ* ipsâ adjutrice Lunæ cornua debellârit *Ladislaus*? certè si inductum prælio diem memoria repetamus, cum suo decrevit & prælio & triumpho sanctissimus Rex, quem Orthodoxi Veteres, Christianę *Lunæ* Virgini

sacrum

sacrum esse voluerunt ; ut posthabito Bellonæ opitulantis præsidio, hanc unam amorum bellique Præsidem adoraret. Et mirabimur fusos fugatosque hostes, erepta spolia, victorias reportatas ? Non potuit non feliciter Lunam debellare, qui eâ belli præside nitebatur, cujus dudum pedibus sua cornua calcata Luna subjecit. Non potuit non hostilis exercitûs robur profligare; qui è *Turri fortitudinis* decertabat. Non potuit digestas in furorem acies non frangere, compositos in Ungariæ perniciem ordines non turbare, pro quo *Castrorum acies ordinata* confligebat. Quæ cum primum belli Præses agnita est à Ladislao, illico candidatus Angelorum exercitus Sanctissimo Regi visus est præliari. Emersit ex certamine gloriosa victoria, quod tam bonis avibus fuerat inchoatum. Verùm quorsum hæc à nobis disputantur, Auditores ? ut intelligamus scilicet debellatam Fortunam, fusam fugatamque inconstantiam, quando ipsa constantiæ Præses ac Dea Luna est profligata. Quare Cœlites emortuo victori triumphum decernunt, non quem jumenta (vel ex eo tarda, quod ferri pondera ad celeritatem eorum pedibus subjiciantur) sed quem ed omnium retro sæculorum invidiam vel alati Pegasi provehant, vel Angeli cervi : ut qui certissimum in aureis cornibus victoriæ Nuntium, Varadinum tulerunt ; iidem sint & pompæ victores, & triumphi stipatores. Quâ enim vi, quo impulsu, si non famulâ eorum ope, qui jam inde à primis incunabulis Ladislao adstiterunt, currum adeò incitari existimemus, ut non modò insequentium turmæ equitum, sed nec mea amplius dicendo assequipossèt oratio, nisi jam ad

tumu-

tumulum propè pervenissemus. Quanquam quis tumulus thesauro huic excipiendo potest dignus inveniri? Arca thesauris propria est, non sepulchrum: ut non immerito proinde Divorum Thesaurarius DEUS voluerit Varadiensem *Fæderis* aut *testamenti Arcam* condendo *Ladislao* destinare. Crediderim, ut omnis retro ventura posteritas habeat, unde sibi inexhaustam cœlestium divitiarum copiam depromat. Quanquam quid conditum tumulatumque prædicamus *Ladislaum?* cujus vivam effigiem superstes cineri Virtus ita expressit in Augustissimo Imperatore, eodemque Potentissimo Ungariæ Rege *Ferdinando III.* ut Historiam repetivisse *Ladislai*; sit vitam depinxisse *Ferdinandi*; gesta commemorasse *Ferdinandi*, sit ad vitam revocasse *Ladislaum*. Ut vel hinc viva spes affulgeat exterminandi aliquando Orientalis illius Planetæ; quando attrita primum à *D. Ladislao* cornua omninò decussabit Ferdinandus, Ortumque & Occasum admirationis suæ famâ copulabit: quando aut deturbata è rota Fortuna ipsa sui ultrix Sacratissimoque Imperatori supplex alas incidet; aut ad eum, ad quem sedere cœpit cum omnium gaudio Ferdinandus, defixa clavum, omnem sibi ereptam sentiet inconstantiam; quando denique nullæ aliæ mundo supererunt rotæ, quam geminæ illæ terrestris, cœlestisque globi Pietate & Justitiâ copulatæ triumphum provecturæ *Ferdinandi*.

Dicta Viennæ Austriæ in Basilica S. Stephani nomine Nationis Vngaricæ.

ORATIO XVII.

DE S. CATHARINA.

Sponsalia Christi & Catharinæ.

QUâ demùm id factum ratione, Senatus Academice, aut quo à vobis decretum est consilio, Philosophiæ Proceres, ut illustrandæ Parentis de vobis, deque Republica litteraria optimè meritæ Catharinæ laudes, uni mihi inter vos postremo, nuper amplissimis benevolentiæ vestræ brachiis in Philosophiæ amplexus assumpto; in hac sapientissimorum virorum panegyri decantandæ committerentur! Hasne gratias conjunctus vigili eum solicitudine Maternis Amor à sapientissimis filiis merebatur? Itane inflammatus ille in amantissimam Genitricem extinctus est ardor, ut eam nuperrimè inter vos adsciti, ac propè heri consilio vestro adauctorati Philosophi ore salutari jubeatis? siccinè, quæ plurium per annorum evolutiones amplissima in vos cumulavit beneficia, aut exciderunt memoriâ, aut eam tantummodò meruerunt commendationem, quæ à postremo inter vos Oratore abundè possit impendi? Quod si contemptus quoddam genus est, salutando Principi indisertum destinare Oratorem, impietatis est Tutelarem Matrem vestram Divam *Catharinam* ultimi subsellij viro commisisse. Sed teneo animum, consiliumque vestrum Philosophi. Animadverto, quò suavissimum illud vergat in me conspirantium suffragiorum imperium. Intelligo vos Indo-

rum

rum æmulari institurum, qui à recentissimè nato filio universorum (ut ipsi ajunt) matrem Lunam ex arbore salutandam decreverunt, dum me in hanc multorum ante hâc floridam eloquentiâ, nunc meâ solum inopiâ sterilescentem arborem exposuistis. Cerno vos ut sublimitate scientiæ, ita & consiliorum acrimoniâ imitari aquilas, dum natum recenter pullum, jubetis vivacissimum *Catharinæ* Solem contemplari. Agnosco vos Poëtæ legem, quam pectoribus vestris ipsi jam olim impressistis, meis etiam præcordys instillare:

Matrem cognoscere disce.

Pareo, quia imperatis: lubens, quia etiam grata sunt Matribus prima lallantium verba filiorum. Tu modo, dum ego te Matrem consaluto, me filium cognosce Catharina. Ut verò etiam Philosophorum Parentem agnoscat orbis Catharinam, ad primas conjugij faces revolvite cogitationem. Exarserat enimverò *speciosus præ filijs hominum* Sponsus, ut amantem redamaret Catharinam, à qua *in uno oculorum* fuerat sauciatus. Habet scilicet hoc animorum ille Magnes, ut in quem sese amoris pondere inclinârit, facillimâ ad se pertrahat Amoris reciprocatione. Est enim Amor fœcunda Amoris radix, quæ progerminat in amorem. Est Amor Amoris semen, adolescit ubi seritur. Est Amor Amoris messis, qualis Satori excidit, talis rursus in falcem cadit Messori. Est Amor Amoris fomes, qui ubi scintillam conceperit, adolescit in incendia. Est Amor Amoris pabulum, quod in mutuum transit nutrimentum. Est Amor Amoris Pharos: lustrat, vocat, regit redamantem. Est Amor Amoris pretium, emitur cùm expenditur. Est

Amor apud Orpheum secretissima clavis, quâ amanti pectus aperitur; ne miremur ad immortalis Numinis viscera penetrasse *Catharinam*. Est Amor Amoris Echo: ne miremur ex *Petra* Christo respondisse amore. Quæ ne tam ad lascivientis eloquentiæ pompam speciosa, quàm ad laudatæ virtutis commendationem vera esse intelligatis; agite asserti in integerrimam Sponsam castissimi amoris indices notas expostulate: non dabo frequentatas illas innocentissimè colludentis DEI ad *Catharinam* visitationes: non dabo Virginis cum Christo sanctissima cum voluptate colloquia: non dabo missas ultro citroque Angelicarum mentium legationes: non dabo cœlestis bellaria sigmatis deliciosos in missus columbæ ministerio apportata. Illam, illam precor Nuptialis serti connubialisque celebritatis illustrissimam noctem in memoriam revocate. Extinxerat Vesper diem, sed nullis *Catharinæ* pectus involvit tenebris Hesperugo. Ardebant flammeæ cœli faces, quarum ad invidiam exæstuabant vota *Catharinæ*. Prostratus somno jacebat orbis; erecta vigiles agitabat curas *Catharina*. Enimverò indormire nescit Amor, quem nulli infestant vapores, in quo soporiferas humorum nubes æstus & ardor omnes consumunt. Silebant mortalium curæ; una calidissima inter suspiria vocali silentio Numen fatigabat *Catharina*. Quid agis vocantûm facilis ad votum *DEUS*? Nondum amanti te sistis *Catharinæ*? Desiderati absentia boni nimium quantum cruciat animum inquietum. Torquebis DEUS, si præsentiam distuleris. Nihil morosum magis est Amori, quàm mora: mori est morari. Torquebis si distuleris; crudelitatis quod-

dam

dam genus est, amantem non audire. Torquebis si distuleris : dilata vota mentem dilaniant. Sed differebat credo Numen, dum calidissimis è *Catharinæ* suspiriis descensuro nubes conflaretur. Hac enimverò provectus, satellitio stipatus Angelico, castissimâ sociatus Genitrice, bipatentibus cœli valvis emissus prono in terras lapsu sese insinuavit. Ingreditur jam notum *Catharinæ* penetrale; castissimo consalutat amplexu, & conjugali sibi Dilectam Cajam disponsat annulo *Catharinam*; qui si nullam fortassis pallâ gemmam coërcebat, ambiebat tamen gemmam *Catharinam*, in qua una, ad Pyrrhææ opprobrium gemmæ, non fabuloso cum Appolline commentitium Musarum concilium, sed ipsa vivebat Sapientia. Ite nunc, Amoris testes investigate notas: unum mihi contractum DEI cum *Catharina* connubium efficacissimum charitatis est documentum, argumentum dilectionis. Ratum habeo matrimonium quod annuli donatione est subarrhatum. Ratum habebunt Areopagiticæ Justitiæ tribunalia, quod coram Angelis testibus est contractum. Ratum pronunciabunt Ecclesiasticæ æquitatis Consistoria, quod initum vident coram *summo sacerdote*. Nec Parentum quispiam assensum requisierit, qui ratione prævolâ jam tum vel legerit, vel audierit dicenda ex *Clementin. III. de puella nubili cap. Cum virum. de Regularibus : qualibet, dum habet arbitrium in electione propositi, Parentum sequi non cogitur Voluntatem.* Sed quid si stipatus omni Charitatum joco, lepôrum risu, ludentiumq; Venerum panegyri Imperatorum favor dolosæ Voluptatis aspiret irritamenta? quid si armata minis violentia, instructa tormentis crudelitas, horrenda

funeribus immanitas exaggerato suppliciorum examine tenerrimæ Virginis animum aggrediatur expugnandum? Hic denum & intaminati Amoris, & incorruptæ fidei ostentandæ amplissimū *Catharinæ* theatrum aperietur. Explicentur ergo mendaces in ore risus, in oculis Soles, in fronte serenitas, toto vultu deliciæ Gratiarum: misceantur verbis Favonij, gestibus Charites, donis Voluptas, felicitas universa promissis. Helenæ abstrahi poterunt, allici Proserpinæ, Cynthiæ avocari, Catharina nec moveri. Audivi ego illam, virili fastu fœminarum illicia proculcantem. Quid, inquiebat, Tyranne? speras Fortunæ objectu, divitiarum illicio, favorum larvâ, gratiarum mendacio, Voluptatum irritamento aut abducere à DEO animum, aut refigere à voto cogitationem, aut separare affectum ab amato, aut Amorem à Sponso avocare? Nescis scilicet, quod cum Poëtis pridem decantaverunt & pueri? nescis Amorem cæcum esse? non videt splendores opum, voluptatum scenas, theatra deliciarum. Nescis Amorem surdum esse? non audit bene sonantes odas promissorum. Nescis apud Agathonem, Amorem rem liquidissimā esse? non detinetur objectis opum acervis? Nescis Amorem alatum esse? insidiantis Fortunæ casses superevolat. Pueris mella objice, mulieribus rosas, imbellibus animis Voluptates. Catharina sub tuo melle fel, sub rosis spinas, sub voluptatis larva tormentorum examen intuetur. Apage, non sum mea; Annulum testor translati Juris testimonium. Ut datam infringam fidem, doces? fœdifragum est. Ut suffurer? Sacrilegium est. Quid ad hæc simulato tecta sub favore crudelitas? Intumescit animus, inhorrescit vultus, frons asperatur, concutitur pectus,
contre-

contremiſcunt artus, diſtenditur collum, totum corpus inquietâ fluctuatione agitatur. Sed, quæ demum in fulmina crudelitatis illa nubes reſolvetur? producta tabeſcentem inedia conficies? Neſcis Virtutem carere ſtomacho, ſtomachum aſſuetus ſaginare. Si neceſſarias Vitæ tuendæ epulas arcueris, aderit ſtatis per diem horis fideliſsimum columbæ miniſterium, quod Divina ſubmiſſas curâ cibariorum delicias ſuppeditabit. Siti faciliùs contabuiſſet, quam æſtuoſa Amoris febris corripuerat. Veſcum negabis panem? at non prohibebis, quò minùs felicibus auris *Navis inſtitoris Maria de longè portans panem* ad eam delabatur. Cibū vetabis? ſuo ſe Sponſo paſcet, qui ad omnis invidiam metamorphoſeos factus *eſt panis de cœlo deſcendens, quem qui manducat, vivit in æternùm.* Convivari prohibebis? Juge convivium abeſſe non poteſt, ubi ille degit, cujus *Caro verè eſt cibus, cujus Sanguis verè eſt potus.* Ad carcerum tenebras, ſpeluncæ noctes, antrorum Umbras condemnabis? ſed incaſſum: habet ſecum *mundi lucem*, habet *Solem Iuſtitiæ.* Quin ipſa ſibi lucem facit Virtus, adſcititij nihil indiga Solis, ipſa ſibi Sol eſt nullius conſcius umbræ: ut puros non habuiſſe oculos credam illum, quiſquis in Sole primus maculas conſpexit. Nihil agis immanis ferocia, nihil ferox immanitas. Ad rotas provoca, ſi earum motu moveri, earum revolutione ab Amore poſſit devolvi, *Catharina.* Sed rotantur cœli, ſtant fixæ ſtellæ: volvetur rota, immota ſtabit *Catharina.* Novum dabit urbi ſpectaculum, cùm inconſtantiæ Symbolum Fortunæ rotam. Virgo in rotæ volubilitate ſtabilis conſtantiæ efficiet ſimulachrum. Novum dabit Epi-

cureis prodigium, qui multis retro firmatam sæculis opinionem, non posse beatitatem in rotam conscendere, eo tandem die condemnabunt, quo tanta cum alacritate per laniaturos dentes ascendere videbunt *Catharinam.* Quæ res & fabulis demet miracula, & efficiet porro, ut sileantur Argivæ, taceantur Phocides, non commemorentur Lacenæ, sepeliantur Amazones: una post hominum memoriam Rotarum Victrix, in Amore stabilis, in promisso immota, in connubio fidelis nominetur *Catharina.* Agnoscitis in Amore Sponsalia, connubium in annulo, fidelitatem in tormentis? Nunc verò prolem tantæ Parenti supparem, indole & Virtute matrissantem conspicite. Illam dico Regiam Maximini Conjugem, illum militiæ Ducem Porphyrium, ducentos illos cum Duce milites, fœcundissimo susceptos partu, maternâ formatos industriâ, ad dignos tantâ parente mores educatos; quo suo formavit imperio, instruxit contubernio, exercuit legibus, munivit exemplo, animavit Virtute: ut nullus potuerit Cæsareus favor excogitare gratias, quibus illiceret; fraudes, quibus irretiret; machinas, quibus impeteret; dolores, quibus frangeret; tormenta, quibus expugnaret. Neque illa præteritæ quinquagena Alexandriæ miracula, eruditione, famâ, supercilio, vultu, sapientiâ, canâque Majestate verendum consilium, quos felicissimo partu ad immortalitatem est enixa *Catharina:* quibus nascentibus, obstetricata est Tyranni securis, ut sapientiæ genuinum esse partum intelligatis: quam eâdem obstetricante natam esse pridem audivistis. Cadunt à Matre non Lucinæ in cunas, sed Libitinæ ad sepulchrum. Nunc demum credite

Philoso-

Philosophiam esse mortis imaginem; quæ cùm parit, suam etiam in prole similitudinem exprimit, cui proinde cunarum vicem debet tumulus inservire. Abluuntur recenter nati, sed suo in sanguine. An quia è Regio stirpe oriundi, jam à primis natalibus assuescunt purpuræ? An quia purpuratis cœli partibus adscribuntur, suo malunt, quàm peregrino murice radiare? An demum quia cùm ex ea Matre progeniti essent, quam per intimas animi sedes Amoris febris depascebatur, parem fortassis contraxerant calorem, qui venæ sectione fuerat persanandus? Quidquid demum id fuerit, illud indubitatum habeo, uterinos illos nostros, sed majores natu fratres extitisse, Philosophi Auditores: ut cùm in eorum indolem respicimus, pari etiam Virtute succrescamus. Tota equidem sese Parens primogenitis infudit olim, sed & tenellis nobis super aliquid reservavit. Manat enimverò adhuc uber illud sapientiæ lactis dulcore, ut nos *quasi modo geniti Infantes, lac sine dolo concupiscamus*. Accedimus patulis ad terram lacte fluentem desideriis, & in deliciarum partem vos quoque scientiarum lumina, sapientiæ Augustalia advocamus. Non detrectabitis appropinquare *Catharinæ* Æsculapij, qui ejus ossa reparandis hominum morbis, saluberrimo fluxisse unguento è vetustissimis tabulis accepistis. Non detrectabitis æquitatis Vindices, qui ad Maximini tribunalia, summo cum ardore Justitiam propugnantem audivistis *Catharinam*. Non detrectabitis Theologiæ Aquilæ, qui docentem audivistis *Catharinam*, dilucida explicatione partem illam, quæ de DEO Uno trinoque disserit, illam quæ de fide, spe & charitate agit, illam denique quæ DEUM

hominem docet. Accede Austria, accede Imperator Ferdinande, qui jam diuturno fulminantis belli incendio æstuatis. Habet in Victorias strictum acinacem *Catharina*, habet rigidum ferrum ad temperandos æstus, ad fulminei Martis flammas extinguendas.

Dicta Viennæ Austriæ in Basilica S. Stephani nomine Facultatis Philosophicæ ad Academicos.

ORATIO XVIII.

DE S. CATHARINA.

Catharina Universitatis Protectrix.

FErvet etiamnum hodie ad Alexandriæ mœnia calore Martio confusus pulvis, & ad gloriosum spectaculum nostram evocat attentionem, Academici. Agite ergo, dum primis eminus affulgentis Victoriæ radiis aspergimur, ab umbra ad Solem, à quiete ad laborem, à carcere ad mappam, à pace ad bellum, ab urbe ad aggeres, à foro ad valla, à podio ad arenam, à portico ad campum, à sereno cœlo ad fulminantis Gradivi tempestatem gloriosissimam hostium detriumphatricem comitemini *Catharinam*. Etenim in aperto campo in stadij arenâ sub ferreo Marte virescentes hostili dexteræ palmæ extorquentur, in patenti ad prælium æquore ex ipsis fusorum cadaveribus Imperatorum triumphis folia eriguntur; erumpente ex hostium trucidatorum tumulis lauro victoriosis Ducibus æternùm perennatura tempora inumbrantur. Stent abortivas inter

delicias

delicias Sardanapali, nativas inter hortorum purpuras educentur Heliogabali; nullâ unquam cede nisi in rosas, delicatè barbari imbelles manus cruentent Sybaritæ: fortissima interim Heroina Virgo contra fortunæ Tyrannidem animata, furoris crudelitate incensa, crudelitatis barbarie incitata, tantò certior de Victoria, quantò sub pietatis auspicijs securior decertabit. Quam dum curiosâ ad laudabilem æmulationem pietate ad aras usque coronarias amici Philosophi prosequimur, vos quoque Vitæ Vindices Æsculapij, vos æquitatis propugnatores Jurisperiti, vos cœli Patres Theologi pari nobiscum incitati spiritu, quam præter lapsis temporibus solùm Philosopham credebatis, hodie Medicam, Jurisperitam, Theologam, Bellonam ac Protectricem vestram adorate *Catharinam*. Ita enimverò decerno, si augustam vestram litterarum Universitatem hortum quendam esse dixeritis; ego Floram salutabo *Catharinam*. Si cœlum vocaveritis; Solem appellabo: si Deorum immortalium munus nuncupaveritis; Pandoram admirabor: si Rempublicam compellaveritis; Dictatricem venerabor: si familiam imaginabimini; Matrem exosculabor: si corpus unum nominabitis; cor indigitabo: si Senatum concipietis; Consulem reverebor: si Regnum exclamabitis; Reginam acclamabo: si imperium efferetis; Imperatricem adorabo *Catharinam*. Ut quisquis se agnoscit in horto florem, in cœlo stellam, in Republica civem, in familia filium, in corpore membrum, in Senatu consessorem, in regno Imperioque subditum; hac una pariter debeat, à Flora decus, à Sole lumen, à Dictatrice leges, à Matre Amorem, à corde vitam: à Consule prudentiam,

à Regina nutum, ab Imperatrice jussa accipere: verbo dicam, Academicam Protectricem assumere *Catharinam.* Et verò cùm Jurisperitam auditis *Catharinam,* eam animo concipite, quæ jus facere maluerit, quàm audire; leges servare magis, quàm citare; tabularum notas magis factis describere, quàm verbis dictare. Ne de trivio Advocatam censeas, pro DEO causam agit. Disce quam peritam esse Juris oportuerit, quæ DEUM habuit Clientem. In hoc uno & vindicativæ leges, & commutativæ pandectas insumpsit: pro quo cùm peroraret, cœlū ipsum tanquam Judicem excitavit in vindictam: quod illicò serenam frontem contraxit in nubes, detonuit fragore, fulmina & rogum cœli reis decrevit. Causas agenti equuleus & rota dederunt cathedram. In illo cùm penderet, suspensos tenuit Spectatores suæ constantiæ admiratione: in hac cùm peroraret, eruperunt è radijs flammæ, ut dicentis involarent orationem, ubi tota in flammis sanctissimâ excanduit indignatione. In cinerem abiisset, vel ut ad Numinis vindictam Tyranni in oculos involaret: vel ut ad veterum Oratorum morem pro DEO reo non tam cinere sparsa, quàm tota cinis peroret; exoraretque suum in Imperium ac honores reponi Numen, quos sacrilego fuerat ausu idololatrarum manus suffurata. Sed cùm in Regnum non valeret Christum restituere, insignia saltē Imperij extorsit. Quin ut Regem ostenderet, suâ eum purpurâ convestivit. Imò ut Austriacum faceret, non minùs *Candidum* quàm *Rubicundum*; effuso ad purpuram cruori lac addidit ad candorem. Vicerat penè causam universam, cùm aurū Tyrannus in auxilium advocat, aptissimum justitiæ expugnan-

dæ

dæ instrumentum : quo cùm perstringuntur oculi, plerumque animi excæcantur. Sed nihil in auro lucis videt *Catharina*. Cui aurea erat anima, non ardebat aliena: egestatis argumentum rata, appetere, Prodigere maluisset, nisi Juris consultorum pandectæ suasissent commutare. Quare ut omnes cum DEO transigendi iniret rationes, per omnes emptionis, cambij, promissionis, Emphiteusis, nominatos æquè ac innominatos contractus semetipsam DEO transcripsit. Ut æterna lucra emeret, sese vendidit. Cambium receptura post mortem, vitam deposuit. Ad securitatem perennis crediti sanguinem in pignus tradidit. Contractum societatis cum Angelis fecit ad commune lucrum gloriæ ac felicitatis. In DEUM denique, cùm lucrum non ambiret, liberalissima sese donatione transfudit : satis id unum lucrum arbitrata, quòd à DEO sit acceptata. Jam verò si Juris utriusq; rationem suavissimâ ac pientissimâ nuper eloquentiâ in hoc ipso loco & gravissimorum Virorum consessu intra Decalogi limites contineri ita probavit, ut Academicorum omnium consensum juxta ac applausum extorserit ; Juris privati peritissimam sola assertione probamus *Catharinam*. Ut non immeritò proinde Angelorum manibus in montem Sinai deferri meruerit, ut eo ipsa habitaret in loco, in quo primum Divino nutu sancitæ leges apparuerunt. Dicam meliùs, eo ipso emineret in colle spectabilis, in quo legum tabulas Moysis indignatio fregerat, suaque ipsa præsentia tabularum defectum justitiæ Magistra compensaret: dum in ea, quæ digito DEI, hoc est, Spiritu Sancto sculptæ cernebantur leges universæ, (licèt in molliori sexu) pereniùs saxo duraverunt.

verunt. Quare date veniam Philosophi, suam ut cognoscant jure consulti *Catharinam*. In hoc nempe gladium gestat, ut justitiam una Propugnatrix tueatur. Sed non ita justam dicite *Catharinam*, ut medicam negetis. Sororium quoddam est vinculum Justitiæ, & Medicinæ. Illa publicam curat valetudinem, hæc privatam. Illa populorum morbis medetur, hæc in privato cive humorum discordiam temperat: utraque si incalescens vulnerum putredo exigat, ferrum admovet in salutem. Vultis Pharmaceuticam illam artis medicæ partem, quæ morbis medicatu subvenit, spectate in *Catharina?* Effusa idololatrica pestis Tyrannum corripuerat, & latè per universam Alexandrinam urbem vagata debitas cœlo animas orco transcribebat: una & præservativis medicamentis sese conservavit, & sanativis correptos quinquagenos Philosophos integerrimæ restituit sanitati. Vultis non ignobile Diæretices experimentum? Sybariticas exosa mensas Deum epulabatur. Angelorum contenta pane, quot (Deum immortalem!) digessit fastidia? quot crudas Tyrannorum eructationes furoresque domuit? Expectatis solemne aliquod Chirurgiæ documentum, in hac verò parte medicam adorate *Catharinam*. Cùm accepisset sive ex Hippocratis arcanis, sive ex Galeni aphorismis, in acutis morbis, si floruerit ægrotanti ætas, mittendum esse sanguinem, omnem non ad stylos & scapella, sed ad enses, ad mucrones Tyrannorum furorem evocavit. Adsunt carnificum cruentæ manus, & jam per revulsionem capitis in innocente corpore, jam per cocti pariter & incocti sanguinis evacuationem atroci desæviunt phlebotomia. Hac unâ

unâ amori medendum eſt ratione;hanc unam frequentata cordis ſyſtole,& creberrimè repetitus exigit arteriæ percuſſus. Adeſte, ſi quos ſanguinem juvat excepiſſe; animorum pelves ſubjicite. Non decet hinc guttam perire, dum

Quota fuſa cadit guttula, gemma cadit.

Si vos gutta conſperſerit, de conſanguinitate libebit gloriari. Adeſte, ſi quos inſpiciendi ad æmulationem ſanguinis glorioſa tenet ambitio; niſi caloris ſigna non ſpectabitis; cui ſcilicet amoris febris animam pariter ac cruorem accendebat. Vos verò dum Archiatram ſpectatis *Catharinam*, illi quoque Dijs immortalibus penè pari vitę,necisque arbitro cœtui præficite protectricem. At patiemini hæc Theologorum ſidera? patiemini Juriſconſultam,medicamque audire *Catharinam*, & nō illicò Theologicos quoque titulos illi decernetis? Non vidiſtis eam ſcilicet non tam de DEO agentem, quàm cum DEO. Carcer illi ſchola fuit, in qua objectum ſibi de cœlo DEUM ſæpiùs eſt ſpeculata. Cùm detruderetur in tenebras, lumen gloriæ vidit. Cùm infra naturam premeretur, naturam eſt ſupergreſſa. Cùm arctaretur in carcerem, immenſum Divinitatis pelagus eſt pervagata. Angelos habuit & ſodales ſimul,& commenſales; qui cœleſtes illi dapes miniſtrabant. In cœlo verſatam diceres,ſi anguſto carceris ſpatio cœlum poſſet definiri. Mortalis naturæ cum Divinitate connubium quoddam renovavit: quin ſeſe dato acceptoque annulo immortali *DEO* deſponſavit. Hoc unum mirari poteſtis Theologi,quòd cùm veſtram profiteretur ſapientiam *Catharina*, humanos non dederit actus,ſolùm Divinis aſſueta: quos ut pereni

ni gratiâ fulciebat, ita feliciùs eisdem ultimum hominis finem est assecuta, quàm humanis. Ut nemo mirari jam debeat, vel ejus funeri stellas adstitisse, vel sepulchri locum mortalibus non patere. Nam si Theologorum proprium esse credidistis propheticum illud; *stellarum* in morem *lucere in perpetuas æternitates*, in Theologici Augustalis sacraria eam admittite; quam connubio stellarum videtis adjectam *Catharinam*. Sepulchrum verò Theologæ frustraneo in terris labore investigatis. Cujus tumulo cœlum ipsum accendisse faces creditis; eandem quoque in cœlo sepultam esse non dubitate. Hic sisto panegyris cursum Orator, ubi stella fixa sistit *Catharina*, ne erraticum in Planetam intempestivo calore declinem. Quare concludite id tandem Academici, non jam Philosopham tantùm appellari *Catharinam*, quod evolutorum hactenus annorum fuit argumentum; sed nec sine injuria Jureconsultam negari, Medicam cum omnium approbatione dici, Theologam cum Academici consensus commendatione & applausu debere nuncupari. Date à tot prærogativis Academicam, à lacte candidam, à sanguine purpuream, ab utroque Austriacam, vestramque nominari *Catharinam*. Tu verò, ubi cœlorum agis *Catharina*, si quam tuo nomini quotannis ad has aras devotissimam cernis *Universitatem*, hortum agnoscis, te Floram dici: si Deorum munus appellas, te Pandoram nominari: si Rempub. non negas, te Dictatricem nuncupari: si cœlum credis, te Solem suspici: si corpus affirmas, te cor appellari: si Regnum intelligis, te Reginam coli: si imperium non diffiteris, te Imperatricem Academicam cernuo à nobis

vultu

vultu adorari patiare. Quod dum agis, tuas quoque Philosophis impendi laureas, ut obumbres: Tuum illud, quod è sepulchro stillasse balsamum memoravit Antiquitas, in vulnerum morborumque medelam concede Medicis. Tuum illum, quem etiamnum tenes, acinacem, justitię propugnatoribus porrige Jurisperitis. Tuas illas rotas ac flammas accende Theologis, ut redivivi Elię cœlo inferantur. Tuum collo promanantem sanguinem Academicę juvenum coronæ ad verecundiam & pudorem: Tuum denique largissimo fluvio diffusum lac, omnium facultatum tyronibus suffice, ut ad sapientiæ, virtutisque maturitatem tuo lacte nutriantur.

Dicta in Basilica S. Stephani Viennæ Austriæ nomine facultatis Philosophicæ.

ORATIO XIX.

DE S. CATHARINA.

Nutrix.

GRatos in Nutricem animos exhibere, pronas inclinare voluntates, obsequiosos affectus ducere non tam defixæ Athenarum propyleis tabulæ ab ijs exigebant, quos juvenilibus annis evolutos secundæ cum prosperitate fortunæ evexissent; quàm vestris inaratæ pectoribus leges efflagitant Neo-Rhetores, quibus ad sublimiorem educandis sapientiam prodigioso ubere lac ministrat opulenta Nutrix *Catharina*. Enimverò si Poëtarum edicto impium est corporis nutrici non referre gratias; sacrilegium consentiente dicemus Aristide, animorum Altrici

Altrici debitum honoris ac reverentis animi tributum denegare. Nam sitientibus humorem lacteum præbere labellis, etiam feris est commune. Quod neque Armeniæ Tigres, neque Leænæ Caspiæ suis partubus inviderent, hoc scilicet homini impensum ab homine rependendis immortali debito gratijs virtus vocabitur; impensa verò ad diviniorem virtutem alimenta, lacteæ mentium epulæ, nutrimenta gloriæ unà cum lactentiū incremento turpe etiam ingrati animi vitium educabunt? Non patiemur id Auditores, non patiemur aut voluntates nostras affectusque communes ingratos dici, aut intellectus iniquos rerum æstimatores appellari. Novimus enim non dicam, corpus esse umbram, animum Solem; hunc ignem, illud fumum à veteribus nuncupatum: sed novimus, si corpus est divina manu excultus hortus, animum esse cultorem: si corpus augustum quoddam est theatrum, animum esse actorem: si corpus inimitabilis humano artificio est pictura; animum esse lucem: si corpus est serenissima Majestatis sedes, animum esse Principem: si corpus amplissima est aula, animum esse Imperatorem: denique si corpus cœlum quoddam est lineamentis suis, veluti sideribus interstinctum, animum ejusdem cœli Motricem esse intelligentiam. Ut proinde, si cultoribus horti laudem, theatri fabris commendationem, tabulæ pictori encomium, sedi Phidiæ panegyrim, structori aulæ honorem; cœli molitori admirationem debemus: debeamus pariter floris parenti, Actoris magistro, lucis principio, Principis Educatori, Imperatoris nutricio, intelligentiæ conservatori, laudem, commendationem, encomium, panegyrim, honorem,

ad-

admirationem. Quare sustinebo non invitus prodigiosam aliorum eloquentiam è tuis Heroina laudibus, vel seligere miracula, vel adferre prodigia, vel exaggerare virtutem, vel exempla proponere, vel documenta recitare, quibus damnato animorum corpore nostrum omnium & affectus provocentur, & amores inardescant. Quorum omnium cùm venerabundus concepti in te ardoris indicem exosculatus fuero eloquentiam, unus demùm ego, si facundiâ dicendique ubertate longè inferior, certè affectus amandique calore nulli secundus, palàm te meam Rhetorumque omnium, quorum interpres sum hodie constitutus, *Nutricem* compellabo. Quo uno nomine non auribus dumtaxat mellea quædam suavitas, animisque amor inspiratur, sed tua quoque, dulcissima *Nutrix*, intaminatæ vitæ sanctimonia, heroicorum facinorum multitudo, exuberantes amoris flammæ, pietatis ardor, virtutum norma, inæstimabile in sapientiæ Gymnasia beneficium, ac universa felicitas nostra continetur. Quod ne speciosè magis ad splendorem, quàm ad virtutis commendationem verè à me dictum existimetis, statuite vobiscum Audit. eam demùm & *Nutricis* nomine intelligendam & sequace ad nominis umbram honore demerendam, quam & morum nobilitas, & lactis cum ubertate salubritas, & pronus in lactentes amor commendarit. Sic enimverò præcipientem olim Majæ audivi Theanum: *Cùm liberorum mater effecta fueris, hæc præcipuè te moneo, ut nutricem deligas nobilem, sanam, & amantem.* Nam (ut quod erat in partitione primum aggrediamur) ita naturæ aut vitio, aut beneficio comparatum est, ut ad Nutricis mo-

res

res lactentis vita efformetur, cum primo nutrimento vitæ prima aut vitiorum, aut virtutum semina combibuntur, radici per insitionem maritatus surculus, ejusdem aut salubrem, aut venenatum succum in fructus derivat. Age dic, quid propudium illud Cæsarum hominumque probrum Tiberium Neronem, ad eam perpetuo bullientis stomachi crapulam educavit, ut publicâ vulgi sententiâ non jam Tiberius Nero, sed per insigne dedecus Biberius Mero nuncuparetur? Respondebit Suetonius, bibosæ Nutricis scelerum vinum lacte permixtum puero propinatum. Quid urbanam illam feram, inhumanam inter homines belluam, Cajum Caligulam, ad eam accendit crudelitatem, ut non modo sitiret vulnera, sed aspersas quoque ab occisorum plagis cruore mensas calidissimo lamberet appetitu? Respondebit Dio, truculentæ Nutricis immanitate cruentatas sanguine mammas in sitim puero fuisse exhibitas. Quid si Alcibiadi eam infudit animi magnitudinem, ut supra hominum evectus conditionem penè Diis par existimaretur? Respondebit Plutarchus de generosæ Spartanæ uberibus Spartanos quoque cum lacte spiritus combibisse. Reliqua pervolvite aut historiarum monimenta, aut commenta fabularum. Discetis Abidum Curetum Regem cervarum lacte enutritum, tantam earundem contraxisse velocitatem, ut dum nullo persequentium cursu premi posset, solis à fronte objectis retibus caperetur. Discetis Midam Lydorum Regem à nutricibus formicis evasisse avarum; Achillem à Leonibus fortem; Paridem astutum à vulpibus; suavem facilemque ab apibus Platonem; rapacem à lupa Romulum; Camillam

millam denique à Tyrrhenarum equarum lacte ita cursu præstitisse,ut si vel

Intactæ segetis per summa volasset
Gramina,nec teneras cursu læsisset aristas.

Adeò in omnem naturæ partem tam ad belluinam desciscentis feritatem, quam ad heroicarum virtutum enitentis celsitudinem, primus valet Nutritor succus puerilibus labris propinatus. Ut felices vos proclamare libeat Neo-Rhetores, quibus ad omnium retro sæculorum invidiam singulari faventis cœli beneficentiâ ejus contingit ab uberibus pendere Nutricis, in quam generosi pridem animi dotes convolârunt universæ. Quod dum dico; nolim ego in *Catharinæ* laudes Regium sanguinem, Majorum purpuras, avorumque sceptra adnumeretis. Non sunt tua, quæ Majores traxerunt paludamenta; nemo alio splendore evasit illustrior: suâ Phœbus trabeatur luce,neque geminatis splendidior redditur Panathenæis: suo quisque est dives, & domestica felicitate beatus. Qui circumstantibus gaudet,domesticam profitetur egestatem. Neque à crusta murum; neque à vagina gladium,neque à phaleris equum, neque virum à basi æstimamus. Pumilionem sive in Tauri montis supercilio, sive Armeniâ collocaris in rupe, nunquam evadet Hercules, nunquam crescet in Atlantem. Quare ne mendicam alienæ laudis effecerim *Catharinam*, de suo commendo. Medusæa est facies, quæ stybij mendacio adulteratur: cui Charites in vultu rident,& stybium fugit,& cerussam. Animum ergo inspice, quisquis nobilitatem *Catharinæ* pervestigas. Heroem diceres, nisi sexus fateretur Heroinam. Nam ingredere,si lubet mecum illud,dicamnè

nè martis fanum, an Erebi caminum? ubi sacrilego thure aut lævigatus è rupe, aut excisus ex trunco Deus evocabatur in vota: stat scrupeus aut quercinus in ara Deus, effumant acerræ, lustratur populus, lunantur genua, levantur brachia, tolluntur voces, cæduntur victimæ; Popæ ferale carmen surdo Numini occentant. Advolat Imperator, infunditur Aula, inducitur *Catharina* propudioso saxo, sacros jubetur quâ thure, quâ prece honores exhibere. Quid ages Heroina? ejurandum est illud infami de quercu suspensum Numen, proterendi sunt Christiani ritus, exuenda est peregrina religio, & quos cum nupero latice combibisti mores exterminandi. Parens jubet, Cæsar urget, aula hortatur, populus expectat universus. Id si præstiteris, extorsisti à Parente amores, favores à Cæsare, honorem ab aula, ab universo populo admirationem. Quin te Regia præstolantur connubia, quorum in obsequium gemmata rigent loquearia, sudant marmorei postes, auratæ tectis inambulant trabes, texuntur paludamenta, cœlis invida assurgunt solia, populorum moderatrices arrident Virgæ, augustæ frontis ornamenta radiant coronæ. Quid expectatis Auditores? quam in partem *Catharinæ* sese consumet deliberatio? an in parentis jussa, Cæsaris monita, aulæ hortamenta, universi populi expectationem? Nos fortassis imbelli sæculo progenitos homulos vel acerba successissent imperia, vel augusta flexissent monita, vel aulica ursissent hortamenta, vel populi commovisset exspectatio. At firmatum adamante *Catharinæ* pectus nulla potuerunt succutere imperia, non flectere hortamenta, non exspectatio commovere. Imo, quod rigida gemmis, inquit,

inquit, ad omnis barbariei opprobrium oftentatis laquearia? Laquei funt puerilibus animis irretiendis: nubes funt, quæ fubeuntium verticibus perpetuam grandinem comminantur. Quid mihi marmoreos poftes referatis? Lubricos nimium præbent aditus incedenti. Quid horrentes ab auro trabes magnificis tectis inambulantes? jam fuo calore ignem fimulant, in gravia olim incendia erupturum. Quid purpurea texitis paludamenta? quæ circum talos oberrant indumenta, incedentis plerumque greffum impediunt. Quid factura cœlis invidiam folia erigitis; nemo fecurè per præcipitia graditur. Quid gentium ac provinciarum dominas porrigitis virgas? Non faciet beatam, quod fortior poteft eripere. Quæ demùm fronti fpondetis diademate? nempe, quæ geftantem pondere fuo deprimant, quæ capitis vinciant libertatem. Apage ampla curarum habitacula, quemcunque tangit Amor quietis: fuge lubricos marmoris aditus, quifquis amas non ipfo in lumine pedem fallere: tolle de tectis aurum, qui domus incendia times: exue quæ pedem flagellant paludamenta, quifquis ad immortalitatem curris: defcende fublimi è folio, quifquis inde lapfum profpicis: depone Virgas; quifquis in tua verbera ab alio eripi illas poffe intelligis: excute diadema fronte, quifquis amas in pulcham temetipfum efferre libertatem. Ringere jam belluine furor, recrudefce rabies, efferare Tyrannis. Elufæ ceciderunt blanditiæ, detectæ fraudes, irritamenta detriumphata. Contrahe densâ fupercilium nube, oculis fulgura, ore tona, manu fulmina: quâ tandem tua tempeftas ftrage detumefcet? nempe quæ vano fragore aures circumftrepet, ani-

animum non percellet. Quid? in vincula conjicies? ſed animo libertatem non adimes. Detrudes in carcerem? ſed liberam cœlo mentem evagari non prohibebis. Damnabis ad tenebras? ſed ipſa ſibi virtus innubis eſt dies. Fame enecabis? ſed advolantes è cœlo inter Aligerorum manus epulas, ut invideas, non poteris prohibere. Puerili expugnandæ imbecillitati admoveri poſſunt illæ terrorum larvæ, quas Heroicæ ac ſuper humana omnia elatæ mentes deſpiciunt. Rotis ergo invehatur furor: cedent in quadrigas triumphantis *Catharinæ*. Raro exemplo diſcet poſteritas in rotæ volubilitate conſtantem perſtitiſſe *Catharinam*. Credent, ſi reviviſcant Epicurei; beatam aliquando vitam naturâ ſuâ conſtantiſſimam etiam volvi potuiſſe, ubi vel conſidentem, vel rotatam viderint *Catharinam*. Denique nulla ſecutura ætas egebit Romani Conſiſtorij rotâ ad examinandam *Catharinæ* vitam, ubi ſuam in hac rota probaverit ſanctitatem. Fabricantur nihilominus à ſacrilego, neſcio quo Vulcano rotæ, armantur crudeli ferratorum dentium ordine, eriguntur in curſum; materies dentium colliſione diſcerpenda opponitur *Catharina*; ſed non tota: animus enim ſupra nubes elevatus fulmina moliebatur, quibus furoris inſtrumenta perculit, confregit, dejecit. Et verò ſtetiſſet etiam corpus invicti animi ſimulachrum, niſi ad ſecurim protractum caput in meſſem porrexiſſet. Sed quæ noſtræ felicitatis eſt ſumma, dum collum inciditur, fluenta lactis emanant. An ut ſuo candore impio ritu damnatæ Virginis probent innocentiam; An ut *quaſi modo geniti infantes inde lac rationabile concupiſcamus?* An ut fœminam

nam ſpectemus; quàm ſpectatâ roboris animique magnitudine jure virum dixiſſemus? Felices nos, Commilitones optimi, quibus ea contingit à Nutrice lac miniſtrari, à qua & generis nobilitatem (quæ unâ clauditur animi magnitudine) combibere valeamus. Quos nutricis veſtræ Spiritus cùm mente pervolvitis, ſalubritatem quoque ſuppeditari lactis in animorum nutrimenta animadvertite. Scio equidem non eandem in animis eſſe ſubſtantiæ viciſſitudinem, quâ corpora alternis decrementis incrementiſque variantur. Scio animos ab omni materiæ concretione ſecretos non ſumere ab alimentis ſtaturam; augmentum ab ætate, incrementum à tempore; neque perdere ſenectute robur, florem morbis, morte ipſa vigorem: ſed ſcio pariter deſtitutam rerum ſimulachris animam, tabulam veluti raſam ſubingredientibus rerum coloribus ad eam quandoque pertigiſſe ſapientiam, ut quemadmodum membra lacte, ſic animam doctrinis enutriri, non ægre nobis perſuadeamus. Ut non immeritò litteraturam humanam Ariſtides verè purum lac, & hominis maximè proprium eſſe pronunciarit. Cui ſententiæ ſi veſtro quoque nutu ſuffragamini, Auditores, ſalubre non negaveritis *Catharinæ* lac, cujus hauſtu *Fauſtina Imperatrix* è mortis confinio ad vitam revocata, ducenti cum Porphyrio milites Erebi faucibus erepti, quinquageni Philoſophi ſuis perfidiæ tenebris ſunt evoluti. Et verò ſi ad lactis munditiem ſanitatemque dilaudandam ſpectet quàm plurimum, quonam conjugio manet, quonam alimento nutriatur; avidis advolate labellis, ſalutem ipſam incolumitatemque bibituri. Repetite enim carce-

rales

rales illas Catharinæ tenebras, & simul cœli miracula obstupescite. Eripuerant mortalibus oculis diem obscura noctis imperia; sed purâ mentis acie immortale Lumen spectabat *Catharina.* Jacebant sopore strata hominum corpora, sed ad DEUM erecta stabat *Catharina.* Silentium quies quaquaversum imperaverat; sed *Catharinæ* pectus Amor faciebat inquietum. Inaudierat scilicet, nescio quam Christiani Numinis Majestatem, cujus rideat in fronte serenitas, rubeant in labris corallia, totum corpus mortalibus oculis imperet admirationem. Illico moveri *Catharina*, ardere pectus, gestire animus; succendi desideria, fervere vota, amor inflammari. Neque tulit semper pronus in vota DEUS motum ardoremque pectoris fraudari, animum ac desideria deludi, vota amoresque frustrari. Sed audite rei portentum; curuli nube, quàm magis *Catharinæ* desideriis, quam terræ vaporibus coaluisse crediderim, Augustissimæ Matris deportatus in sinu infans DEUS, per illas carcerum tenebras, per atrorem noctis penetrat ***Sol Iustitiæ & lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum***, sese *Catharinæ* oculis infundit. Dumque submissa poplite, sublimis animo, attonita spectaculum bibit *Catharina*, sperato citiùs à Divinissimo Infante depromitur annulus, teste Magnâ cœlorum Reginâ, testibus cœli prætorianis, ipso summo Sacerdote ac salutis nostræ Pontifice præsente matrimonia pacta annuli vinculatione iciuntur. Dicetis hoc ex castissimo connubio lactis illam ubertatem suam deduxisse originem: ego verò nolim hoc uno vos persuaderi argumento, ut illum ipsum

vitalem

vitalem succum sanitatis parentem asseveritis; nisi pariter Angelicâ natum alimoniâ intelligatis. Decreverat insana crudelitas Virgineos animos diuturnâ lue expugnare, jamque plurimo vallatæ custode aditum valvæ prohibebant. Sed quæ supernis labuntur è sedibus purissimæ mentes, neque valvarum egent reductione, ut admittantur, nec quanta vis custodum manu prohibentur accessu. Illæ igitur obsequiosæ Numinis in mortalium salutem animæ, illæ gratiarum ministræ mentes, illæ auxiliares è cœlo copiæ, in commeatus defectu *Carnem filÿ hominis*, in impendente ab esurie mortis periculo *panem-vitæ* subministrant. Quod si nullum esse potest in salutis cibo venenum, nulla morbi lues in Angelorum esca, nullum in pane vitæ semen mortis; dicite per DEUM immortalem, poteritnè aliquod permisceri illi lacti venenum, quòd à salutis cibo est progenitum? poteritnè morbi lues in illo latere succo, qui ab Angelorum esca originem traxit? poteritnè mortis semen illo liquore condi, qui â pane vitæ dimanat? Libet hic illud vobis suggerere: *Gustate & videte:* vel si mavultis, plenâ amystide lactis poculum exhaurite: ut sit saluti, acclamabit *Nutrix* vestra *Catharina:* ut sit bene mihi, bene vobis, bene omnibus, boni Cœlites advovebunt. Quare nec de Nutricis in nos amore licebit dubitare. Audivistis aliquando prodigiosum illud spectaculum, quod orbis universi merebatur oculos, nisi invidæ illud carcerum tenebræ obvelassent. Audivistis filiam ad captivi, & jam fame enecandi Parentis carcerem penetrasse, detexisse ubera, emarcidi Patriis labiis applicuisse, lactasse; dubi-

tantem in vitæ mortisque confinio salutari succo recreasse. Audivistis, & verò etiam cum admiratione approbastis. Sed larvam scilicet virtutis, umbram *Catharinæ* audivistis. Nam ut quid putatis universas pene toto Christiano diffusas orbe. Academias sub *Catharinæ* patrocinium convolasse; nisi quod ad captivas hominum mentes caliginosis ignorantiæ detentas tenebris, una pervadat, deficientes sinu complectatur, & deviantem ab humanis moribus intellectum amabilissimo lacte nutriat ad sapientiam? Quod cùm animo considero, videor mihi oculis intueri animatam illam Aristidis picturam: in qua delineata in Urbis excidio Nutrix, plagis hostilibus saucia, & jam morti cessura adhuc lactenti præbebat ubera puello, fovebat sinu, amantibus brachiis complectebatur. Legite mecum in *Catharina* Historiam, cujus in illa tabula legistis Allegoriam. *Catharina* in Orthodoxæ fidei ac scientiarum excidio, vertice saucia, ac moribunda, sitientibus vobis lactis fluenta recludit. Accurrite, si cui lactis amore anhelant animi: neque pudeat jam adolescentia labra lactis candore imbuere cui totis ego velim vos animis innatare, ut candorem innocentiæ combibatis. Accurrite non humano succo mentium vitam prorogaturi, sed Divino Charitum lacte imbuendi. Etenim non tam ingenioso, quàm vero lusit ille anagrammate quisquis è tui *Catharina* nominis elementis præpositâ sanctitatis indice notâ, effecit, ut *Sancta Catharina*, *Charis nata*, diceretis. Accurrite, & dum Charîm vobis natam intelligitis *Catharinam*, illud vos amabili pariter efficite anagrammate, non tam litteris quàm operibus

ribus expreſſo, in vobis, ut legatur *Chara natis Catharina.*

Dicta ad Eloquentiæ Auditores.

ORATIO XX.

DE SANCTA URSULA.

Sagitta Amoris.

NEſcio an aberrantis naturæ vitio,an magis inauditæ affinitatis lege factum ſit, Magnifice Domine Rector, Clariſſime Nationis Rhenanæ Procurator, Proceres, atque Auditores Academici, ut vel frigidæ mortis imaginem calidus aſſumpſerit amor, vel calidiſſimi amoris perſonam gelida mors induerit. Enimverò tantùm inſtar alterius eſt in altero, ut ſi mortem videre oculis liceret; Amorem à te ſpectatum vix ambigeres: mortem à te viſam eſſe exiſtimares, ſi oculis ſpectare amorem concederetur. Ita ſuam Amor perſonam ſuſtinet, ut repræſentandæ morti factus; ita Mors ſuo comparet in vultu, ut exhibendo amori ſimulata eſſe videatur. Dum utrique ſua eſt frons, utrique eſt aliena: dum alienam uterque ſimulat,neuter ſuam diſſimulare poteſt Sub amoris mendacio vera mors legitur; ſub mortis figmento verus amor ſe denudat. Inſpice utrum lubet;aut utrumque in uno,aut in altero alterum inſpexiſti. Nudus ille,nuda & illa; cæcus ille, cæca & illa: ſurdus ille, ſurda & illa: pallet ille, pallet illa: armatur ille, armatur & illa: arcu ille, arcu & illa: telis ille,telis illa: ut tum maxime amorem inter mortemq; ſit metuenda con-

 fuſio,

fusio, cùm distinctio investigatur. Quod si rei universæ hujus aspectabile symbolum exhibere animis desideratis; Parthenomartyrem *Vrsulam*, cujus hodie Rhenanus sanguis debita veneratione ad præsentes aras cultum exequitur, oculis vestris repræsentate. Denudatur equidem jubente furore verecunda Virgo, ut vel amoris æstibus incaluisse intelligamus, dum vestes ponit; vel mortis obriguisse gelu, quæ nullis egeat integumentis. Velantur gemini sub Virgineâ fronte oculorum pyropi, ut vel Panomphæi Amoris cæcitas exprimatur, vel ad meridiem etiam serenissimum caligantis imago mortis depingatur. Quidni obsurduisse credam, cujus aures nec blandientis Tyranni lenocinia tangunt, nec percellunt tonitrua fulminantis? Neque pallor, quantumvis verecundiâ suffusæ deesse potest Viragini, cui vel Amor cor ipsum, ipsam sanguinis officinam, suavissimâ violentiâ eripuit; vel furor ruborem omnem unà cum innocente sanguine crudelissimâ tyrannide exuxit. Suæ denique Heroinæ Amazoni sunt sagittæ mortisne dicam? an amoris? an mortis simul, & Amoris? Erramus profectò in avia seducti Auditores, nisi quam mortis telo confixam hodie Martyrem veneramur, eandem Amoris vulnere sauciatam Virginem suspiciamus. Quare agite Senatus Academice, dum mortis, amorisque arundinem in *Vrsulæ* vulneribus expendo, vos sine vulnere, amate, ut mea quoque in amore vestro emoriatur oratio. Atque ego quidem, dum in auspicatissimis *Vrsulæ* ad vitam plagis sagittā amoris compello, nolim in ea, mentem animosque tela convertatis, quæ Cythereis in ignibus fabricata nimium oculatè cæcus puer blandissimo furore in *Vrsulam* molie-

moliebatur. Viderat enimverò ille, quem proclivis semper in deteriora Pictorum Poetarumque vulgus oculis cassum mentiebatur; viderat infamis Cupido propagatum in Virgine Noti Principis verendum stemma, in qua unâ vivâ veluti plurimorum epitome & historia, Majorum legebat illustres à sanguine atavos, Augustos à fama proavos, Urbium labantium colossos, nutantium populorum præsidia, gentium decora, pacis firmamenta, munimenta belli, Provinciarum Hercules, Regnorum, Rerumque publicarum æquè serenâ tranquillitate florentium, ac turbatâ tempestate fluctuantium Atlantes. Viderat affluentes in unius Viraginis obsequium opes, cœlo turgentia in famulatum palatia, externa in parietibus marmora, peregrina in laquearibus maria Orientales in trabibus sylvas, occidentis superbiam in argento, Dalmaticos in auro montes, omnem in gemmis Erythræi maris apparatum. Viderat comptissimi corporis propè divinam majestatem, cujus frontem tranquillabat serenitas, supercilia flectebantur in iridem, oculos gemini accendebant Tyndaridæ, genas pingebat Flora, os inhabitabant Gratiæ, labra colorabat Aurora, vultum insumebat Helena, Heroina staturam omnem componebat Camilla. Viderat, & ut primus esse solet, per oculos in penitiores animi sinus rerum amabilium illapsus, Cyprias in corde flammas, cudendis in unius *Vrsulæ* expugnationem sagittis officinam excitavit. Sed quâ parte primos in munitissimum pectus tentabis assultus honestatis omnis inimice puer? quâ viâ in editam mentis arcem evadere posse arbitraris? Regias, inquis, optetur ad nuptias, jam fraudibus nostris

 paten-

patentissima via est aperta. Sic Helenas vicimus; sic expugnavimus Didones. Ametur: amabit. Nulla vis amore fortior; etiam triplicis ferri munimenta pervadit. Ametur. Magneticum Amoris est robur, rigentia ferro pectora mutuos trahit in amores. Ametur. Amor amorem serit: amor amoris est planta, & fructus. Ametur, incendiarius Amoris est amor: quoquò pertingit, flammas invehit. A Regio sanguine ametur: ut pretium faciat amori dignitas. A Rege ametur, ut imperandi potestas trahit in Virgine studium obsequendi. Illuc nempe subditorum pronæ inclinantur voluntates, quò. Regũ præviis diriguntur imperiis; quas si amor non flectit, metus frangit. Ametur. Amorem etiam Regiũ meretur longa retrò Avorum series, imperat affluentiũ fortunarum pretiosa tempestas, augusta, ac prope divina corporis species extorquet. Sed extrema licet moliaris projecte in omnem turpitudinem puelle, assurgentem certè supra humana omnia Viraginis animum non demoliris. Potes nefande cordium agricola amorem serere, sed nec segetem spera, nec messem. Cùm in semente vitiũm fuit, omnis ante herbam perit agricolarum expectatio. Potes sacrilege mentium Incendiare flammas & ignes jacere, sed rore cœli imbutum pectus non corripies. Ardere nequit animus, qui rore madet. Potes inverecunde honestatis Propola Regias apparare nuptias; sed choreas alias non videbis; nisi quibus Herous *Vrsulæ* virgor procul ab omni advocatus connubio, ad immaculatum Agnum exsiliet. Regius amor imbelles expugnare potest animos, non *Vrsulam*, amari ea non postulat, nisi ab illo, qui ipsa est charitas: cui uni placuisse, omne est amphitheatrum dele-

delectaſſe. Fruſtra verò etiam Amoris ſubſidium medicatur ab avis, ſuffragium ab opibus; à flore vultûs Imperium. Non ſunt illuſtres Avi, quos vanitatis fumus involvit: non eſt generoſus ſanguis, in quo virtus non bullit. Obſcurum eſt ſtemma, à quo cùm cætera traxeris, ſplendorem animi derivare non potes. Illos ſolùm Majores cenſe quorum te vel formant exempla, vel inſtituunt leges, vel erudiunt documenta: quorum non tam nomine gaudeas, quàm virtutem imiteris; non tam ſanguine ſuperbias, quàm conjuncta cum commendatione facinora, jure poſſis æmulari. Plebejū enimverò nepotem facit, qui præter nomen nihil, nihil præter ſanguinem tranſcribit. Illa verò fulgentis auri acrimonia, quæ ubi illuxit oculis, plerumque animos conſuevit excæcare, illa gemmarum grando, quæ tantam minatur animo tempeſtatem, quantam adferre vertici ſolet Majeſtatem, nullum faciunt amori pretium, nullæ eundem proritant illecebræ, nulla imperia extorquent. Aurum ſub terras natura damnavit, ut proterendum pedibus magis doceat, quàm animis affingendum. Editos etiam montes quaſi mauſolæa impoſuit, ut in mortuorū cenſum annumerandum ſcias, neque ſine mentium deteſtanda mephyri ſuo de tumulo erui poſſe intelligas. Gemmas vel Erythręis demerſit fluctibus, vel Heſperios damnavit ad vortices, ut vel illas cum aquis diffluere diſcas; vel etiam in immortaliū pectoribus, plus quàm Decumanos fluctus excitare. Verenda denique Majeſtas corporis, explicatę frontis auguſta dignitas, Regia oculorum ſuperbia, oris mella, lepores geſtuum verna genarum jucunditas, amœna totius vultus ſerenitas, abominando ſunt amori ſuffra-

gium, non verecundæ calculus dilectioni. Apage crudelis mentium Procustes, Tyranne puer: plebejos animos immunitatis tuæ sagittis metam statue. Non sauciatur Cythereâ cuspide, quem castus amor sibi in vulnera præparavit. Achilles est, quem alienę non tangunt sagittæ, nedum possunt vulnerare. Quid si verò furor arma ministret, plusquam Cydoniâ crudelitate plenis pharetris in *Ursulam* exoneranda? Ilicet, nempe & furor amori subserviet. Hoc aget, quod venti in flammas; quas cum laborant extinguere, majoribus augent incrementis. Hoc habet furoris barbaries, (quo etiam in bonorum Rempublicam adsciſci poteſt) quod amorem manifeſtet. Vulnera, quæ infligit furor, aut feneſtræ ſunt, per quas amor proſpicit; aut januæ, per quas prodit in apertum. Dilectionis menſura aliena eſt crudelitas, tantum amas, quantum ſuſtines; ſi pati detrectas, exulantis amoris indicia præbes manifeſta: inquilinū probas amorem, cùm imperitus non moveris, concuſſus non excuteris. Acuat ergo vibretque furor ſagittas Mortis, Amoris à ſe vibrata ſpicula non indolebit; & recentiſſimâ veritate induet antiquitatis figmenta. Fabula enimverò eſt, dormiente aliquando Morte in fraudes vigilaſſe Amorem. Dum ſtratis oſſibus procumbit illa, in propinquum ſeſe doloſus amor inſinuat, dormienti ſagittam eripit, ſuamque illi non ſine fraude ſupponit. Excutitur Mors inde ſomno, cæca in mortalium cædes vigilatura: ſurgit, tela non ſua corripit, ſævit hinc, ferit inde, omnem latè regionem cadaveribus funeſtatura. At ecce portenta rerum jam nemo proſterni à morte, nemo migrare in funus, nemo in cadaver collabi: quoſcunque ferit ad mortem,

tem,ad novam animari vitam,ardere omnes,çstuare, amare. Fabulamne cecinimus Auditores,an descriptæ in Divâ *Vrsulâ* Historiæ veritatem enarravimus ? Illæ illæ, quas jaciebat in necem Virginis sagittas furor, Amoris acutissima fuerunt instrumenta. Corripiebat,librabat,feriebat crudelitas; at ardebat, æstuabat,amabat *Vrsula* sauciata, mortem intendebat tyrannis, amoris vitam adferebant sagittæ. Est scilicet stupendarum metamorphoseon architectus amor,qui novit fel in mel,spinas in rosas, turbines in serenitatem, tempestates in quietem, funera in festa,satellitium mortis in coronaria Amoris arma commutare. Non amat,cui tormenta, sunt fel; cruciatus, sunt spinæ; adversa, sunt turbines; crudelitas, est tempestas; tyrannis,est funus;catastæ sunt mortes. Amor habet in tormentis mella, in cruciatibus rosas, in crudelitate quietem, in tyrannide festum, in catastis coronas. Quo & illud evictum volo, quæ furoris fuit in *Vrsulam*, eandem esse Amoris sagittam. Quam in sententiam, si vestra quoque cum prona animorum inclinatione trahantur suffragia, Procurator Clarissime, Inclyta Rhenana Natio, Proceres, Auditoresque Academici,videte,quanta labantibus animis, ac propè desperatis Imperij rebus subjiciantur fulcimenta. Errat scilicet adhuc Vandalici furoris cruenta tempestas,cujus vestigia Transdanubianus necdum extinxit ager, & quacunque penetrat, vulnera secum invehit,& funera,cædes,& strages, excidia, & vastitates. Ejus unius furore diripiuntur urbes,exscinduntur oppida, vastantur agri, premitur innocentia, exturbantur jura, eliminatur religio, sacra, profanaque omnia sacrilegè cruentantur. Sed ne

cede malis Augustum Imperium. Stet licet ad portas Hannibal; stat etiamnum tibi pro aris & focis armata *Vrsula*. Memineris Rhenanis è fastis pari aliquando Hunnorum injuriâ pressam Coloniam præsentissimum Virginis à sagittis auxilium impetrasse. Enimverò cum arctissima muri coronarentur obsidione, Duce *Vrsula* immensus Heroinarum Amazonum exercitus arcubus ac sagittis armatus pro mœnibus stare visus, terrere hostem, turbare, statione excutere, profligare. Vivit adhuc Bellona *Vrsula*, vivunt Heroinæ Amazones, quarum (si modo nostra non moriatur pietas) vivet ad patriæ incolumitatem, ad Imperij salutem, ad Austriaci Martis Leopoldi Victorias, ad Augustissimi Ferdinandi III. triumphos parata in Divæ *Vrsulæ* manibus Amoris sagitta.

Dicta Viennæ Austriæ in Basilica S. Stephani nomine Nationis Rhenanæ ad Academicos.

ORATIO XXI.

DE S. BARBARA.

Imago DEI.

PRostrari ad Damascena suburbia Pauli hodierna recordatio vestram mihi in memoriã revocavit Partheno-Martyrem Barbaram, Domini sub ejusdem Virginis ac Martyris auspiciis congregati Sodales. Habent, nescio quid, conversus vocante cœlo persecutor Paulus, & persequente Patre eversa Filia consanguineæ affinitatis. Nam sive ad illum converto oculos, sive ad istam adverto animũ,

utrin-

utrinque crudelitatis ſcena, & formidandum perſecutionis theatrum oculis animoque repræſentatur. Illic *ſpirans minarum & cædis in Diſcipulos Domini* Saulus eodem, quo invehitur equo, vulnera Damaſco infert & funera, cædes & ſtrages, buſta & ſupremum excidium Pietatis: iſtic in fugientem filiam, non minus rabie, quàm curſu concitatus Pater, deteſtandam ſæculis Tyrannidem eodem gerit in pectore, quo priùs paternum affectum nutriebat. Illic violento cœli fulmine jugali ſuo excuſſus Saulus ad terram alliditur, & fulgurantis lucis acrimoniâ lux illi omnis extinguitur: iſthic immugiente nube eliſa fulminis procella filicidam Patrem, Tyrannum ſuæmet ſobolis Dioſcorum, vindice ferit impetu, & omnem vitæ lucem proſcribit. Illic atteritur Damaſci Tyrannus, & ſalutem conſequitur: iſtic conteritur Barbaræ Interemptor: ſed ea contritio nihil ei confert ad ſalutem. Illic ita edicente Chryſoſtomo, aſſentiente Chryſologo, uber Eccleſiæ evadit Paulus: iſthic utrumque uber puella Virgo Parenti porrigit: ſed qui Leænam ſuxit, Virgineo ubere non paſcitur. Illic receptis oculis Paulus fit ipſe *Eccleſiæ oculus*, teſtante Hieronymo: iſthic oculi pupilla eſt Barbara, per quam Deus periclitantes ſupremo in agone reſpexit. Illic Paulus evadit *Eccleſiæ propugnaculum*, teſte Tertulliano: iſtic Barbaram turrim [illegible]tiſſimam ſaluti noſtræ Deus exædificat. Ut meritò reſtaurandam vobis, ſolemni Magiſtratus innovatione, pietatem fervoremque in Tutelarem Patronam veſtram hoc ipſo die cenſueritis, quo Paulus in cœleſtem Senatum adlectus feſto de cœlis adlucentium ignium applauſu à Deo ipſo vas electionis deputa-

tur. Quare cùm socialem Paulum inter ac Barbaram agnoscatis ipsi affinitatem, patiemini non gravatè, ut & nominis Divini Bajulam edicam hodie Barbaram, ubi vos ex Apostolorum actis ejusdem Bajulum Paulum constituistis: & ubi vos singulare illud esse dicitis Pauli elogium: *ut portet nomen meum:* ego quoque in idem encomiū omnem Divæ Barbaræ commendationem reducam. Atque ut argumento fidem ex ipso Barbaræ nomine eliciamus, ad Hebræos fontes animū revocate, ut quandam Divinitatis speciem eruatis. Nam si, quem filium nos appellamus, illi *Bar* nominaverunt; si verò quod nos voce, *genuit*, aut *creavit* significamus, illi dissyllabo verbo *Bara*, ex æquo exprimunt; ex etymo nominis illud tandem efficimus; ut si cui Barbaræ nomen ingeratur, idem ex Hebræorum vocibus Filium vel genuisse intelligat, vel creâsse. Qua quidem nominis origine non illud solùm intelligimus, cujus demùm artificis singulare opus extiterit Barbara; sed hoc quoque animadvertimus, in suavissimi illius nominis impositione id præstitisse Deum, quod celeberrimi etiam hodie Pictores usurpant: qui si colores forsan per artis industriam absolutissimam digesserint in imaginem, ut cujus à penicillo consummatum opus fluxerit, posteritas non ignoret, nominis sui characteres, velut perenne suæ famæ monumentum subscribunt: *Apelles faciebat, Rubenius pingebat,* dum Filius ipse compar æterno Patri Deus, ubi consummatissimæ virtutis opus Barbaram efformavit, ut excellentiā operis vel ab Authore æstimaremus; hujus impositione nominis suum veluti subscripsit *Bar-bara, Filius creavit:* eo tamen discrimine, ut si illi, cum quodam perfe-
ctionis

ctionis defectu (ita ex imperfecto tempore suspicari licet) omnem imaginis elegantiam faciebant, aut pingebant; DEUS certè ad cultissimi operis perfectionem, perfectum quoque verbum subscribat in Barbara *creavit*, aut *genuit*. Ut intelligamus ex ijs, si nullum est humani moliminis opus, cui non sua adhærescat imperfectio: Barbaram sanè non esse humanæ industriæ laborem, cui eadem Divina manus Bar-bara, hoc est perfecti temporis verbum adscripsit, quæ ipsam contulit perfectionem. At quid hoc demùm singulare est in Barbara, quod vel illa cœlestium miraculorum pompa, vel circumnatantis arrisus auræ, vel limpidæ aquarum percussiones, vel stantis Oceani pigritia, vel montium tumentes clivi, vel effusæ planitiei amœna theatra, inter sua encomia non adnumerent? Istud omninò, quod quanquam universa illa sanctissimâ conspiratione à nobis evincant facilè, ut ea Divini moliminis augusta quædam opera esse intelligamus; ipsa tamen omnia, à sibi innata imperfectionis labe penitus removere non valeamus, quam jam inde à sui exortu contraxerunt. Consulite enim sacrorum oraculorum arcana, & ubi perlegeritis illud: *quando præparabat cælos, quando certâ lege, & gyro vallabat abyssos, quando æthera firmabat sursum, & librabat fontes aquarum, quando circumdabat mari terminum suum, quando legem ponebat aquis, ne transirent fines suos, quando appendebat fundamenta terræ:* sic demùm statuite: maturo consilio Sacrũ Oratorem ingenitam rebus imperfectionem, ipso verbi significantis tempore expressisse; cui meritò & ipsi adscribatis *DEUS faciebat*. At verò ubi applicata Divina manus ad illam, quam veneramur Tute-

larem, nostram *Barbaram* efformandã, tunc enimvero sine omni rei imperfectione *Barbara*, *Filius fecit, creavit*. Unde illud quoque non violentâ deductione conficimus; *Barbaram* eâ nobis lege à Filio datam, *ut portet nomen ejus*, quæ vel in capite, ac primâ nominis sui syllabâ totum Filium gerit. Quod dum unâ mecum concluditis, nolite obsecro, nescio quas, inanes nominis umbras, aut otiosam in *Barbara* concipere nomenclaturam. Alexander ille, degener sui nominis hæres, potuit à Macedone increpari, juberique vel Alexandri nomen ponere, vel motus Alexandri inducere. Illis ignava sunt omnia, qui quam jactant sanguinis claritatem, factis obscurant: quibus paternus est gladius, sed timida manus: Majorum sunt clypei, sed ignavo pulvere sordidi: intrepida Majorum est cassis, sed leporis caput: quibus præter nomen virtutis avitæ, nihil est super: quibus nomen ipsum suæ est segnitiei exprobatio. *Barbara* quod in nomine gessit, expressit in factis. Magni artificis magnum opus: *Filius creavit*. Magni Parentis magna filia: *Filius genuit*: Utroque nomine vel Parentis sui, vel artificis syncera epigraphe, breve compendium, viva pictura, expressa imago. Sed neque hinc Partheno-Martyrem nostram vulgò omninò eximimus, unde primum ejus excellentiæ emendicamus argumentum. Nam, ut infinitas alias naturæ impressas Divinitatis imagines prætereamus, quis ignorat illum Dispensatorem dierum: stellarũ Imperatorem, Parentem hominum, Rectorem temporis, annorum metatorem, naturæ speculum, pupillam cœli, cor universi, mundi animam Solem, DEI quoddam esse simulachrum! Certè si Sol Heraclito

est

eſt fons luminis, Jamblicho eſt viſibilis imago Divinitatis: Si Sol Hebræis eſt lux, Filius DEI *lux vera eſt, quæ illuminat omnem hominem:* Si Sol Orpheo eſt oculus Juſtitiæ, ſacratiſſimo Patrum Senatui & Eccleſiæ univerſæ Filius DEI eſt *Sol Iuſtitiæ:* Si Sol Platoni Coloſſus eſt, aut Idolum Divinitatis, DEI Filius *in Sole poſuit tabernaculũ ſuum:* Si Sol Homero eſt Thios, ſeu Divinitatis Filius, Filius DEI à Patre procedit in ſimilitudinem producentis. Ut non immeritò proinde ipſe ſe aliquando *Solem, Lunamque Mundi* nuncupaverit. Quare fatebor non invitus, quòd Barbara DEI Imago ſit; hoc habere cum Sole, & cum cæteris, quæ noſtris oculis ſe exhibent creaturis commune: quibus non ſecus ac olim eburneo Minervæ ſcuto Phidias ſui Imaginem ita inſculpſit, ut eam divellere non poſſis, niſi cum univerſi operis detrimento. Authorem ſuum ſapiunt omnia, produnt omnia; ut Solem radius, ut ſpeculum formam, ut ignem calor, ut Magiſtrum Diſcipulus, ut fontem rivus, ut plagam ventus, ut ictus vim, ut venam aqua, ut fructus radicem. Ut me etiam conſentiente præclare Boëtius univerſum hoc Imaginem eſſe DEI pronunciaverit. Id tamen non ſapiunt univerſa, ut quantumvis ſint DEI figmenta, & manuum ejus creaturæ, genuinæ tamen ejus ſimilitudines valeant nominari. Utcunque ſapiat artificem opus, nondum eſt tamen artifici ſimile. Utcunque ſit expreſſa vel coloribus Imago, vel in ſpeculo forma, necdum eſt tamen, vel ſpeculantis, vel imaginati ſimilitudo. At dum Barbaram Partheno-Martyrem Tutelarem veſtram à Filio non creatam modo, ſed genitam ex ipſo nominis etymo intelligitis; ſingularem quoque

cum

cum DEI Filio similitudinem ejus animadvertite. Nam, si Philosophorum placito, generatio est *origo viventis à vivente in similitudinem naturæ*, Barbaram Patronam Præsidemque vestram revocata ad Hebræorum fontes nominis elementa, à Filio genitam esse contestantur. Si secunda in Augustissima Trinitate persona *procedit vi generationis in similitudinem naturæ*, Barbara Antistes vestra se à Filio genitam gloriatur. At neque dum ad singularia Barbaræ eluctati sumus encomia: qui cùm cætera, quæ hoc universo continentur, picturam aliquam imaginemque DEI esse fateamur; hominem tamen etiam quemlibet ad *similitudinem DEI conditum* esse non possumus diffiteri. Accepimus hoc ex Divinitatis tripode: audivimus à Zoroastre Bactriano in Chaldæorum oraculis: intelleximus ex Poëtis à Phocylide, & Nasone; ex Oratoribus à Cicerone; ex Astronomis à Manlio; ex Philosophis à Stagirita. Ita omninò est: fuit aliquando *simulacrum similitudinis DEI* in terris homo: sed ô infœlix metamorphosis! *Cùm in honore esset*, non intellexit: *comparatus est jumentis insipientibus, & similis factus est illis*: deperditaque illa speciosissimi Numinis similitudine, unus publica omnium confessione exclamavit: *Ut jumentum factus sum apud te.* Hæc est infelix illa sociorum Ulyssis in feras metamorphosis. Hæc est Pythagorica metempsychosis, seu humanarum animarum in bestias ferasque transmigratio; quâ exutus hominem, vel superbus in Leonem, vel rapax in Lupum, vel mordax in canem, vel insidiator in Pantheram, vel in Tarantulam invidiosus turpissimè degeneravit. Ut verùm omninò sit, quod edixit Boetius:

Boetius : *Versi in malitiam homines humanam quoque amisêre naturam. Evenit igitur, ut quem transformatum vitijs videas, hominem æstimare non possis.* Verùm est, quod non sine intimo animi sensu ac dolore exclamâsti Orator auree : *Nihil miserabilius esse peccatoribus*, qui & ipso hominis nomine priventur. Fuerit ergo, DEO sic jubente, olim ejus similitudo mortalis homo : at ipse vitio suo exuto DEO in similitudinem abiit belluarum. Una, una est diva Barbara, quæ quam sumpsit DEI similitudinem nullo unquam vitio deposuit. Quare si verum est illud Legati gentium Pauli : *Qui adhæret DEO, unus Spiritus efficitur cum eo* : unam animo semper ac voluntate cum DEO spectate Barbaram, ut quam simillimam agnoscatis. Quid non egit; ut avelleret furor, tyrannis ut abscinderet, dolus ut abstraheret, crudelitas ut amorem à DEO avocaret! Includit tenebrosæ turri : sed amor ipse & fax sibi est & oculus ; & divina in tenebris plerumque videt acutiùs. Hominum arcentur consortia ; sed supplent Angelorum : ut si amicitia aut pares facit, aut invenit ; nihil non Angelicum in Barbara agnoscere debeamus. Evadit castissima Danaë è turri in libertatem ; sed simul Patrem habet persecutorem. Ut expeditior instet fugienti, paternum deponit affectum : nimis gravem ratus sarcinam, filiam persequenti. Sed ubi paterna viscera genitor exuit, prope materna rupes aperuit ; quæ fugientem sinu excepit. Retrahitur in vincula, sed libertatem amor non amittit. Loris & flagellis concutitur, sed amor non excutitur. Præscinduntur ubera: quasi verò tam adhuc esset illius amor tenellus, ut lacte indigeret, quod invidit tyrannus. Ubi lac

non

non potuit, ſanguinem dedit. Virgo amori jam adulto,& vulnera ſitienti. Quid reſtat,niſi ut verticem prębeat crudeli nimiùm Agamemnoni Iphigenia ? Præbet: & uno ictu reſecatur. Agnoſcite non duræ cervicis amorem. Sed nolite hic,ubi collum inciditur Virgini,amorem credere ſuperatum. Proſtratum videte potiùs ab amore tyrannum. Cadit de cœlo grando, ut tyrannum lapidet vindex fulgur accendit ignes, lupo in terrorem: eliſum fulmen in impium labitur, ut vel hac ſaltem ratione tam immane ſcelus conteratur. Adeò amorem Barbaræ nihil extinguere, nihil infuſam ſemel expreſſamque DEI ſimilitudinem potuit eradere. Sed audio,neſcio quem, dilaudantem Sebaſtianos, in quos denſus telorum imber; Stephanos,in quos ſaxorum grando; Ignatios, in quos Leonum rictus; Laurentios, in quos ignes & flammæ; Catharinas, in quas ferrum & rotæ ad evertendum, extinguendumque amorem illum, ſimilitudinis aut conciliatorem, aut conſervatorem nihil omninò valuere. Altiùs ergo nobis Barbaræ cum DEI Filio petenda eſt ſimilitudo. Mittamus cætera. Iſtud ſingulari prærogativâ tuum eſt, ô Virgo Martyr Barbara tutelaris: æternæ morti ſurripere morituros, ſempiternamque in vitam certo munimine aſſerere.Hoc agis,quod factus homo DEUS, cujus ille unus labor ſtudiumque fuit, æternam nos in libertatem felicitatemque reſtituere.Tu enim in naufragio ſecuritatis tabulam ſuggeris, in tempeſtate portum aperis, in prælio ſcutum porrigis, in lapſu ſinum ſupponis. Quiſquis opportunè in calamitate à DEO collati beneficij magnitudinem ab ipſa malorum ingruentium gravitate ponderavit;ab ipſa immi-

imminentis periculi atrocitate patrocinij à Diva Barbara impensi eminentiam facilè æstimabit. In suprema enim mortalium calamitate, ubi frustranea sunt hominum solatia, nil profutura remedia, una est illa consolatrix, una est (date veniam audaci verbo) una est ad plenitudinem Redemptionis interventrix; dum ut mortem avertat, *panem vitæ* subministrat: ut solamen adferat, consolationem DEI Angelum æmulata, calicem propinat ad animarum salutem ebibendum! O sanctissima Patrona! ô Tutelaris! ô Præses! ô Virgo! ô Martyr! ô Barbara imago Divinitatis, *simulachrum similitudinis DEI*. Imaginem hanc dum ego hodie vestris animis proposui, Domini Sodales, pictores vos postulo; qui cùm elegantis operæ, cultissimique laboris picturam cum admiratione fueritis contemplati, etiam ad imitandi studium accendamini. Depingite in animis vestris Barbaram, ut totum DEUM depingatis. Date *corda vestra in similitudinem picturæ*. Illud tamen memineritis, vetusta Romanorum lege sancitum fuisse olim, ut è vili servorum turba picturam nemo exerceret: ut si quem sua redegit in servitutem cupiditas; si cui sævo dominatur imperio effrænis animi licentia, si quem sua sub lora redegit improbitas, expediat sese vinculis, dirumpat catenas, jugum excutiat: ut *sicut portavit imaginem terrestris hominis, ita portare possit & cœlestis*: & tum demùm libertati donatus, liberalissimam hanc pingendi artem sui in cordis tabula exerceat: Veterem querelam sibi trahat in laudem: *Verumtamen in imagine pertransit homo*. Sit alijs sanè in opprobrium, *pertransire in imagine*, dum famam depingunt in aëre, vanum nomen in littore, laudum

irides

irides in vapore, perituras Coronas in bullis: vestra ea sit commendatio, *pertransire in imagine*, dum unâ vestra assidua perpetuaque sit occupatio in animis vestris Barbaram effigurare. Quod solenne Apelli fuit; id vestrum sit symbolum, *nulla dies sine linea*; donec etiam extremum trahatis in Barbara. Utinam ea mihi, ea vobis contingat felicitas, ut cùm in supremo vitæ margine animas nostras inspectans DEUS quæsierit: *Cujus est hæc imago?* subscriptam reperiat Barbara; unicum nostræ felicitatis argumentum.

Dicta Viennæ Austriæ ad Sodales S. Barbaræ in conversione S. Pauli

---

ORATIO XXII.

DE S. IGNATIO,

SOCIETATIS JESU Fundatore.

Ex lapsu Ignatij erectus mundus.

HErous Ignatij animus, inter insanientes Gallici furoris metus imperterritus, inter obscuras Gradivi nubes serenus, in fatali lapsu erectus, illud in Panegyrista suo efficit, Auditores, ut depulso timore constans, excussa dubitatione intrepida, exanimi spiritu ad vitam propè revocata vitalis facundia erigatur. Enimverò jacere non possum unus; ubi exsurgit Orbis universus. Neminem sui immunem pertransit *Ignatius*, cujus mens universum Orbem complectitur. Non potest negli-

negligere suum, vel in timore pallidum, vel in humilitate jacentem filium; qui etiam hostes ad animi firmitatem celsitudinemque erexit. Hoc habet ignitus ille calor, qui in mundi salutem verecundo illapsu tuam, *Ignati*, afflavit tibiam, ut animum superingressus Oratoris, diuturnam linguæ glaciem resolvat in panegyrum. Et movet illa etiam, qua parenti optimo non degeneres filij obstricti, sumus, obligatio; ut qui inimicos quoque habuit laudatores, suâ à domesticis non fraudetur commendatione. Nefas est silere filios, quando fœcunda adversariorum eloquentia excurrit in laudes *Ignatij*. Detrahit paternis laudibus, quisquis eas audit otiosus. Dubitasse de laudationis materia credi potest, qui spontè sese taciturnitatis imperio vinculavit. Enimverò silentiū est illustrissimarum laudum obscura nox, gloriosorum facinorum angustus carcer, & meritæ per accumulatas virtutes commendationis turpissima sepultura. Ne ulla tuis laudibus per injuriam umbra misceatur; ignis es *Ignati*: ne arctum cogaris in carcerem, orbem universum in libertatem asseris: ne tua turpi silentio sepeliantur facinora, eo ipso die cœperunt à lapsu principium, quó pluvias in ignibus linguas inaudito prodigio cœlum terris liberaliter indulsit. Quanquam cùm excelsa tua *Ignati* merita in animum demitto profundiùs; intelligo demùm illa supra hominum evecta conditionem, eò celsiùs evasisse, quò verecunda eloquentia represso figurarum volatu sola audeat admiratione aspirare. Unde quantum me debita Parenti hortatur obligatio, tantum negata exequendi facultate illustrium factorum deterret majestas. Exigis Parens optime ab obsequi parato filio

filio debitum virtutibus tuis commendationis tributum; commendandarum augusta rerum dignitas, quamvis invitum, cogit esse inobsequentem. Par in utroque scelus, sive loquar, sive sileam; ubi nec loqui licet sine irrogata laudatis rebus injuria; nec silere sine derogato virtutibus tuis debito laudationis splendore. Siluisse præstat, quàm loquendo virtutem sauciare. Sed & siluisse nefas est, cum nullum debeant magnę virtutes Oratori facessere laborem. Et procurata verbis commendatio, & imperatum à timore silentium occulta quædam detractionis est species. Ægrè maxima creduntur heroicæ mentis facinora; quæ magnificis aliquando verbis non intumescunt. Ægrè mortales supra limites elata creduntur opera, quibus admiratio nullum decrevit Panegyristen. Ut nemo alienis dictis est major; sic nemini suas impendit opes eloquentia; quàm cui suffragium tulerit magnitudo. Ut quemque sua facta honestant; sic facinorum quoque Solem umbra sequitur orationis. Equidem laudatus maximè est, qui fecit maxima: at vulgò tamen eum communis non eximet opinio, nisi sub amata demissionis nocte sepultum præmium eloquentię lumine illustretur. Meditata superstitiosè verba minoris virtutis sunt argumentum: at negata rebus commendandis laudatio, est incitatæ ad gloriam virtutis repressio. Quid ergo? loquarne cum injuriæ crimine? an cum detractionis nota silebo? Ubi alterutram in partem discedere prohibemur, abire in utramque non vetamur. Et loquendo silere, fas est, & loqui silendo. Sic in tuarum, Ignati, virtutum commendationem feratur oratio, ut silentij culpâ vacet: quâ si dixisse nihil videbor, ipsum silentium facundissimus

erit

erit tuarum laudum Panegyrista. Uberius enim illum commendaveris, quem pro dignitate nunquam satis potueris commendare. At ne mea in incertum vagetur oratio, sese ad prostrata Pampelonę mœnia affigat *Ignatio*. Ibi primùm assurgat, ubi jacet *Ignatius*: ibi sua combibat lumina, ubi ille fumo involvitur; ibi secundo flumine devolvatur, ubi ille Martiali sanguine diffluit; ibi expatietur libera, ubi collapsum muri fragmen pedes collidit Ignatio. Quo illud lucri mihi eveniet, ut si in illustri materia obscura processerit oratio, caliginoso istud fumo, quo Gallicus Ignatium furor involvit, tribuatur: si Scazontem ægrè protraxerit, suo sese themati accommodasse judicetur. Nec erit turpe ibi claudicare Oratorem, ubi cum honestate claudicaverit dilaudatus. Si adjacuerit oppressus Orator, in gloriæ id partem ducet, se adjacere prostrato Ignatio potuisse. Sed in ipso Ignatij fumo mundi lucem, in vulnere orbis salutem, in Ignatij lapsu erectum orbem, in confracto crure erecti orbis constantiam speculabor. Ego enim sic existimo, felici illo, & sæculorum votis desiderato Ignatij lapsu orbem omninò universum suis erectum à casibus constitisse. Quod si ad commendationis fumum speciosè magis, quàm ad rerum laudaturum majestatem verè à me dictum esse existimetis, Atlantem fortasse desiderabitis, cujus amplissimo robore sinuata brachia mundum complectantur: invictissimum Alcidem postulabitis, cujus humeri dubitantis mundi ruinæ subjecti casum prohibeant. Dabo Atlantem, dabo Alcidem, & quæ per singulos amplexuum, roborisque parca virtus dispersit, in uno spectabitis Ignatio copulata. Cujus in brachia amplexando orbi

orbi succeſſit charitas, in humeros attollendo mundo fortitudo. Illa facit, ut velit, hæc, ut poſſit. Non ſufficit charitate deſtituto, admiranda licet fortitudo: Charitas ſine fortitudinis conſortio jacet. Facilè non poteſt, qui non vult; fruſtrà vult, qui non poteſt. Voluntatem in Ignatio accendit charitas; facultatem præſtat animi celſitudo. Ac de prima, quid eſt, quòd verba faciam apud eos maximè, quibus cùm Ignatij ſit notiſſima charitas, tum nihil perſpectiùs habent, quàm Ignatij hiſtoriam, hiſtoriam eſſe charitatis. Quem ſi nunc, & coram adſtantem liceret intueri, in ipſa Ignatij compoſitione charitatis exemplar agnoſceretis. Corpus enim illi erat, quale charitas ipſa; ſi quod mortalibus videnda oculis corpus aſſumeret, induiſſet. Statura mediocris, ſed in ipſa tamen mediocritate ſublimis, ut paulatim à terra diſcedens cœlo ſeſe attollere videretur. Frons illi erat ad ſerenitatem explicata, in qua aptiſſimis characteribus amoris comes deſcripta legebatur affabilitas: ſupercilia ne in tumorem aſſurgerent, gratiſſima animorum conciliatrix modeſtia deprimebat: gemini oculi geminæ erant amoris faces, quas nec ſine demiſſione attollebat, nec ſine laudabiliter ſuperba elatione deprimebat. Vultus colore fuſcus, quaſi emicantem laborabat virtutem modeſtiâ obvelare; niſi permixtus igneus interiorem amoris flammam proderet: humeri ad ſuſtentanda onera ampli, pectus magnæ animæ capax, totus Ignatius viva Charitatis effigies. Sed nolim magis corpore, quàm animo expreſſam in Ignatio exiſtimetis charitatem, cujus diviniſſimum pectus delapſa cœlo charitas viſa eſt animare. Sic enimverò

decerno,

decerno, animum in corporis universo esse primum motorem, in intellectus cœlo solem, in frigido voluntatis palatio ignem, in oculis facem, in vultu colorem, in fronte serenitatem, in labris risum, in venis vigorem, in corde calorem, in tota membrorum curia Dictatorem. Ut dum pyropos in oculis, vernam in fronte serenitatem, rosas in genis, viva in labris corallia, amœnitatem in vultu, dexteritatem in motu, ardorem in pectore, laborem in venis, in corde lumen, in voluntate flammas uni animo non iniqui rerum æstimatores attribuimus; illud quoque intelligamus, solâ Charitate Ignatio scintillare oculos, rubere genas, candere frontem, ardere pectus, salire venas, intellectum illustrari, stimulari memoriam, voluntatem accendi, ipsam animam ipsam esse Charitatem. Utinam in arcanum Ignatij penetrale libera subingrediendi nobis concederetur potestas! Intueremur scilicet in augusto illo pectoris solio Reginam dominari Charitatem; spectaremus in scelus designari prælia, damnandæ licentiæ refigi tabulas; impuritatis antiquari decreta, revocari in urbes æquitatem, in lares concordiam, in templa religionem. Videremus Juventutis licentiæ parari fræna, senectutis desidiæ incitamenta, castimoniæ asyla, morum innocentiæ munimenta. Animadverteremus Dominam in animos restitui rationem, domitam ab membris ejici cupiditatem; reduci in penetralia sanctimoniam, expelli à moribus corruptelam; neglectum in domibus calcari luxum, cultam in compitis obviare modestiam; prostratam in tribunali jacere injustitiam; erectam in foris stare æquitatem. Conspiceremus præstandis impendi consiliis linguam, exhi-

bendis auxiliis manus; adeundis periculis pedes; subeundis oneribus humeros; animum animis excolendis. Conspiceremus fluctuanti constantiæ recludi portum, æstuanti impudicitiæ affundi frigidam, grassanti calamitati repagula objici, calcitranti formidini stimulos subjici, exultanti audaciæ habenas imponi. Intueremur denique ab animosa Ignatij Charitate Idolorum vastari fana, æterno Numini dedicari altaria, impietatis aras everti, Religioni templa consecrari, & barbaras illas nauseantis naturæ vomitu extra mores, extra humanitatem ejectas regiones ad humanitatis ac virtutis consortium advocari. Jam tum scilicet ea rudi cogitationum penicillo in Ignatij pectore Charitas depingebat, quæ felicissimo eventu in utriusque Orbis incolumitatem ad exitum deducta gratulamur. Quâ unâ re ita veterem dehonestavit fabulam, qua nescio cujus animo dominandi calor fasces & secures, sceptra & coronas, regiones & Provincias, Regna & Imperia insculpsisse ferebatur: ut in summam gloriæ partem trahi debeat, nullam esse regionem tam barbaram, nullos tam ab humanis moribus secretos populos, nullam tam à ferocia & immanitate infamem nationem, quæ in amplissimo Ignatianæ mentis theatro depicta, ejus vel non flecteretur institutione, vel non exerceretur legibus, vel non armaretur exemplo, vel spiritu non imbueretur. Eras ibi non minus animis, quam vultibus obscuris Oriens, cujus ille squalori Xaverium jam destinabat. Eras in illa calentis amoris officina rigidissime Septentrio, cui accedendo Claudium Jajum præparabat. Eras in illa Charitatis sede afflictissime Occidens, cui ne occideres

animo,

animo, ſemetipſum dedicabat. Neque tu ocelle mundi, Archiducum nutrix, Regum Cæſarumque mater Auſtria abeſſe poteras, cujus incolumitati Claudium Jajum devovebat. Vos quoque Italia, Gallia, Luſitania, Lainio, Salmerone, Rodericio beabat Ignatius. Univerſus denique in ea amoris tabula deſcriptus erat orbis, qui ut in Ignatij animam ingrederetur, per vulnus ſibi viam patefeceret. Enimverò orbis ille è ferro frigidus, qui ad genua tua ſupra Pampelonæ mœnia eſt allapſus, mundi ſymbolum fuit; à te calorem poſtulantis, cui non ignobilis Poëta affixit lemma: *Affuſus genibus totus tibi ſupplicat orbis:* certus tum primùm exuendæ glaciei, cùm in ſecretum cogitationum tuarum Igniarium ſubiverit: certus vetuſtæ rubiginis eradendæ, ubi tuæ Charitatis fuerit incendio inflammatus. At quo te inconſultæ mentis conſilia præcipitem agunt veſane munde? Audes à proſtrato auxilium, à jacente robur, à propemodum exanimato vires ſperare? Ita profectò Auditores, ea omninò ratione ſe ſibi reſtituendum ſperabat Orbis, qua primis ſuis exordijs fuerat ex nihilo evocatus. Repetite enim univerſam naſcentis humani generis hiſtoriam, ut renaſcentis per Ignatium Mundi hiſtoriam intelligatis; ad illa prima exorientis orbis redite primordia, ut feliciſſimum reviviſcentis in reſurgente à lapſu Ignatio præludium videatis. Videtis illic, Deo ſic jubente, proſtratos Adæ lacertos, ut primitiæ inde mortalium extrahantur & aſſurgant! Ego verò, dum terræ afflictum ad Pampelonæ muros cerno Ignatium; Divinæ Providentiæ id eſſe conſilium intelligo, unius lapſu jacentem orbem reſtaurare. Videtis illic tolli unum

de ossibus Adam ? Ego verò tolli unum de ossibus Ignatij animadverto. Videtis illic ædificari in mulierem ? Ego verò ædificari gratulor in heroinam JESU Societatem. Videtis ab illa matre universum hominum genus propagari ? ego verò ab hac parente devastatum video reparari. Age hic Augusta heroum cœlestium Parens, Orthodoxæ fidei Nutrix, Religionis tutela, vitiorum victrix, virtutum omnium Assertrix Societas, prima exortûs tui incunabula speculare. Dùm te ad vitam enititur Ignatius, Pampelonæ collabuntur munimenta, ut vel spontè in tua prima fundamenta confluant, vel Tartareorū eversioni castrorúm præludant. Involvitur fumo Exercitus, ut per tuas Amoris faces fuligine suâ in lucem Orbis evolvatur. Plaudunt tympana, ut indormiens erroribus suis terra excitetur ad veritatem. Classica intonant, ut receptui canant impietati. Ex osse nasceris. Auguror! cùm universa mundi caro defluxerit, tu adhuc perseverabis superstes. Hoc enim habent ossa prærogativæ, ut putredinis nescia post exesas à serpentibus carnes propè supervivant. Ex osse nata es fracto, sed inde integritatem hausisti. Vulnus illud Ignatij medullas patefecit, ut non tantum exteriores mores, sed & medullas parentis imbiberes. Ex osse nata es pedis, ut vel cadentis quondam Viraginis Evæ lapsum stando corrigeres; vel jam tunc in futuras contra inimicos excursiones parareris. Ex osse nata es, ut cùm cæteri mortales in microcosmo sunt caro, tibi ossium vices incumbere intelligas; ut corpus relabentis Orbis erigas, erectum fulcias, fultum consolides, promoveas solidatum. Atque ne singulorum præcepta desideres; unum

omnium

omnium compendio amplissimum exemplar spectabis *Ignatium*. Videbis ut humiles exosus valles Serratum collem superabit. Credo ego ad Stellam matutinam properabit, ut vel primus affulgentis salutis radios intueatur: vel qui in *Aurora* quondam creatus esse mundus dicebatur, idem *Ignatij* ope ad *Auroram* quandam recreetur. Miraberis ad elementarios Barcinone pueros virum tricenarium sese demittere, sed primas ibi accendet faces exurendæ antiquæ mundi rubigini. Stupebis ægrorum per Xenodochia servire necessitati; sed per corporis vulnera in vulnus penetrabit animorum: ulceribus etiam ora applicabit, pus exsuget, ut abditum intimis animi medullis toxicum exsugat. Sequêris Italiam, Galliam, Hispaniam percurrentem, ut discas non uni loco affigi Charitatem: alatam illam esse Deam, & cum Sole curas dividere. Ad illud tecum hærebit Orbis attonitus; *Ignatium* tempestate perfrigida, mordente gelu, stringente glacie, nudato corpore in lacum demergi; sed illud inde conficient Lutetiæ, probatam *Ignati*: Charitatem aquis multis extingui non potuisse: illud commendabit Gallia, submersum Cypriis aquis animæ pretium in piscationem ab *Ignatio* perquisitum. Illud pons admirabitur; glaciem obstinati in scelus Juvenis, sui nominis ac virtutis igne *Ignatium* eliquare potuisse. Illud cœcutiens fatebitur Juvenis, sibi ab *Ignatio* lucem accensam. Illud testabuntur undæ, naufragæ succursum esse castitati. Illud denique proclamabit orbis, antiperistaseos virtute flammantem *Ignatij* charitatem ea cœpisse incrementa: ut angusta jam pectoris perfractâ areâ erumpat in verba.

ba. Ibis impurissime Adolescens, devota stygi victima, ibis libidinum tuarum ardore incensos Inferorum ignes acriùs excitare, dum ego piacularis victima fulminantem è cœlo vindictam sustinebo. Resistit attonitus Juvenis: tum primùm stare condiscit, in præceps aliàs assuetus abire. Firmat gressum in ponte, cui mox reparatæ Integritati cedet in arcum triumphalem. Defigit in stagnum oculos, quos cœlo attollere pudor vetabat; concutitur animo, sed ipsa concussione impurissima Venus excutitur. Suspirat: sed inter suspiria Cyprius ignis expirat. Illachrymatur ubertim; ut vel tot fœdatam sceleribus animam oculorum imbribus abluat: vel illicito arefactas ab æstu medullas rore irriget lachrymarum. Viam denique relegit; detestatur amores, erroresque emendatione castigat. Quid ad hæc Charitatis exempla addi posse existimatis? Obstupuêre scilicet, Lutetiæ, & cùm integritatis candorem propagari viderent, derivatum à luto nomen propè amiserunt. Ego verò nihil miror, qui *Ignatium* non dubito Paulinam combibiturum charitatem, cujus ad similitudinem jam jaciuntur vitæ melioris fundamenta. Fulminatus è cœlo Paulus prototypon est *Ignatij* à Pampelonæ mœnibus deturbati. Augustus ille turbo lucis, qui affixum solo Paulum involvit, splendoris ejus symbolum est, quem in prostrati *Ignatij* viscera per tibiam subingressum accepimus. Nata in oculis de luce cæcitas, *Ignatiana* est cæcitatis imago, quæ obducto veluti velo prohibuit interituræ gloriæ fumum nihilumque dignitatum conspicari. Illud denique ab ipso Numine in Paulum, elogium est in *Ignatium: Vas electionis est mihi iste, ut portet nomen*

men meum coram gentibus & Regibus. Atque hoc est, quod ingeniosissimus ille, quisquis fuit, ab arte pictor expressum voluit, dum ad Hominis Dei pedes provolutum in gemma depinxit *Ignatium*, cujus ille manibus divinâ elaboratum dexterâ labarum, augustissimo *IESV* nomine radiatum, committeret, cum epigraphe: *Vt portet nomen meum coram gentibus & Regibus*. Ex quibus illud conficio, ut si natam primùm in Damasceno lapsu Doctoris gentium agnoscitis Charitatem, *Ignatij* quoque fervorem in Pampelonensi casu sua sumpsisse exordia non dubitetis. Sed nescio quia mihi præsumptuosus imperavit affectus. Angustis nimium cancellis parentis encomia concludimus. Elaboratæ à filijs parentum laudes impensam etiam ab hostibus commendationem excedant oportet. Ea duntaxat protulimus domestici, quæ ne facilè negaverint inimici. Illud de tuo nobis animi ardore persuademus *Ignati*, eum (date veniam verbo) prope cum Divino, verecundè tamen, posse comparari. At Herois mores nisi traxerit & affectus, Heros vix unquam sui nominis usum concedit. Virtute Macedonem priùs exprime, quam dicaris Alexander. In quos magna cadunt nomina, propria nominum præmittunt facinora. Ut geras *IESV* nomen, *IESV* vitam repræsenta *Ignati:* hoc scilicet exigunt, ad quos præter *Ignatij* nomen, nihil perveniet. Nos qui Parentis vestigia assiduâ veneramur æmulatione, dum in brutorum domicilio nascentem speculamur humani generis Salvatorem, videmus etiam successorem *Ignatium* in stabulo felicitati nostræ exoriri. Cùm Senatorum Collegium à Christo convocari audimus, audimus

mus pariter ab *Ignatio* Decemviratum conſcribi. Cùm toto Orbe diffundi Apoſtolos gratulamur, gaudemus quoque neque Sarmatico frigore tardatos, neque Lybico calore prohibitos, neque Braſilicà feritate territos, nec Japoniâ aut Chinenſi immanitate perculſos *Ignatij* Socios, quò minus in extremos Orbis ſinus penetrarent, exulantem fidem reducerent, mores revocarent; humanitatis æquè & Divinitatis leges inveherent. Cùm non ſuæ venatorem, ſed paternæ vindicem gloriæ Chriſtum intelligimus, intelligimus *Ignatium*, *omnia ad majorem DEI gloriam* machinari. Cùm expulſos ab humanis pectoribus Chriſti voce tenebriones Orci legimus, legimus quoque per univerſam Italiam capitalem Inferorum hoſtem proclamari *Ignatium.* Cum Judæis aſtringi vinculis libertatem, virgis ſubjici innocentiam, illudi ſapientiam Chriſti, non ſine magno animi dolore, percipimus: percipimus æquè Gallorum, Hiſpanorumque vinculis natum ad aſſerendam mundo libertatem aſtringi *Ignatium*, inſonti Lutetijs virgarum parari ſupplicium, per Hiſpanorum caſtra amentis inſtar raptari. Cùm noſtram lacerari maledictis Salutem obſtupeſcimus; obſtupeſcimus quoque nullum eſſe hominum ordinem, nullam ætatem aut conditionem, cujus morſu non lanietur *Ignatius.* Cùm purpureos Charitatis imbres ex illa corporis nube, quam lateati prætexuerat Divinitati Homo-DEUS, defluere gloriamur; gloriamur pariter *Ignatianorum* membrorum ſanguine, purpurata maria, terræ ſinus in uberem fidelium meſſem fœcundatos. O *Ignati* viva *IESV* hiſtoria! an quia *IESV* vitam propè omnem adæquâſti, ſolo

quem

quem ille spirabat Charitatis Spiritu destitueris? Non feremus id audire, qui magni Ducis nostri Mutij Vitellesci impressa medullis habemus verba: *Sancta hujus Societatis unus est, eritque Spiritus, Spiritus IESV.* Neque dubitamus eosdem parentis actus animatos à sanctissimo Spiritu, quem in successoribus filiis Orbis universus experitur. Non patiemur id cogitare, qui cùm *Digitum Paternæ dexteræ* divinissimum esse Spiritum intelligimus, tum à Pontificis oraculis *digitum DEI* nominatum esse *Ignatium* non ignoramus. Non sustinebimus id animo concipere, qui & Spiritum illum *Ignem à DEO illatum* didicimus, & ingenioso Poëtæ Anagrammate *B. Ignatium de Lojola*, esse *Ignem à DEO illatum* ad exercitandæ charitatis incendia admiramur. Non dabimus id in cujusquam venire suspicionem, qui diem eundem & sanctissimi Spiritus lapsu illustrem, & *Ignatij* nobilem esse casu, gloriamur. Quæ cum in dubium nemo vocare possit, illud restat, ut veteres fabulosa Antiquitas demoliatur statuas Amoris. Delete Panegyricos vestros Oratores, quibus Amoris cæcitatem collaudastis. *Ignatius* affixus lectulo jam in nimbos resolvitur, ut oculos distillet ad cæcitatem. Eradite insanientis commenta ingenij Poëtæ, qui nudum confinxistis Amorem; *Ignatius* vestes nuditate. pauperie gloriam, commutat. Devorate tineæ, si quæ adhuc in chartis supersunt, sagittarum elogia, quibus Amor hominum animos impugnat & expugnat: Ignatio una est sagitta benefaciendi voluntas, quam veteris in opprobrium Abarydis qua emittit, insequitur. Illos denique, quos non sine commento Amoris fronti inaravit antiquitas

 (Æstatis

(*Æstatis* & *Hyemis*) quos pectori insculpsit (*Longè* & *Propè*) quos prætextæ limbo affixit (*mortis* & *vitæ*) characteres; debito veritati obsequio *Ignatij* fronti inaremus, insculpamus pectori, prætextæ affigamus: cui & Pontificiis oraculis, & Divinâ munificentiâ Divinissimi Spiritus eadem elogia Charitatis ita esse collata intelligimus, ut & vivam Christi Historiam *Ignatium* credamus, & dum ex illo reparatum à Divinissimo Spiritu mundum profitemur, de *Ignatij* pari voluntate dubitare non valeamus. Quam in sententiam si vestra etiam congerantur suffragia, laboriosam ego in orbis subsidia facultatem, magnanimamque *Ignatij* fortitudinem proclamabo. Enimverò nunquam in imbelli pectore resedit charitas. Quo ea pervenit, aut vires invenit, aut contulit. Ea vero ita *Ignatium* roboravit, ut quod ad nominis immortalitatem sibi Quirites olim arrogaverant, derogaverit, suæque effecerit virtutis tesseram. *Agere & pati fortia*, quod illi Romanum esse voluerunt. Ne victum proinde judicate, quem videtis prostratum. Vulnera fortitudinis sunt notæ, argumenta victoriarum. Cùm deponetur in plumas, jam tum vel substratas lignorum exuvias, vel nudum Venetiis aut Barcinone solum meditabatur. Cùm violentos sauciatæ tibiæ dolores reprimere cataplasmate allaborabit, voluntariis sustinendæ pœnitentiæ plagis corpus præparabit; cum dimanantem per vulnus sanguinem sistet, eò illum reservabit, ut olim prodigus animę totum possit sub barbarorum securibus profundere. In ipsis sauciati pedis fasciis suis vinculis & catenis præludet. Non ergo jacebit Ignatius. Antæus est; *à lapsu fortior*. Videbitis

debitis illum ad Serratum collem properantem: an ut primas ex edito pro hominum ſalute excubias agat? an ut ad Virginis illius aras, quam *Turrim fortitudinis* Majores noſtri compellaverunt, novis armis induatur? an denique ut ad *caſtrorum aciem ordinatam* dirigendæ aciei formam accipiat? E quibus, ſi augurari licet, jacebitis cœli odia, terræ lues, inferni proles, jacebitis Lutheri & Calvini, Zwinglij & Oecolampadij, Illyrici & Brencii, Melanchtones & Münſterij. Jacebitis Potochides & Amidæ: Jacebitis Idolorum delubra, quæ excogitavit mendacium, impietas fabricavit. Te quoque Stygis imbelle pecus ſcipione propulſabit, te ſolis litteris Lauretanis ædibus exturbabit. Sed furores tamen tuos coges in aciem, erumpes in orbem, irrumpes in ædes, imis à ſedibus convelles fundamenta. An ad hæc *Ignatium*, hâc & illâ parte meditaturum effugia arbitraris? Noſtra hæc eſt animorum imbecillitas, etiam priùs ſalutem circumſpicere, quàm periculis impetamur. At *Ignatius* ſi nutent ædes, nec advertet; cujus jam animus terris ereptus cœlo ſeſe immiſcuit: ſi in ruinam ſe flectant parietes, lapſum ſuo robore prohibebit; ſi convellantur fundamenta, ſtabit inconcuſſus. Jam tuas in *Ignatium* vires exere tellus, cui barathrum omne ſuccubuit; dabis ſcilicet carceres, dabis catenas; ſed non tot, quot ille jam calentis animi votis deſideravit. Mendozæ purpuratam teſtor veritatem. At maris pericula, Syrtes & Charybdes, Symplegades & Acroceraunia Virtuti opponetis? etiam lacerâ cymbâ tranſvehetur. Si hiet in valles pelagus, non deprimet animi celſitudinem: ſi navis latera verberentur fluctibus, non concutient magnitudinem.

Ibit navis secura naufragij, quia fortitudinem vehit. Terrarum objicietis molestias? Nudis arenas Syriæ Asiæque pedibus transvolabit, neque ardorem sentiet, majori amoris æstu inflammatus. Barbarorum lucos penetrabit interritus, ut Solis Justitiæ vestigia insequatur. Si montes opponet Natura, detumescent ad *Ignatianam* animi celsitudinem: si obtrectatorum linguas, silentio superabit. Nihil omninò erit, quod *Ignatij* possit lacessere magnanimitatem. Atque hæc est amplissima illa hæreditas, quam cùm ad seros nepotes transcriberet, diverbio illo comprehendit; *Bona* scilicet *agere, & mala pati.* Quod quidem abundè hactenus à te impletum videmus, *IESV* Societas. Nam quod in orbe est regnum, quæ in regnis provincia, quæ in Provincijs civitas, ubi non sis vel exilio mulctata, vel invidijs exercita, vel injurijs vexata, vel contumelijs lacerata? Sed non sensisti exilia, cui orbis est patria. Ejici regno potes, sed non orbe: cadere non potes, nisi in cœlum. Invidiam non ægrè pertulisti, quàm rectè factorum testimonium non ignoras. Nemo egestatem, sed opes vel aurum invidet. Pirata est invidia: onustas observat naves, parcit vacuis. Injuriæ & calumniæ virtutis cotes fuerunt, acueris Societas, cùm tereris. Unde furores cœlo propinquiorem stiterunt navem, cùm procellis intumuerint. Quid jam Barbarorum sævitiem, Tyrannorum crudelitatem invicto animo toleratam memoremus? Vidistis Comorinenses Criminalem & innocentiâ vitæ, & fuso etiam sanguine criminis nomen diluentem. Expertæ estis Insulæ Floridæ Baptistæ Seguræ sanguine irrigatæ, ut è floribus in fructum aliquando adolesceretis. Combibistis Salsetani Campi Rudolphi Aquá-

Aquavivæ & Sociôrum quinque funera; ut *aquâ vivâ* ad vitam irrigati surgeretis. Confixistis sagittis Petros Correas, Joannesque Sosas, crudeles Brasili, sed stimulos ad æternas coronas currentibus addidistis. Deproperârunt Oceanum tres cum Arabio Socij, ut per mare rubrum Ægyptiacâ servitute solveretur infidelitas. Habet suos Nangasachum Paulos, Jacobos, Joannes: Habet Anglia Campianos: habet Hispania Fernandios, Gallia Salthmochios, Orbis universus Societatis JESU cruorem; de quibus cùm gloriamur, eidem *Ignatio* ut parenti sobolem, ut radici ramos, ut Soli radios, ut Oceano fluvios, ita attribuimus; ut libeat quoque imitari, quod commendare delectat. Quid ad hanc in orbis salutē ex Ignatio natam charitatem & fortitudinem Ignatiana molietur posteritas? Non patiemur gloriosissime Pater, ne qua nostrâ subsequentium desidiâ tuo nomini labes inuratur: ut in nostra vivas commendatione, in nostris vives vestigijs: ne ut tibi gloriosum fuit, tantam nobis virtutum tuarum ac meritorum hęreditatem per tuorū etiam sanguinem consignare; ita nobis sit opprobriū, eum inertiâ nostrâ prodigere. Tu modò, qui jacentem erexisti mundū, torpentes nostras excita voluntates; è vastissimo tuę Charitatis igne lucem suppedita, quâ errorum tenebris involutas, non modo Asiæ, Africæ, Orientis Regiones, sed Europam. Austriamque nostram illustremus. Denique, quia monendi pręsumo potestatem; da renascentis mundi secunde Elia, ut fiat in nobis Spiritus tuus duplex, propensissimæ alter in orbis emolumenta voluntatis, alter in mortalis ejusdem incolumitatem expeditissimæ facultatis.

Dicta Viennæ Austriæ.

ORATIO XXIII.
DE SANCTO IGNATIO,

Soc. Jesu Fundatore.

Publico bono datus.

SI Virtutem nobile quoddam fingentis animi simulachrum esse existimarem, si eam Platonicorum seductis in errorem inter abditas Lunæ cavitates sublimem pendere arbitrarer; esset equidem, cur vel Ignatio veræ laudis nomen, quod hactenus virtuti soli publico mundi suffragio liberaliter concesseramus, hodie probè de rerum natura eruditi audacter denegaremus; vel ab iis splendoribus, qui sub oculos & communem vulgi æstimationem cadunt, aliquam pro Divo Patriarcha commendationis partem mendicaremus. Etenim si illustres familiæ splendores, si avitum Majorum stemma, si maculatum hostili sanguine Avorum sagum, si diffusa per hominum ora parentum gloria, si relati per vulnera triumphi, si Regum favor, & fecundioris Fortunæ ancillatus plebejos animos sui admiratione suspendunt: his saltem persuasum titulis ignarum vulgus aliquam Divo Ignatio panegyrim destinaret, quam ab inani Virtutis fabula Sapientes instituere, detrectarent. Nunc verò cùm Virtutem, sive illa viris nomen dederit, sive acceperit, præcipuam virorum notam esse intelligamus; quæ mentibus insita heroos animos à segnioribus terræ figmentis secernit; nihil omnino est, quod vel illa Fortunæ

tunæ ludibria, æquè probis ac improbis communia, in laudum Ignatianarum partem advocanda persuadeat; vel de vera laudationis materia nos ultra dubitare patiatur: ubi non otiosam sanctissimi Patriarchæ virtutem universus Orbis commendatione publicâ contestatur. Etenim sicut nulla est tam remotum ad mundi limbum damnata regio, nulla tam barbara Natio, nullus tam vasto secretus Oceano populus, ad quem laboriosa Ignatij Virtus, non fama tantùm & vacuâ narratione, sed liberali etiam beneficentiæ suæ impendio pertigerit, ita nullus est inter homines dignitatis ordo, nulla fortunæ conditio, nullum naturæ discrimen, quod cùm ea præstitisse Ignatium experiatur, quæ ab omnibus prædicari debeant; illud tamen effecisse non confiteatur, ut nullo sæculorum ambitu pro dignitate valeant prædicari. Nam si consideretur impensorum ab Ignatio beneficiorum multitudo, omnem Arithmeticæ numerum; si expendatur magnitudo, omnem Geometriæ decempedam; si suspiciatur singularitas, omnem Sapientum æstimationem; si expendatur utilitas, omnia populorum desideria superavit. Ut facilè mihi persuadeam, si in Romanæ superstitionis sæcula incidisset Ignatius, nullas intra mœnia futuras fuisse Laureas, quas non glorioso vertice ipse impleret; nulla theatra, quæ communi civium plausu non occuparet; nulla fana & delubra, quæ sui Numinis religione non consecraret. Sed non indiget inani admiratorum superstitione, qui solidæ Virtutis meritis omnem veræ gloriæ semitam occupavit. Suis ipse major est incrementis, quàm fictæ religionis mendacio. Non est pulchrum, quod eget calamistro: non est Virtus,

tus, quod vitio consectatur. Facessat ergo superstitiosa Antiquitatis religio, & exaggerata per sacrilegium commendatio: dum ipsa materia omnem facilè cultum verborumque facundiam supergreditur. Ipse suorum gestorum amplissimum est ornamentum; ut quisquis seu adscrititio cultu, seu orationis pigmento ornare voluerit, meritò timeat, ne corrumpat. Quare & ego mitto omnem de Eloquentiæ cultu sollicitudinem, quando ipsum sibi argumentum amplissima est panegyris. Quidquid tamen de te dixero, gloriosissime Patriarcha, dictum erit ad splendorem magnificè, quia nihil fecisti ad memoriam posterorum humiliter, amplissimè laudaberis, si quidquid protulerimus, necdum laudandi obligationi satisfecisse arguemur. Atque ut inde mea proficiscatur oratio, unde Virtutis ipsius commendatio petitur; ajo, uti Virtutem Regnorum Rerumque publicarum Matrem, ita Divum Ignatium communi orbis emolumento cœlitùs esse concessum publici boni propagatorem. Jam enim inde à primo ejus ad Pampelonę mœnia pręliantis casu, nescio quid ominis capio secuturæ in mortalium Rempublicam felicitatis. Videtis eum excusso muro prolabantem, qui ipsis propugnaculis fortior Pampelonam protegebat? si non subit memorię ex Poëtarum fabulis redivivus Antęus à lapsu fortior; subeat ex arcanis Divinitatis oraculis Paulus Divini honoris acerrimus propugnator. Si non ingeritur animo Brutus suo à lapsu Romę imperium assecutus; ingeratur Philippus, qui universam Africam suo jugo subjecit. Si non objicitur menti dejectus è cœlo Lucifer, objiciantur ea sidera, ad quorum lapsum, *nostra redemptio appropinquabit*. Si non repræ-sentatur

ſentatur Horatius Cocles ægrè ſcazontem molitus; repræſentetur Jacob in femore percuſſus, ut à vulnere multorum populorum Pater constitueretur. Si non cogitatur Severus, quamvis pede claudus feliciſſimè imperium erexiſſe, cogitetur Philippus vulnerato femore ſuas per univerſum orbem victorias protuliſſe. Si verò ſpectatur è ſublimi propugnaculo in terram prolabens Ignatius; occurrat animo *granum frumenti quod cadens in terram fructum afferet* copioſiorem. Si auditur bellicæ machinæ fragor, quo proſternitur; *Filius tonitrui* inde ſurrecturus cogitetur. Si in caſu propè exanimis videtur Ignatius; Sol ingeratur ſuo ab occaſu ad Orientem progreſſurus. Si ingentem muri partem ſecum trahens obverſatur Ignatius; in ipſa Eccleſiæ fundamenta jam tunc à DEO conjectum eſſe perſuadeamur. Si cōfracto oſſe procubuiſſe cernitur Ignatius; ex ipſo oſſe nova ſalutari hominum propagationi erigenda Eva, Societas JESU, cogitetur. Si demùm ex vulnere claudus conſideratur Ignatius; id divino conſilio eveniſſe exiſtimemus, ut à Divina eum inſequente gratia tandem apprehenderetur. Adeò in ipſo jam vulnere ad noſtrā ſanitatem, in ipſo caſu ad Religionis Orthodoxę firmitatem à DEO deſtinabatur. Quare cùm Ignatium contemplor, poſt arma ſua Serratanæ Virgini dedicata, à populari tumultu Minoreſſanam in ſpeluncam à DEO ſeductum; obverſatur animo ſuperſtitioſa veterum Romanorum religio, qui in profundo oſcitantis terræ latibulo DEO Conſo faciebant, à quo magnarum rerum conſilia excipiebant; ut mihi perſuadeam in ea ſpelunca, primas à *Magni conſilij Angelo* promovendi publici boni inſtitutiones Ignatio eſſe dictatas

tas

tas. Occurrit, Xenocratem in obſcuro ſpecu cum Philoſophia familiaritatem amicitiamque contraxiſſe; ut credam, in eo primum angulo penitiorem cum Divina Sapientia ab Ignatio initam eſſe conſuetudinem. Memini Reipublicæ bene inſtituendæ præcepta in caliginoſæ rupis hiatu hauſiſſe Platonem; ut aſſeram gubernandi ad felicitatem Orbis inſtituta in ea ſcrobe ab Ignatio eſſe concepta. Recordor Numam à ſua Ægeria Regni conſervandi leges in tenebris eſſe edoctum, ut non dubitem in ijs umbris Ignatium univerſi mundi ſuſtinendi methodum didiciſſe. Recogito è Poëtarum fabulis Vulcanum in antro Lemnio officinam ignis cudendo fulmini accendiſſe; ut facilè conſentiam huc Lyparam omnem commigrâſſe ad accendendas in Ignatio flammas ardentiſſimæ charitatis. Conſidero ex naturalium rerum Hiſtoricis ſtillantes ex ſuperincumbente terra in ſubjectas cavitates aquarum lachrymas durari in columnas; ut præſagiam in illo rupis cavo per tot fuſas oculorum lachrymas Ignatium infirmiſſimam Eccleſiæ columnam ſolidari. Credo dilectiſſimam DEI Sponſam *inductam in cellam vinariam, ut ordinaretur in ea charitas*; ut in ea terræ profunditate Ignatium charitatis vino inebriatum eſſe non diffitear. Animadverto communi mortalium ritu mortuorum cadavera ad ſepulchra deſtinari; ut cùm audio Ignatium octiduum illic vixiſſe exanimem, omninò mihi perſuadeam eum, alterum veluti Curtium, ad patriæ orbiſque incolumitatem in illam ſcrobem ad ſpontaneam mortem ſe conjeciſſe. Intelligo denique ſpectando puriùs Cœlo anguſtiora terrarum ſpelæa ſubſervire, ut non ambigam ad videnda cœli mi-

racula

racula eò subductum Ignatium nihil amplius terrenum meditari. O felix vel uno Ignatio hospite spelunca terræ! Dicerem te primam rudimentorum Scholam, in qua prima veræ Sapientiæ elementa ἄλφα & ἀμεγα condiscuntur, nisi dici malles Theologia, in qua arcanissima cœlorum mysteria explicantur. Vocarem te umbratilem futurorum conflictuum palæstram, in qua per excubias, & spontanea verbera humanæ saluti præliaturus miles eruditur; nisi Campus Martius vocari præambires, in quo plurimâ sanguinis effusione primus hostis, rebellis Caro, debellatur. Nominarem te arcanam luctatoriam, in qua designantur victoriæ; nisi Circus nominari deligeres, in quo ante lentam designationem celeritate pugnæ Victoriæ obtinentur. Appellarem te Sibyllæ antrum, in quo adeundi Elysij campi documenta exhibentur; nisi Augustæ Virginis templum appellari mereretis, in quo se tibi spectabilem Mater viventium non semel præsentavit. Inscriberem te Homericam Majadum speluncam, in qua per assiduas lachrymas Ignatius diffluit; nisi inscribi desiderares potiùs Alphæi antrum, in quo colliguntur aquæ ingentibus onerarijs ad salutem deportantis. Nuncuparem te sacrosanctam Vulcaniam, in qua expugnando orbi cuduntur arma Charitatis, nisi pyrij operis officina amares nuncupari, in Idolorum scelerumque omnium ruinam uno impetu disrumpenda. Indigitarem te spelæum Angliæ, in quo Divinioris auræ illapsu gratissima melodia excitatur; nisi per auditos ferrati verberis ictus nova mihi Lypara menti regereretur. Probarem te obscurum Davidis antrum, in quo tot hostium insidias

ſidias evitavit Ignatius, niſi ut Cœlum adorari meruiſſes, in quo ſanctiſſimæ lucis amœnitate ad viſionem DEI eſt illuſtratus. Hac ergo formatus in ſchola, armatus in campo, ſacratus in templo, imbutus in antro, accenſus in officina, duratus in Lypara, eruditus in cœlo erumpit tandem in apertum uno imbutus conſilio, uno, ſed æterno, firmatus decreto aggrediendi ardua, ſuſtinendi difficilia, tentandi inauſa, pervincendi obſtantia, firmandi Orthodoxos, atterendi hæreſes, convellendi Gentiles, educandi pueritiam, erudendi Juventutem, erigendi afflictos, reprimendi effrænes, purgandi Xenodochia, penetrandi in carceres, fundandi Eccleſias, diruendi Synagogas, formandi Seminaria, inſtituendi Academias, excurrendi in compita, penetrandi in urbes, omnem remotiſſimi orbis regionem ſanctiſſimo zelo invadendi. Hinc quoniam una eſt charitati moleſtia, vel pedum laborare defectu, vel manuum penuriâ, quibus alienæ, vel ſuccurrat calamitati, vel ſublevet miſerias; prima ſuccedit animo cura, idoneos ſibi ad tanti moliminis opus commilitones deligendi. Equidem ſi generoſo illi & infracto animo par corpus natura conceſſiſſet, non egeret ſocijs viribus, quas ad inſtaurandas collabentis mundi ruinas applicaret. Sed ampliſſimam mentem anguſto natura ergaſtulo circumſcripſit; velociſſimum ſpiritum mole corporis aggravavit; infractum animum fragili carne ſepivit, ut cùm velit ametque plurima, valeat, agatque pauciſſima. Quod uni tamen illiberalis negavit natura, pluribus non parca conceſſit. Orbem univerſum evolvere mens erat Ignatio: nec terrebatur vaſtitate molis, dummodo ſibi pares intelli-

gentias.

gentias nancisceretur. Adsciscit feliciter operi novem socios, quibus ipse totidem veluti Musis ad Cœlestem Harmoniam, terræ hactenus inauditam, præesset Apollo, ad quam veriùs, quàm ad Orphei lyram feræ & sylvæ, saxæ & rupes moverentur. At quos demùm socios animo designatis? animæ magnæ, laboriosæ Virtutis, acerrimi Spiritûs, inflammatæ charitatis, supra naturam fortes, supra imitationem eximios, supra invidiam admirandos. Unum cùm nomino Xaverium, prodigia vel in ipso nomine objicio. Cujus Viri amplissimam charitatem, æstuantemque animi ardorem cùm minor Europa non caperet, calcato Oceano inaccessas mortalium avaritiæ terras penetravit. Cujus labori nihil indomitum, fortitudini nihil laboriosum, constántiæ nihil molestum, magnitudini nihil vastum, animo nihil sublime, virtuti nihil inaccessum. Cui deliciarum semper nimis; laborum nunquam satis: quem nulla strinxerunt frigoræ, nulli fatigârunt ardores: qui percurrit terras, exhausit maria, mundum omnem miraculorum famâ adimplevit, qui ad extremum mundi marginem delatus brevissimo temporis spatio Christianè vivendi rationem in sexaginta sex Regnis fundavit, feliciterque adeò propagavit, ut una Amangucium nondum exactâ mensium duodenâ supra triginta millia per sacri laticis affusionem Orthodoxæ fidei additorum numeraverit: qui arrogatam à Romanis per fastuosa mendacia gloriam facinorum suorum veritate superavit; quando plures unus decennij curriculo subjecit Ecclesiæ, quàm illi sæculorum ætatibus per dispertitos in orbem exercitus copiosissimos suis fascibus subdi-

ſubdiderunt qui per ſuperatos ſuis laboribus naturę terminos, per ſuſcepta in averſum orbem itinera, per proſtrata tot Idolorum ſimulacra, per fundatam in tot Regnis & Provinciis Eccleſiam, per centum diverſiſſimarum linguarum prodigia, per quotidiana in quovis populo miracula, per depreſſam Bunziorum arrogantiam, per eximiam Divinarum rerum ſcientiam, per accenſam in omnes Nationes & populos, in omnem hominum ætatem, ordinem & conditionem, ardentiſſimæ charitatis flammam, Indiarum Apoſtoli nomen ſibi meritò comparavit. Qui denique pridem mortuus, cœlo quidem receptus, in terris tamen operatur, æquè pronus in vota hominum, ac facilis in prodigia. Adjicite Xaverio Fabrũ. Quem virum? Humili loco & ſanguine natum, ut comparati ſplendoris nihil omninò ſuis natalibus deberet: nõ minùs ſuæ fortunæ *Fabrum*, quâm alienæ felicitatis. A pueritia ovium paſtor cum grege ſuo de innocentia, de ſimplicitate certavit. Cùm inter oves ageret, dexteræ olim indipiſcendæ privilegium accepit. Imò & Agnum ſequi didicit in via, dum Virginalis Caſtimoniæ voto ſe cœlo obſtrinxit; ut non ægrè hac prærogativâ donaretur in patria. Cum *Petri* nomine conſtantiam induit; cum *Fabri* agnomine recudendi ſæculi ambitionem. Per Luſitaniam, Hiſpaniam, Galliam, Italiam, utramque Germaniam Deum circumtulit. Immenſum pondus cum gereret ab ipſa ſarcina gerendi vires capiebat. Certè niſi valentior fuiſſet animo, quàm corpore, ſub ipſum laborum initium ponderi ſuccubuiſſet. Cùm Deo plenus eſſet, nunquam ſaturfuit. A virtute Religioſus, à dicendi facundia Orator, à Sapientia

Doctor;

Doctor: amatus in Aulis, æstimatus à populis, formidatus ab Hæresi, in quam, quacunque procedebat, Faber malleū librabat. Si ferreos animos aggrediebatur; vel sui Zeli igne eliquabat; vel vehementiâ confringebat. Hinc sui famam excitavit, quæ eum Concilio Tridentino prodidit, ut Theologus ambiretur, Docendi prudentiâ, agendique fortitudine, duabus veluti pennis in sublime ferebatur. Sed quantum aliena æstimatione attollebatur, tantùm innatâ animi demissione se deprimebat. Facilis vinci vincebat, quidquid aggrediebatur. Orbem superasset unus, si par votis extitisset facultas. Quid verò de Iacobo Lainio attexemus? Scientiarum omniū æquè capax ac prodigus Discendo capiebat flumima, docendo effundebat Oceanos. Mores reformavit Italiæ ad suorum ideam. In Galliis languentem fidem erexit, expulsam reduxit; extinctam pietatem excitavit. Pontificius in Tridentino Theologus, oraculum est visus cùm diceret, miraculum cùm sileret. Peroravit in omni causa sapienter: pro immaculata Virginis Conceptione calidissimè; eumque, quem à febri patiebatur calorem, transfudit in orationem. Sapientiæ & sanctitatis suffragio quærebatur ad purpuras. Erubuit ad nomen, & lachrymis colorem diluit. Supremis Ecclesiæ gubernaculis in Purpuratorum Patrum senatu dignus judicatus, è conclavi profugit. Columba aliquando in ejus sacrificantis capite visa, vel aureum ei ramum ostendit, quem populis ad Elysios campos à se deducendis præferret, vel sæculi sui Noëmo Olivam attulit sedandæ tempestatis interpretem; vel repetito Iordanis prodigio filium Dei est professa; vel demum Sanctissimi Spiritûs assistentiam

est

est contestata. Adjungite Lainio Salmeronem, duorum Romanorum Pontificum in Concilio Tridentino Theologum, Pauli III. in Galliam & Hiberniam pro orthodoxa Religione Apostolicum Legatum, Oratorem in Sicilia, Doctorem in Italia, Operarium in Flandria, Oraculum in Germania, miraculum in Polonia, Ideam prudentiæ, prodigium eruditionis, tripodem Principum, sapientiæ omnis Magistrum. Cujus acta si cogites, nullum scribendi; cujus scripta si inspicias, nullum agendi tempus à semetipso impetrare potuisse judicabis. Scripsit unus legenda sæculis: egit unus imitanda æternitati. Nec præterite Claudium Jajum, cujus ossa etiamnum Vienna vestra tenet; sed aliena pietas suorum invidet venerationi. Certavit in eo cum sanctitate doctrina. Alterâ exemplar fuit, alterâ oraculum: utrâque afflixit hæreticos Suspendit Ratisbonam, ornavit Augustam, tenuit Vormatiam, instituit Ingolstadium, formavit Viennam; ubique Patris, Angeli, Apostoli nomen est lucratus. Cùm ad vilissimam plebeculam se abjiceret, ad Principum aulas quærebatur. In his ita versatus est, ut semper aversaretur, semper tamen amaretur. Videri cùm fugeret, in diem prodiit omnium oculis amabilis, omnium æstimatione stupendus. Cùm nullum ambiret honorem, omnium meta statuebatur. Meritis suis irasci visus est, cùm Tergestinæ Insulæ à Ferdinando Romanorum Rege, conspirante Pontifice ingererentur. Nulla ei cæteroquin obedientia difficilis visa est, hæc etiam intolerabilis. Non omittite Simonem Rodericium, ne virum negligatis Lusitaniæ incolumitati à Deo præstitutum. Gessit multa; plura voluit. In Orientalem

talem Indiam ab Ignatio destinatus, jam Orientis spolia meditabatur. Aggressus cum Xaverio iter, in medio mari & sitiit, & æstuavit. Lusitanicam terram ubi tenuit, votorum suorum naufragium fecit. Regis detentus imperio aulam formavit. Ibi agendi, patiendique invenit occasionem, ubi cæteri delicias nundinantur. Regis filium cùm institueret, Nosocomia, vilemque plebem non negligebat. Utrâque fortunâ exercitus, levantem pressit, prenrentem excussit. Gratia illi invidiam peperit; Ille sibi & Societati nominis immortalitatem. Cûm omnis illi spes Indiæ succisa esset; per suos molitus est; quod ipsi negabatur. Complura enim fundavit Seminaria, ex quibus novæ semper Orienti coloniæ submitterentur. Revocate in mentem Paschasium Broëtum, quem ob singularem candorem, ob incorruptam morum simplicitatem, ob constantem vitæ sanctimoniam Ignatius Angelum dixit: quem Paulus III in Æthiopiam Patriarcham destinavit; quem Hibernia cum Pontificia potestate Nuncium excepit; quem Italia, & Francia virtutis & sapientiæ Numen est venerata. Revocate Joannem Codurium in acerba ætate jam cœlo maturum, propè citiùs ad metam delatum; quàm laborum Circum ingrederetur: si animi capacitatem præparationemque consideres, nullo inferiorem; si toleratos labores expendas, nulli parem. Sed injuria hæc temporis fuit non desidia voluntatis. Revocate denique in memoriam Alphonsum Bobadillam; cujus prudentia probata in aulis Caroli, & Ferdinandi Imperatorum, sapientia audita in cathedris, sive oraret ad populum, sive de mysteriorum arcanis disceptaret; Spiritus vehe-

mentia ſpectata in congreſſibus hæreticorum,quos vel glorioſè confudit, vel feliciſſimè confecit; conſtantia laceſſita adverſis, ſed nunquam fracta; patientia impulſa moleſtiis,ſed nunquam mota: charitas laudata in caſtris, ſive cùm vulneratis ipſe vulneratus ſuccurreret, ſive cùm peſte correptis ardentiſſimo zelo inſerviret; Divinæ gloriæ proferendæ ambitio totâ Italiâ, Germaniâque commendata; ſubmiſſa denique in publica omnium admurmuratione & populorum plauſu de ſeipſo exiſtimatio per rejectas inſulas, quas Ferdinandus Imperator meritis jam gravi ingerebat, confirmata. His ergo Ignatius ſociis, hoc ſanctitatis, & doctrinæ flore prima rejecit Societatis illius fundamenta, de cujus in proferenda Religione laboribus, in erigendis moribus induſtriâ, in firmanda virtute ſudoribus, in relatis per calcatas dæmonum cirvices victoriis lactamine, in defixis per numentia ſatraparum capita trophæis ardore, in ductis per tot hæreticorum turmas feliciſſimo Marte confectas triumphis ſplendore, & recordari jucundiſſimè, & de ampliſſimo fructu per univerſum mundum collecto omnis debeat ſecutura poſteritas quàm diutiſſimè gloriari. Quàm ego unam cùm nomino, obliviſcor penè omnium cæterorum, quæ ab Ignatio cum feſtiva populorum admurmuratione geſta, orbi admirationem imperârunt: quantumvis ſingula ſuâ mereantur panegyri commendari. Una, una hæc eſt Societas, ad cujus commemorationem ſileantur *Fulminatrices* Aurelij Veri legiones; ad cujus lucem obſcurentur *voluntariæ* copiæ Antonini; ad cujus famam taceantur Perſarum *Gradates*; ad cujus vitam ſacra

Aman-

Amantium legio Thebanorum solo nomine superstes vivat, reipsâ ad institutum Ignatij comparata merum famæ cadaver. Non patitur me à vero declinare magnus ille Indiarum Apostolus *Xaverius*, cujus effato conscriptus ille sub Ignatij signis exercitus; *Societas est amoris atque concordiæ*. Non patitur meâ recti tramite exorbitare Romana veritatis cortina; quæ de vitæ norma, institutique ratione consulta, respondit: *Spiritus DEI est hic*: quem si ignem amoremque esse credimus, meritò debeat *amoris societas* nominari; quæ illo, jam inde à sui primordiis, animatur. Ex quo & consectarium illud est, ut amorem non esse Rerumpubl. felicitatem, quòd Plato volebat; aut Societatem parente Ignatio natam esse ad orbis universi incolumitatem. Nihil hic arrogantiæ dedi, licèt multùm invidiæ. Sed proritare invidiam non minimum gloriæ est argumentum. Quæ intra publicam approbationem consistunt facinora, parem tolerant: quæ ad cæterorum livorem evadunt, excedunt imitandi facultatem. In illos enim potissimùm suos dentes exercet invidia, quos virtutis æmulatione non potest adæquare. Ringatur ergo, & suo semet veneno conficiat: ego in Reipubl. Christianę eximium prorsus & singulare emolumentum excitatam esse ab Ignatio Societatem pronuntio. Nam quid est (per DEUM immortalem!) quòd prima illa fidei propugnacula, & acerrimos Divini honoris vindices, DEI in terris commilitones Apostolos, hoc præ cæteris nomine veneramur? Nonne, quia doctrina erudiverunt populos & nationes, exemplo formârunt agendorum ideas, authoritate invaserunt omnium animos, le-

gibus definiverunt actiones, dexteritate occupârunt affectus, ſolertiâ demùm & indefeſſo labore id egerunt, ut novos mores induerent homines, veteres deteſtarentur: nova ſacra admitterent ſana, vetita exturbarentur; humanitatem inducerent urbes, immanitatem exuerent; fœdera, & concordiam ſtabilirent populi, diſcordias, & bella averſarentur? Nonne quia univerſum inter ſe terrarum orbem partiti indixerunt bella, definiverunt victorias, reportârunt ſpolia, defixerunt trophæa, & contritis dæmonum ſimulachris, falſorumque Numinum proculcatis delubris, Crucis vexilla in clariſſima mundi luce explicaverunt? Nonne quia per abrupta montium, & disjunctiſſima quæque regionum, igneis veluti circumlati quadrigis evolârunt, excurrerunt penè extra Solem & ſidera, per ſqualentes arenarum tractus, per toſtas vehementiſſimo Solis appulſu regiones, per rigentes æterno frigore terrarum plagas, per inſanientes procellis Oceanos illuc evaſerunt, ubi vel hominis veſtigium apparebat? Quam quidem provinciam ita ab Ignatij ſociis & ſuſceptam fortiter, & pertractam glorioſè intelligimus; ut nullum ſit iter tam aſperum, quod non exegerint; nulla natio tam barbara, quam non cicuraverint; nullum ſolum tam ſterile, quod non excoluerint, nullum clima tam rigidum, quod non habitaverint, nullum littus tam remotũ, quod non occupaverint, nullus angulus tam abſconditus, quem non retexerint. Invaſerunt in templis cathedras, in ſcholis pulpita, in urbibus Xenodochia, in Xenodochiis obſequia, in carceribus pædorem, in navibus ſitum, omnes domi labores, omnes militiæ incommoditates. Expulerunt ex populis

diſſidia,

dissidia, ex urbibus improbitatem, ex domibus rixas, ex compitis licentiam, ex Gymnasijs ignorantiam, ex tribunalibus iniquitatem, ex Aulis æmulationem, ex templis situm; ex altaribus immunditiem. Induxerunt in populos pacem, in urbes sanctimoniam, in domos concordiam, in compita modestiam, in Gymnasia Musas, in Tribunalia justitiam, in aulas moderationem, in templa cultum, in altaria mundissimam religionem. Compresserunt in juventute audaciam, in senectute avaritiam, in nobilitate jactantiam, in plebe dolos, in dominis fastum, in servis reluctantiam. Incitârunt sanctum in juventute calorem, in senectute desidiam, in nobilitate gloriam, in plebe innocentiam, in dominis temperantiam, in servis obsequendi studium. Loquantur Germaniæ & Bohemiæ, Hungariæ & Poloniæ vastissima ad Septentrionem Regna, & populi, quos non tam gelavit imminentis è polo Bootæ frigus, quàm extinctæ charitatis rigores: in quorum perniciem ex malè fœcundis Herciniæ lustris Hydra illi prodiit, ad cujus retundendos furores Christiani Hercules decertârunt: loquantur, quot errores detecti, quot Ministri confusi, quot hæretici convicti, quot urbes conversæ, quot Principes reducti, quot populi confirmati. Loquantur florentissimæ Galliarum Provinciæ, quarum innocentissima lilia pestilenti odore Calvinus afflaverat, & intestinis sæpè bellis integritatem floris violaverat: loquantur qui mores in plebem, quæ felicitas in aulam, quæ arma in militiam inducta, ut qui hactenus sine cæde, sine libidine, sine Numinis contumelia bellum geri posse vix credebant: viderint non sine admiratione militem omnem à li-

tentia, à rapinis, à convicio tam alienum, ut exiſtimarent ibi ſcholam eſſe virtutis, ubi ſtipendiarios ſcelerum priora ſæcula informabant. Loquantur deſolatæ Angliæ regiones, quibus natura prætendit maria in tutelam, ut ijs impietas abuteretur in perditionem; dum explicatiſſimis velis per Henrici libidinem & ambitionem, per redivivæ Jezabelis immanitatem invecta improbitas omnem priſtinæ felicitatis ſtatum evertit: loquantur cum Puritanis & Proteſtantibus ſecundo Marte confecta bella, ſanguine imbutas carnificum ſecures, ſaturatam cædibus Tyrannorum crudelitatem. Loquantur Ganges & Indus, & anteà inculti Orientis populi; quos primo licet radio Sol afflaret quotidie, nunquam tamen diem mentibus attulit, donec ortus ab Occidente *Xaverius* centum diverſiſſimas nationes, quinque Reges, complures Satrapas, innumerabilem hominum multitudinem fidei lumine illuſtravit. Loquantur ultimi terrarum margines, extra humanitatem projecta Japonia, non minùs ſociorum ſanguine, quàm ſudoribus irrigata, & fœcundiſſima populorum Mater Sina, quæ etſi muris obvallata, obicem non invenit, quem ſanctiſſimo Sociorum ſtratagemati prætenderet. Loquantur dealbati ad morum candorem Æthiopes ejurato Neſtorio, mutuæ Societatis inimici Peruani ad humanum commercium eruditi; palabundi per ſilvas Mexicani ad fabuloſi Amphionis dedecus, & opprobrium Orphei in civitates coacti; Braſili ultima deficientis in feritatem naturæ linea, ab Atræa ſive in filios, ſive in Patres crudelitate in ſinum humanitatis accepti. Loquantur potentiſſimæ Hiſpaniarum urbes, quæ ut Ignatium Italiæ dederunt, ita ejuſ-

ejusdem mores,& vivendi rationem per Sociorum industriam illatam receperunt. Loquantur demùm, quæ loqui discunt & docent, celeberrimæ totius penè orbis Academiæ & Universitates; in Hispanijs Complutensis, Salmanticana, Conimbricensis, Madritana: in Galliis, Turnone, Mussiponti, Lugduni, Flexiæ, Lutetiæque immortalia Lycea: in Austria Viennæ, in Bohemia Pragæ, Ingolstadij in Bavaria, Dilingæ in Suevia, Græcij in Styria, Tyrnaviæ in Hungaria; Olomucij in Moravia; Herbipoli & Bambergæ in Franconia; in inferiori Germania Moguntiæ & Coloniæ; Duaci, Dolæ, & Lovanij in Belgio; Cracoviæ, Posnaniæ, Calissi, in Polonia; Vilnæ in Lithuania publica omnis eruditionis ac sapientiæ athenæa; in Italia demùm & Sicilia, ut ad primordia revertamur, Messanæ, Panormi, Neapoli, Genuæ, Mediolani, Parmæ, Bononiæ, & in urbium ac orbis capite, Romæ humanarum æquè ac Divinarum scientiarum emporia, in quibus ut ex infinita scriptorum multitudine, quorum vel nomina ingentem Tomum conficiunt, quàm paucissimos delibemus, emundata est ad castimoniç leges Poësis, instructa ad gravitatem Ethica, inducta ad majestatem Tragœdia, verecundiæ socco munita Comœdia, incitata in fletus, & affectus Elegia, armatum aculeis epigramma, Lyra ad amœnitatem formata per Alexandrum Donatum, Bernardinum Stephonium, Antonium Chanutum, Carolum Verpæum, Nicolaum Caussinum, Constantinum Pulcharellum, Hermannum Hugonem, Matthiam Sarbievium, Gilbertum Joninum, Ludovicum Cellotium, Joannem Baptistam Masculum, Carolum Malapertium, Dionysium Petavium, Ja-

cobum Libenium, Leonem Sanctum, Josephum Simonis, Tarquinium Gallucium, Balduinum Chabilliavium, Joannem Vincartium, Gulielmum Hesium, Andream Kanon, Andream Ines, Jacobum Balde, Jacobum Masenium, Vincentium Guinisium. Restituta est suo flori Eloquentia sacra & profana per Soarium, Cerdam, Caussinum, Pajotum, Remondum, Albricium Romæ miraculum, Herbestum, Bencium, Perpinianum, Stephonium, Revoluti Philosophicarum difficultatum nodi, per Fonsecas, Suarios, Mendozas, Arriagas, Oviedos, Pererios, Conimbricenses, Dandinos & Giatrinos. Retecta cœlorum miracula per hujus sæculi Archimedem Clavium, Voellum, Kepplerum, Scheinerum, Ricciolum, Grienbergerum, à S. Vincentio. Illuminatæ sunt utriusque Theologiæ tenebræ (audite magna nomina, aut nominum prodigia) per Suarios & Vasquios, Molinas & Valentias, Ruizios & Becanos, Tanneros & Granados, Cardinales Bellarminos & de Lugo, Amicos & Arriagas, Martinones & Oviedos, Ripaldas & Bernaldos, Perexios & Bernales, Lessios & Arrubales, Pallavicinos & Esparzas, Kennios & Vekenios, Sanchios & Laymannos, Palaos & Baldellos, Azorios & Reginaldos, Salasios & Filliucios. Formatæ sunt aulæ per sancta Politices instituta à Kontzenio & Caussino, Scribanio & Juglare, Raynaudo & Fragoso. Divinorum Oraculorum Interpretes, Encomiastæ Augustissimę Dei Matris, vitę ad rationis regulam divinasque leges instituendæ Dictatores, per varia virtutum itinera duces amplissimam constituunt Bibliothecam. Adeò nullum est studium tam arduum, quod secuta Ignatium posteritas non feliciter

ter invaſerit ? nullæ diſciplinæ tam ſeveræ, quarum rigorem non mitigaverit ; nullæ Muſæ tam ſteriles, quas non fœcundaverit ; nulla ſcientia tam intricata, quam non evolverit ; nulla arcana tam involuta, quæ non explicuerit. Neque verò hæc ita ſcripſerunt in Muſæo quieti, ut non ſolicitè ſudarent in ſcholis laborioſi. Quid jam de ſingulari illo ad formandos mores remedio, ad propagandam Rempubl. felicitatem unico ſubſidio, de excogitata, inductaque per Ignatium tenerioris ætatis inſtitutione adferemus ? Omnem ætatem informaſti, qui juventutem erudiiſti. Inſcripti teneriori tiliæ characteres, etiam in arbore leguntur. Plurimum refert quid incidas. Equos tractabit & arma vir, quem puerum in Hippodromo & arena exercueris. Puerum ſapiet etiam ſenex, quem adoleſcentem maturi mores non formaverint ad ſenectutem. Vis ſana à viris conſilia, conſulta à ſenibus oracula ? fac, ut tenerior ætas inter Conſiliarios, & ſapientes verſetur. Ubi adoleverit, reddet, quod accepit. Echo juventutis eſt ſenectus ; eos mores reddit Tithonus, quos accepit Narciſſus. Habebit venerandos ſapientiâ ſenes Senatus omnis, ſi adoleſcentes omnes ſapientiæ inſtitutis erudierit. Ut merito novum orbis incolumitati per Ignatium exædificatum eſſe propugnaculum cogitare toties debeamus, quoties juventutis educationi apertam in ſcholis arenam recordamur. Aſſentietur cogitationibus noſtris, qui eas pridem antevolavit, famoſiſſimus æquè, ac fortiſſimus belli Imperator Alexander Farneſius, quando inſtituta ad erudiendam juventutem Societatis Collegia, validæ ad ſuſtinendos hoſtiles aſſultus munitioni,

& ad eosdem propulsandos omni bellico apparatu instructissimæ arci præferebat. Enimverò tollatur ex urbibus exercendæ juventutis industria, claudantur litterarum emporia, obsolescant desidiosa ingenia, aut circa umbras & larvas occupentur, prohibeatur indolis cultus, subtrahatur naturæ lima, dejiciantur pulpita, è quibus virtutis cupiditas cum scientiarum splendore infunditur: tolletur scilicet à viris olim Reipublicæ gubernaculo admovendis sapientia, adimetur Magistratui authoritas, excludetur à Senatu prudentia, exulabunt à Curiis consilia, arcebitur à tribunalibus humanarum legum interpretatio, confundetur in caussis juris ordo, subtrahetur foris justitiæ nervus; ejicietur ab urbibus humanitas, subtrahetur templis religio, deturbabitur cultus ab aris, negabitur Sacerdotibus honor, omnis ex orbe Rerumpublicarum facies eliminabitur. Et quæ demum succedere oportebit temporum probra, quæ dedecora sæculorum? quam solitudinem in fana, furorem in ædes, licentiam in fora, confusionem in urbes, vastitatem in regiones? Persuadete scilicet mihi, inviolata Reipubl. mœnia inter furiosorum hominum incursiones constituta; si milites è trivio coacti, imbelles & enerves animæ dormire magis addidicerint, quàm pro mœnibus excubare: ut credam tuto summam Imperij potestatem inexercitato, improvido & nubiloso capiti posse concredi Persuadete mihi, inter insanientes Oceani procellas jactatam navim felicissimo cursu portum subituram; si qui sedet ad clavum Typhis, nec tempestates domare noverit, nec procellas ac turbines providere: ut credam Reipubl. navim

tot

tot agitatam tempeſtatibus per eos quieti & tranquillitati poſſe redonari, qui Decumanos ipſi quotidie fluctus moliuntur. Perſuadete mihi, extremo morbo afflictas Civitates ab iis Medicis priſtinæ incolumitati reſtitui poſſe; qui confoſſæ ac propè exſpirantis vulneribus venena infundunt: ut aſſentiar ab ipſis Regnorum peſtibus mortiferas Reipubl. plagas poſſe curari. Sed ſtent ſanè aliquando urbes, non à Civium vigilantia, ſed à nudo murorum ambitu hoſtili calori formidatæ; intrudatur violentâ felicitate per decimam tempeſtatem oneraria in portum; proſit aliquando flamma flammæ extinguendę, aut venenum veneno infringendo: ego vero eam funeſtiſſimâ ruinâ convellendam Rempubl. non vanus augur pronuncio, in qua per neglectam ingeniorum culturam, per ſublata bonæ indolis incitamenta, per impeditam depravati genij emendationem, per occluſum animorum luci aditum, per involutum tenebris honeſtatis iter id demum efficitur; ut nulla ſit in pace induſtria, nulla in bellis moderatio; nulla in tranquillitate honeſtas, nullum in turbatione conſilium; nullum in otio negotium, nullum in negotijs emolumentum. Quare ſi videtis, quà latè exſpaciatur terra, quà natat Oceanus, qui homines irradiantur ſideribus, latentia ingenia in lucem eruta, pigra excitata, laborioſa ad facilitatem inſtructa, ſicca & ſterilia ad fœcunditatem animata, jacentem indolem erectam, depravatos in Juventute mores exciſos, virtutes diſſeminatas & ad maturitatem adultas; ſi non vultis aſſeverare cum Paulo III. Societatem ab Ignatio inventam, *eſſe agrum fertilem, qui non annis, ſed diebus ſingulis multi-*

 plices

plices & uberes fructus producit: asseverabit infensissimus Orthodoxæ Religionis hostis Kemnitius (quamvis gloriosè nimis) *Societatem à Pontifice excogitatam esse, ut labantem Ecclesiam fulcire aliquo modo possit.* Si exaggeratè nimis à Pio IV. dictum esse existimatis, *innumerabiles fructus, benedicente Domino, Christiano orbi Societatem IESV felicissimè hactenus attulisse, & adhuc sollicitis studijs adferre non desistere:* fatebitur Franciscus de Verulamio Angliæ Cancellarius Heterodoxus, *nobilissimam priscæ disciplinæ partem in Iesuitarum Collegijs quasi postliminio revocatam.* Si invidiam in cujusquam animo exsuscitat impensum Societati à Joanne III. Lusitaniæ Rege elogium, qui Socios omnes supra Religiosam eorum modestiam *Apostolos* nominabat; pronunciabit sinistro quantumvis animo Schismatici in Æthiopia conciliabuli perversus Antistes, *vidisse se* (in Socijs) *viros Apostolis quàm simillimos.* Si (ut tot Summorum Pontificum & Imperatorum, Regum ac Purpuratorum Patrum singularia pro Societate præconia omittamus) quod à Præsidibus Concilij Tridentini pronunciata sit Societas *latissimè per Christianorum & Gentium etiam Provincias, DEO quod cœpit opus promovente, cum maximo animarum fructu versari,* privatæ fortassis animi inclinationi attribuitis: illud saltem singularis affectus notâ carebit, quod infensissimus Ignatio dæmon ex Energumena illum *inimicum suum capitalem* sit contestatus: eò potissimum nomine, quod ut ille in commune orbis exitium toto universo disseminat vitia; ita Ignatius eam in mundi præsidium instituerit militiam, quæ *Societas IESV* nominata, in ipso nomine

sibi

ſibi magnificum anagrammatiſmo circumfert imperium, *Vitioſa feces*: quod glorioſis omnino facinoribus adimplet. Quæ univerſa cùm non minùs ad præclaram Societatis exiſtimationem, quàm ad publica orbis commoda cogitantur; cogitetur pariter non minùs à nata ex Ignatio Societate in eum laudis revolvi, quàm Philippus olim Macedo in ſe redundare ſit gloriatus, *quod filium haberet Alexandrum*. Spectant ad Patrum encomia filiorum laudes; eidemque debent ſua, cui debent ſeipſos. Quare ſi aptè & ad laudem magnificè Maurolycus Abbas Societatem appellavit *inexpugnabile Eccleſiæ munimentum*: Ignatium illius ſolidum eſſe fundamentum gloriemur. Si à Valerio Ximenez eximio in Carmelitana familia Theologo *firmiſſima Eccleſiæ columna* eſt nuncupata; Ignatium illius eſſe Columnæ baſin aſſeveremus. Si à Clemente VIII. *dexterum Eccleſiæ brachium* eſt nominata: Ignatium ejus brachij nervum cogitemus. Si à Gregorio XV. dicta eſt *Sacra militia, Catholici nominis defenſione & hæreticorum excidijs clariſſima*; Ignatium ejus militiæ Imperatorem aſſeramus. Si verò Rerumpubl. fundamenta ſuſtinendis urbium ruinis objectæ columnarum baſes, in militum brachijs nervorum vigor, Legionis fortiſſimi Ducis exemplo animatæ, quidquam publicæ utilitati conferunt; concludamus vel cum Romano Oratore Zambeccaro, Ignatium *hominem juvandis hominibus verè natum*; niſi fortè Angelum cogitetis deſtinatum à DEO totius orbis Tutelàrem; vel cum Gregorio XV. Ignatij *animum mundo majorem ſua pietatis opera ultra unius ævi terminos extendiſſe*. Quæ

omnia eò demùm conſpirant, ut digna ſæculis parentum memoria ſupervivat in filijs, & eodem fonte deducatur Virtus, quo manavit appellatio. Sanguis & ſtemma parentum ſunt laudes, glorioſa æmulatio encomium eſt filiorum. Publicæ rapinæ genus eſt, illius nominis pallio honeſtari, cujus virtutem non geras. Quoties ijs non genitos eſſe parentibus recordamur, quorum generoſus in mundi ſubſidia ſpiritus nunquam potuit proſperis enervari, nunquam adverſis convelli fortitudo, nunquam periculis terreri: magnanimitas, nunquam terroribus moveri conſtantia; recordemur quoque vaſtiſſimam adhuc ſupereſſe nepotibus arenam, in qua noſtra ſeſe ad bella, non umbratili pugnâ, ſed laborioſo conamine virtus exerceat. Quotiēs ſignatum Majorum ſanguine Orientem, calentem ſudoribus Septentrionem, illuſtratum ſplendore Meridiem, animatum ſpiritu Occidentem cogitamus: cogitemus quoque viva adhuc cadavera paſſim inambulare, noſtro ſpiritu animanda; plusquam Canopæas urgere tenebras ſapientiæ noſtræ radijs expungendas; frigere ſub ardentiſſimo Sole charitatem, noſtro igne accendendam; fervere adhuc acinaces noſtro ſanguine glorioſè purpurandos: ut nullæ incitatum ardorem retundant moleſtiæ, nulli frangant labores, nullæ enervent ærumnæ, nulla pericula remorentur.

Dicta Viennæ Auſtriæ.

ORA-

ORATIO XXIV.

DE S. FRANCISCO XAVERIO.

Anima Xaverij Charitas.

SI quod fabuloſo Memnonis Coloſſo Orientis beneficio Solis commenti ſunt eveniſſe Poëtæ, ut ad primam ejus evigilantis majeſtatem marmorea durities in liquidiſſima verba ſolveretur; idem quoque renaſcentes hodierna die remotiſſimo ex Oriente Xaverij ſplendores intuenti eveniret Oratori, ſperarem omnino, fore, ut rigidam pridem conſtrictus in glaciem Eloquentiæ tepor, calentis afflatu luminis eliquatus in dignam Xaverianis laudibus orationem devolveretur Sed (quod meæ eſt palmare vulnus infelicitatis) ad radiatam Xaverianarum virtutum opulentiam palam expoſitus, idem experiri cogor, quod ad flammeam Parentis dignitatem evectus Phaëton ſerò tandem deploravit. Enimverò ut incitata voluntas Xaveriano calore, quibusdam quaſi ambitionis ſtimulis pungatur vehementiùs; confunditur in lucis acrimonia intellectus, memoria radiorum infinita multitudine perturbatur. Exigit parens à non ingrato filio debitæ commendationis obſequium; commendandarum auguſta majeſtas rerum etiam nolentem cogit eſſe ingratum. Sequi Xaverianarum virtutum gradus Oratorem filium ad-

addecebat;sed quid sequi juverit,si assequi prohibemur? neque enim gradientem sequimur,sed volantem. Quem modum statuemus orationi, quando Xaverius omnia fecit ultra modum? Illud unum profectò restat,ut quando acerrima radiorum tempestas mentem præstinguit Oratoris, tu sanctissimi diei Parens Xaveri, quod olim à Genitore suo rogabat Phaëton, in nostra quoque vota vocatus,facilis --- *circum caput omne micantes*

Deponas radios, propiùsque accedere mandes, ut multiplicium radiorum clarissimis velatam tenebris animam tuam sine velo intueamur. Neque enim is es Xaveri,cui vel ex veterum superstitiosa metem psychosi Poëtarum, emissa per Elysiæ voluptatis portas Herois alicujus obtigerit anima; vel quem supra populares undas, vulgaremque cæterorum hominum conditionem excellentioris animi sublimitas elevârit: sed cujus visceribus formosissima Cœlitum Charitas sui ipsius prodiga ita se infudit, ut ipsa tuum illud Divinissimum pectus singulari prodigio visa sit animare. Ego enim sic statuo, animum esse vigorem pectoris,sensum corporis, artuumque motorem; qui meminit, providet, totumque hominem moderatur; cujus beneficio augusta quædam in humanis corporibus refulgeat dignitas, eorundemque arguat porrectio, facilis contractio, clarescens color; motus dexterrimus pariatur. Ut si animum argutari in oculis, vernare in fronte, florere in genis, exultare in voce,ridere in labris,ardere in corde, spirare in venis, in omnem membrorum Rempubl. felicissimo dominari imperio admiramur, admiremur pariter unâ charitate Xaverij hilarescere oculos, vocem

aut

aut leniter submitti, aut graviter inclinari, candere frontem, rubere genas, ridere labra, spirare pectus, ardere mentem, inflammari voluntatem. Admiremur unam semper memoriæ stimulum, intellectui oculum, aspectui facem fuisse Charitatem. Erravi! admiremur memoriam, Intellectum, voluntatem Xaverio fuisse Charitatem. Ingrediamini enim si lubet mecum arcanum illud Xaverianarum cogitationum Augustale, reperietis scilicet vivacissimam Charitatem, eversiones dæmonum, extirpationes scelerum, vitiorum direptiones, demolitiones Idolorum providentem. Reperietis eum virtutibus domicilium, Altaria pietati, Religioni templa, Cœlitibus aras, DEO immortali cultum ac venerationem machinantem; Reperietis eum rudiori ingerentem ætati præcepta; ægris hominum corporibus medicinas, depositis animis pharmaca, vinctis libertatem Audiveramus aliquando, nescio quem, ea dominandi libidine exarsisse, ut cum dies noctesque populis juga, jura gentibus, Provincijs leges, Regnis lora, Imperijs augustales virgas meditaretur; ita menti populos, gentes, provincias, Regna ac Imperia impressisse, ut eadem mortui visceribus vivacissime insculpta legerentur. Fabulam scilicet audiveramus, ut in Xaverio spectaremus veritatem. Vos ego testor nauseantis naturæ vomitu in extremum mundi limbum ejectę regiones, quas non ita ab hominum commercio submovit crudelitas, quin vos in ipsa amoris sede, ut cogitatione portaret Xaverius. Vos appello ab humana consuetudine longè remoti Ternatenses, Mechazarij, Magacenses, Amboinenses, quos necdum visos barbariem, nec-
dum

dum agnitos feritatem dedocebat. Vos in testimonij provinciam adduco, Comorinæ ripæ, oræ Piscariæ. Travanchoridis littora;quæ non minùs cogitationis æstu alluebat Xaverius, quam undarum sese prementium fervore flagellaverit mare. Vos contestor Molucæ, Melindæ, Socotoræ, Mauricæ, Japonicæ,Ceilanæque Insulæ, & quidquid est barbarorum toto Oriente nominum ac populorum; quorum imagines Xaverianis impressæ visceribus occupabant deliciosè mentem, sollicitabant aspectum, laborem provocabant. Te denique testor somniorum Dædalæ Morphen, qui ut Xaverio fabricares somnia,fabricabas Charitati. Legi ego,legistis vos, audiistis universi stupenda noctis illius prodigia, quæ quiescentis Xaverij humeris vultu horridum,vastum mole,immanem pondere Æthiopem gestandum imposuit. Audiistis anhelâsse sub pondere? halitus hic erat Charitatis, quem tamen dormiens respirabat Xaverius; ut ejus vel calore rigescentes hominum animas concalesceret, vel sacrilegè ad dæmonum aras evolutum fumum difflaret. Audiistis æstuasse Xaverium? æstus ille erat Charitatis, quò vel plusquàm Aquilonari Orientis hyemi præparabat æstatem, vel nefarijs sacris ac Popis, aris ac fanis, Diisque incendia moliebatur. Audiistis sub illa mole sudâsse Xaverium? sudor erat ille Charitatis, quo vel concolores vultibus Æthiopum mentes ablueret,vel sterilescens Chinarum solum irrigaret, vel fecundissimis ventis navigantis Idololatriæ classem veluti superfusa tempestate demergeret. Quin & aliquando audiistis illas per quietem Xaverio vel excidisse,vel extortas esse voces:*Amplius Domine,amplius*. Audivistis & illas identi-

identidem æstuosa inter suspiria ingeminantem: *Satis est Domine, satis est:* quam ego quidem rem ita intelligo, & deliciarum venam, & adversorum tempestatem sopitis sensibus vigilij fortassis Charitati sese insinuasse. Illæ avulsum terris animum cœlis inserebant, ista barbarorum immanitati Xaverium objiciebant. Illæ avocatam ab hominum crudelitate mentem Divinorum Spirituum commercio recreabant; ista fulminantis intemperie cœli, æstuantis ardore Solis territabant. Illæ purissimã cœli crystallum, augustissimũ Divinitatis solium, ipsam majestate verendam Triadem depingebant; ista barbarorum immanitati dilaniandũ Xaverium obtendebant. Quid agat media Charitas, inter mel & fel, thymum & absynthium, serenum & nubilũ, delicias & vepreta, rosas & dumeta, arridentes cœli voluptates, & sevissimam tyrannidem adversantis fortunæ? Si mella propinat cœlum, *Satis est*, exclamat, *Satis est Domine:* si felle pluit; *Amplius* ingeminat, *amplius:* si in thymum & rosas ducit, *Satis est*, inquit, *satis est:* si absynthium prælibat & dumeta: *Amplius Domine, amplius:* si serenum ostendit diem: *Satis est Domine, satis est:* si doloribus tormentisq; tonat & fulminat: *Amplius Domine, amplius* exclamat. Quid expectatis Auditores à vigilanti Xaverio, si hæc illo dormiente Charitatis portenta admiramini? Ego certè vetustum ex antiquitate Talum fabulam exuisse suspicor, cùm historiam specto Xaverianam. Quid enim? putatisne verum illud an commentum? ferreum aliquando Talum Vulcaniis affusum fornacibus per quietem incanduisse, & ex ignita illa Lemno prorumpentem obvios afflasse calore, corripuisse igne, in cinerem &

favillam

favillam redegiſſe? Fabula eſt; ſed umbra hiſtoriæ, præludium veritatis. Xaverium jam pridem calidiſſimis, non Vulcani, ſed Ignatij Scazontem molientis correptum ignibus per quietem Charitas animavit. Cavete mortalium poſtremi, quos ad mundi terminos condemnavit natura: ſuis permotus ignibus in vos erumpit Xaverius, ut obvios amoris brachijs complectatur. Cavete innutritæ cædibus, afflatæ latrocinijs, parentum ſanguine potatæ regiones; quas, ubi Europâ exceſſerit, in cineres vertet Xaverius. Jam enim quod per æſtuantium fervorem meditationum ſibi depinxit privato Charitatis in ſeceſſu, eadem Xaverius inflammatiſſimæ voluntatis executione, in ampliſſimum alterius orbis theatrum deducit: ad quod cùm per longiſſima terrarum ſpatia deferretur, à ſemetipſo pridem diſceſſit. Cui itineri nec parcebat cùm ſederet, nec cùm jaceret, derogabat. Facilè eò fertur corpus, quò affectus prævolârunt. Memini ego, neſcio quem è Poëtarum fabulis Abaridem eâ Divorum liberalitate dotatum gratiâ, ut quoquò arcus jactu telum præmiſiſſet, eò incitatiſſimo corporis volatu raperetur. Xaverij ut meminiſſe liceat præſentiſſima facit hiſtoria, quem aſſiduis verſata in cogitationibus Charitas, tandem profert in apertum. Vix cogitat Indos, jam tenet: vix meditatur Japones, jam amplectitur. Hoc illud fortaſſis eſt telum, quod pictorum meâ ſententiâ ingenioſiſſimus ille Xaveriano pectori, per Aligeri manus ſimulata veritate impreſſit, quod non ejaculatus eſt citiùs, quàm aſſecutus. Et verò obſtitit inclemens natura, crudelis Tartarus repugnavit; ſed neque venti flammis, nec immanitas obfuit Charitati. Et illæ flantibus Euris, & hæc

ſpi-

ſpirante creſcit immanitate. Te te appello memorabilium feraciſſima fabularum Ægyptus, flammarum oſtenta prodigia, ut ſumamus à commento ſuffragium veritati. Sæviebat fortè in arborum cædes non nemo, cui elapſa bipennis manibus in ſubjectam impacta ſilicem, ignitam animam excuſſit. Illico animatus ignis, vicinas corripit ſegetes, exundat, & in annoſam devolutus quercum excidium nemori afferebat. Illuſtrem è Cœlitibus hoſpitem ſtolida Ægyptus opinabatur adveniſſe, cui proinde ſalutando & Oratores decrevit, & amplexus expedivit. Sed ubi ſurdum ad orationem, ſævum in amplexibus experitur hoſtem, hoſtem proclamat, Tum ſine mora armari cives, urbibus, oppidisque cum tumultu erumpere, truncis arborum reliquiis moliri mœnia, cæduis ſylvarum ramis ſua caſtra præmunire, confligere, in ignem flammamque fuſtes rotare. Enimverò reſumptis viribus bacchari flammæ, ſævire acriùs, corripere mœnia, excedere, in cinerem demoliri. Fabulamnè canimus, an Xaverianæ virtutis allegoriam? ſit fabula, ſit commentum, dummodo id conſtet univerſis, per damna, per cædes, ab ipſo ferro Xaverianam ſumpſiſſe animos Charitatem. Quid enim concolores vultibus effecêre aliud Æthiopum animi, quos ſubſeſſores in latebris alebat crudelitas cùm venientem fuſtibus ac ſagittis excepêre Xaverium, quàm quòd æſtuanti in immanitatis omniſque barbariei interitum flammæ, novum in augmenta pabulum ſuggeſſerint? Et verò ſpectate incrementum. Ab hominibus ad dæmones, ab extrema terrarum regione ad Tartareum expugnandum Imperium progreditur. Coguntur acies, ſiſtuntur campo, acuitur furor, moventur

ventur arma, toto impetu irruitur in Xaverium. Quid agitis vesana turba, inferni agmen, ministri feritatis? in unum acies & phalanges, in inermem armati, sævi in mitem ac benignum involatis? minoris latratum canis major despicit: minoris insultum belluæ irridet Leo: ad pueri fescenninos Gigas nec circumspicit. Et vos multitudine innumeri, viribus leones, immanitate barbari, crudelitate Tyranni, stipato exercitu coronatis unum, quorum unus stipatissimum sæpè exercitum devastavit? sed premite porrò Xaverium, id exprimetis, ut, quod oraculo prædictum orbis jam pridem crediderat, illud tandem historiâ videat confirmatum. Credebamus, quod fortis sit, ut mors dilectio; & dura, sicuti infernus æmulatio: videmus pugnantem in Xaverio Charitatem incumbentis inferni mole firmiorem. Etenim non possunt sustinere ardentis Amoris lumina, *potestates tenebrarum*; fugiunt charitatis splendorem Tartari tenebriones; percelluntur luce noctuæ; fugantur leones igne; perstringuntur calore principes in rigentis Aquilonis monte assueti considere. Ite jam intemperantis injuriæ cœli, infesta terrarum odia, accumulatæ maris tempestates, nova in Xaverij Charitatem bella decernite, ubi victum, fugatum, prostratum, deletumque glorioso prælio infernum spectatis. Oppone natura montes; Amor pennas habet, ut supervolet: discinde terras per interfusi pelagi tempestates: etiam naufragium magister Amor docebit enatare: diffunde graves è nubibus pluvias; *aquæ multæ non potuerunt extinguere Charitatem*: Insperge dumetis itinera; stimulos pones ad celeritatem: Brumali flumina obdura gelu, videbis charita-

tis

tis incendia, etiam cùm frigeſcit: armatas frigore oppone nives, Soli oppones eliquandas. Nam ſi Phœdro & Orpheo ex Poëtarum, Antiſtheni & Charidemo ex Philoſophorum, Chryſoſtomo & Bernardo ex Divorum concilio conſcriptis Patribus adſtipulamur, cùm amorem omnem, tum illum, quo Xaverium miramur animatum, Solem appellabimus. Ut ſi miramur ad ſua proferenda beneficia Solem ab Oriente properare in Occaſum, miremur Xaverium ſuos ab Occidente curſus in Orientem incitâſſe. Si Solem Illuſtriſſimam *DEI* umbram cũ Ægyptijs appellamus, *DEUM* verò charitatem eſſe cum Joanne aſſerimus, Xaverium quoque DEI umbram appellemus. Si Solem cœli oculum cum Poëtis nominamus, Xaverij oculum nominemus Charitatem. Si Solem rerum univerſalem Patrem cum Philoſophis dicimus, dicamus Xaverij Charitatem rerum in Oriente præclariſſimarum genitricem. Si denique Solem cum Empedocle mundi animam nuncupamus, Xaverij animã nuncupemus Charitatem. Sed nolo plus affectui veſtro pronęque in Xaverium voluntati, quàm rationis argumentis tribuatis; nolo priùs affectu perſuaſi in Xaverio adoretis Charitatem, quàm rationis oculo perſpiciatis. Agę verò ſacer Orator, Divinorum Interpres, Magiſter gentium, qua tu vultus habitusque compoſitione ſpectâſti Charitatem. *Charitas patiens eſt*. Xaverius ad incudem magnes; in ſpinis roſa, in nocte ſtella, ſub cadentium nimborum tempeſtate Oceanus eſt. Non emollitur magnes, non ſauciatur roſa, non obſcurantur ſtellæ, nec mediterraneorum illapſu fontium pelagi ſapor dulcoratur. Quâ frontis hilaritate ſpectabilem intuitus es Charitatem? *Benignâ*. Eâdem

dem viderunt Xaverium Hispaniȩ Nosocomia, Xenodochia Italiæ, compita Galliæ, deserta Indiæ, Japoniæ solitudo. Experta est Barbaries, quam ad Herculis Gallicani invidiam aureis Amoris catenis vinctam, in libertatem asseruit. Quos animi spiritus legisti in charitate? *Non æmulatur.* Xaverius ubi natalium contempsit splendorem, superbam ædium proculcavit magnificentiam, Sirenes animorum despexit voluptates, oculorum irritamenta projecit Divitias, ne unus sibi restaret, laudabili sese prodigalitate publicæ Orientis incolumitati dedicavit. Qualis in gestu Charitas, qualis visa est in actione? *Non agit perperam.* Loquatur Badagarum exercitus; qui ne in destinatum Xaverianorum interitum advolaret, unus sui objectu pectoris vetusto nobilior cælite Xaverius copiosissimum exercitum profligavit. Loquantur nobilitata illa in ora Sinensi vasa, quæ falso maris ebria liquore, dulcissima Charitas ad dulcorem revocavit. Loquantur compositæ maris procellæ, detersa cœli caligo, & serenissimi dubitantibus in vitæ mortisq; confinio hominibus soles restituti. Quem esse Charitatis Spiritum didicisti. *Non inflatur, non est ambitiosa.* Quid dices, si Xaverium videris tantum à sui commendatione erubuisse, quantùm à vituperijs nemo expalluisset. Quid dices, si ad Honorij Antistitis genua provolutum spectes Xaverium, quem Pontificiæ authoritatis diploma, Apostolicâ legatione ornârat. Perge arcanorum sacerdos, totam describe Charitatem. *Non quærit quæ sua sunt.* Non miror jam illustris familiæ claritatem tenebris, res à parentibus proavisque relictas silentio, majorum titulos ac imagines æterna à Xaverio

oblivione

oblivione fuisse involuta: non miror opibus egestatem, contemptum honori, convitia laudibus, servitium dominationi prętulisse. Non miror Apostolicum Authoritate Legatum, nobilitate clarum, doctrinâ eximium, virtutibus cœlestem, nautricas obire turbas; adire valetudinaria, publicis servire diversoriis, erigere languentes, solari mœstos curare morbos, lambere ulcera, & subinde horum reliquias epotare. Sed totanè hæc est Charitatis facies? *Non cogitat malum, non gaudet super iniquitate, congaudet veritati.* Impura illa imaginis umbra per quietem objecta; egesto de naribus sanguine profligata, impensus pereuntibus animis dolor, centena hominum millia sacro mundata latice, tui sunt gaudij, tuarum testes cogitationum. Conclude tandem, quam cœpisti Charitatis descriptionem Paule, ultimam lineam trahe: *Omnia credit; omnia sperat, omnia suffert.* Quæ verò Xaverij fides? quàm animarũ prodigi sanguine purpurarunt Martyres, quam cœlo tot intulere myriades? quæ spes illa, qua in sexaginta Turcicarum navium classem, victoriâ jam de Christianorum concrematis navibus superbientem, ipse ducentos aut trecentos milites, prioris reliquias prælij, cum certa spe eventuque victoriæ involavit? Quæ illa spes? quâ vicenis quinque Tolanorum millibus, qui à Christo sacrilegè defecerant, & in Christianorum etiam cædem crudelitate duce ferebantur, ducentos ipse, ac triginta tantùm milites ita opposuit, ut vinceret; ita vicit, ut ruentibus cœlo tenebris, cadente fulmine, pluente cinere, grandinantibus saxis consepeliret. Quæ demum illa animi firmitas, quæ constantia mentis? qua Barbarorum derisit insultus,

Oceani tempestates exhausit, calentis Solis toleravit injurias, adversa latronum molimina propulsavit? quæ illa pectoris celsitudo? quâ primo seipsum aggressu vicit, & lascivientem carnem strictis ad suras funibus compescuit, jejuniis appetitum cohibuit, flagris sensum composuit, oratione sese totum frænavit. O vera amoris effigies Xaveri! ô verum Charitatis simulachrum! Nemo proinde jam miretur, illa & Numinis æterni, & Barbarorum etiam hominum in Xaverium amoris documenta. Amor enim fons est amoris, qui cùm bibitur, sitim non sedat, sed accendit. Amor incendium est amoris: quemcumque invaserit animum, paribus flammis involvit. Amor illicium est amoris: per omnem semitam, quâ graditur, gravissimâ violentiâ sequentem trahit amatum. Amor nutrimentum est amoris; hoc ubi excreveris, alterius accipis incrementum. Amor rete est amoris: hoc dum panditur, amor trahitur captivus. Amor esca est amoris: hæc dum gustatur, animus inhamatur. Amor speculum est amoris: quos à se disperserit radios, recipit cumulatiores. Amor Cynosura est amoris: hæc ubi cordis ex polo refulserit, statim alieni amoris portum recludit. Quę si vestro etiam assensu comprobatis, videte quid tanti Parentis Virtus & amplissimæ Charitatis anima postulet. Ego certè ne meâ ignaviâ suffundatur, felicissimâ metapsychia aut animæ migratione Xaverij animam, quam in vos jam pridem migrasse animadverto, meo etiam infundi pectori desiderarem. Audi Clientem Xaveri! quid prohibet uno animo tot animari corpora, quæ pridem tecum iniêre societatem? Ad exundationem ita sese tuo pectori Charitatis

tatis infundit Oceanus, ut diceres *Satis est, satis est.* Sed compesce Xaveri vota, patere cœlestis delabi flumina Charitatis; si repletus supereffluis, en pectus istud vacuum & inane: cui exundantem Charitatis animam si infuderis, tum demum votorum compos exclamabo, *satis est.*

Dicta Viennæ Austriæ.

ORATIO XXV.

DE S. FRANCISCO XAVERIO.

INDIARUM APOSTOLUS.

SI universa Rerumpublicarum felicitas privato singulorum studio describeretur; equidem gemina illa Epicteti documenta Ἀνέχου καὶ ἀπέχου veterem Romani nominis splendorem omninò extinguerent; quem illi non interituræ famæ avari nundinatores, fortia agendi patiendique legibus definiebant. Nam dum quisque suo contentus tugurio exterorum incurius viveret, nullo fatigatus incursu, nemo per publicę utilitatis provincias Heroici sibi nominis gloriam compararet. Cadit enim per indicta sibi silentia communium negotiorum procuratio, & per accisos difficultatum aditus duræ virtutis experimentum prohibetur. Singulorum ad quietem secessus tollit populorum commercia: & dum nemo aliis vivit, omnes ante sua funera fatali nominis oblivione sepeliuntur. Nunc verò cùm secunda Regnorum fortuna Heroum multitu-

dine ſtabiliatur; ea demùm Reſpublica felicitatis apicem conſecuta judicabitur, quæ in ſuorum cenſu numeraverit quamplurimos non minus acres privatæ quietis inimicos, quam ſtudioſos publicæ incolumitatis propugnatores. Enimverò dum nemo ſibi naſcitur, quiſque ſæpius vivendi privilegio vivit. Ubi alter alterius vitæ ſtudet, ita ſuâ ſinguli vitâ vivunt, ut omnes alienæ fructum experiantur, extetque communis quædam populorum vita, quæ omnium animis & ſtudijs coaleſcat. Atque hoc demum pulcherrimo ſtudiorum conſenſu conſtituuntur ordines, digeruntur magiſtratus, componuntur cives, retunduntur hoſtes, ſervantur mœnia, extenduntur limites, proferuntur jura; & dum alternum pacis bellique imperium ſecurâ felicitate ſtabilitur, unica Heroicorum virorum progenies, æternaturâ apud circumfuſas regiones glorioſi nominis famâ enaſcitur. Quare ſi alterius Orbis Apoſtolum Xaverium turpi ſilentio aut nominis ſepulchro exemptum volumus, eundem alijs natum eſſe profiteamur. Indormit deſidioſa Fama, cùm per heroica facinora non excitatur. Obmuteſcunt centenæ ejus linguæ, ſi, quod loquatur ſingulare, non ſuppeditas. Incidit ipſa ſibi pennas, ſi, quod ad populorum admirationem proferat, non dictaveris. Id verò non eſt publico Soli ſe ſubtraxiſſe, negaſſe ſuam conſilijs ſapientiam, negotijs induſtriam, periculis vigilantiam, difficultatibus laborem, bellis fortitudinem; ſed per omnem agendi patiendique circum ſuam in Reipublicæ commoda magnanimitatem exercitare. Hanc unam alieni commodi Cynoſuram grandes illæ animæ in ſuarum gloriarũ curſu ſuſpexerũt; quæ Romam, Spartam, Athenas animoſo ſui

ſui ſanguinis impendio ad nominis immortalitatem evexerunt. Ad hanc cotem exacuerunt ſuæ fortitudinis arma Scipiones & Alexandri; quibus Imperiorum Regnorumque felicitatem latiſſimè circumtulerunt. Ad hunc portum per inundantem proprij ſanguinis Oceanum aſpirârunt Leonidæ & Curtij; ut luctantem cum interitu, & propè naufragantem Rempublicam decumanis procellis eriperent. Ad hoc denique centrum nativo ſpiritûs pondere inclinârunt ſemper primi illi Eccleſiæ fundamentales lapides Apoſtoli, qui ſuos labores per immanes terrarum mariumque tractus ad extremos deficientis naturæ imagines protulerunt. Quorum cùm impenſum aliorum incolumitati ſudorem intueor, unus mihi *Xaverius* utriuſque mundi prodigium Curtios & Leonidas ſepelit, Alexandros & Scipiones confundit, Romæ, Spartæ & Athenis omnem demit admirationem. *Xaverius*: quem virum nomino? cujus ſingulum vitæ momentum ſingularis eſt actio: ſingula actio exaggeratiſſimæ panegyris argumentum: cujus explicandis facinoribus laboret æternitas; cujus enarrandis miraculis deficiant Oratores: cujus recenſendis virtutibus non ſufficiat Arithmetica: cujus deſcribendis itineribus Coſmographica tabula delinçetur: cujus laudes tentare quidem omnibus, nulli verò emetiri conceſſum *Xaverius*, multarum gentium & populorum Pater, cujus ardor exhauſit Oceanum; cujus charitas totum Orientem eſt amplexata; cujus ſapientia orbem erudivit; cujus ſpiritus Bonziorum tumorem exſufflavit; cujus conſtantia inconcuſſa, cujus virginitas illibata; cujus magnitudini anguſtus orbis; cujus fortitudini nihil difficile, cujus

potentiæ cesserunt elementa, cujus integritatem mors ipsa non ausa est violare. *Xaverius*, dicam compendio omnia, dicam cum Romano Oratore, cum Quirinalis Insulæ authoritate, cum universi orbis approbatione, XAVERIUS INDIARUM APOSTOLUS. Quod cùm auditis, jam vos, & obviantium difficultatum enavigandos Oceanos, & infractam animi generositatem vobis ipsi mente depingitis: illud unum Apostolicum rati symbolum, *Agere & pati fortia*; quod Romana sibi temeritas in suarum laudum epigraphen arrogabat. Quæ si prosequendi mihi plenam conceditis potestatem, ingredimini prius mecum Romanũ illud Nosocomium, in quo cùm ab aliorum corporibus ægritudinem morborumque tormenta & cruciatus amoliretur *Xaverius*, DEVS illi rerum agendarum tolerandarumque seriem reducto velut sipario spectandam demonstravit. Quiescebat nocturno sopori tantisper concessus post diurnam lassitudinem *Xaverius*, at DEUS illum novâ rerum specie de cœlo vigilanti animo objectâ fatigabat. Videbat, non fingente ad illusionem Morpheo, sed revelante ad duræ virtutis experimentum DEO, explicatam in cœlo mappam; quâ vastissima Orientis Regna & Provinciæ, populi & nationes, sinus & maria, littoria & promontoria exhibebantur. Videbat discedentem per vastissimas solitudines ab Europâ Africam, abeuntem in extremos exspirantis mundi & naturæ angulos Asiam, & effusam illam in amplissima terrarum spatia arenam, suis laboribus DEI invitantis imperio destinatam esse agnoscebat. Subibant deinde animum convolutæ in semetipsas indignantis Oceani tempe-

tempestates, insaînes mille naufragiis scopuli, conspirantia in navigantium funera ventorum prælia, sublatæ ad cœlorum assultum procellæ, depressi in profundissimam abyssum aquarum hiatus; & intelligebat pericula, quæ sibi erant subeunda, monstra cum quibus luctandum; naufragia, quibus erat involvendus. Pingebantur minantes in Cœlum Caucasi, qui erant anhelo spiritu superandi; canæ perpetuis nivibus Acroceraunia, quæ erant sanguineis vestigiis purpuranda; horrentes Japonico gelu scopuli, qui erant calidissimo sudore eliquandi; lubricæ continuâ glacie rupes, quæ erant summâ velocitate emetiendæ; & intelligebat uno veluti cursu Olyssiponem, Mozambicum, Melindam, Socotoram, Goam, Comorrinum, Travancoridem, Ceilanum, Negopatanum, Meliaporam, Malaccam, Molucas, Amboinum, Mauricas Insulas, Japoniam, Sancianum, Sinas, & siquid est amplius barbarorum nominum ac nationum brevi decennij spatio per centum milliarum millia sibi esse & excurrenda & excolenda. Objiciebantur armati in unius interitum Badagarum exercitus, contracti subsessorum arcus, volantes sagittæ, igniti acinaces, frementes Bonzij, insanientes Brachmanes, immanes Inferni copiæ; & agnoscebat crudelitatem verberum, quæ suo jam corpori parabantur. Repræsentabantur apud Reges odia, apud Magnates invidiæ, in foris despectus, in aulis probra, in plebe cachinni, in tribunalibus caluminæ, in occursibus maledicta, in congressibus opprobria, in conviviis venena, in conversatione doli, in affatu proditiones. Occurrebat in solitudinibus fames, in Oceano sitis, in urbibus

 egestas,

egestas, in tugurijs morbi; in littoribus nauseæ, in arenis calores, in Insulis nuditas, in ipsa Sinarum fronte sub aperto cœlo mors sicca sine tortore, sine profusi sanguinis triumpho subeunda. Spectabat denique quidquid potest novercantis fortunæ barbaries terrâ marique periculorum ad terrorem, violentiæ ad persecutiones, ferociæ ad vulnera, immanitatis ad interitum excogitare. Sed cùm videret naufragia, emergebat animus; cùm pingerentur frigora, inardescebat spiritus; cùm describerentur itinera, parabantur in Evangelium pedes; cùm objicerentur pericula, armabatur pectus; unaque illa, quamvis amplissima, & par mille Heroibus tolerandorum scena, unam *Xaverij* sitim non ita poterat restinguere, quin repetitis clamoribus, *Amplius! Amplius!* ingeminaret. Non fingimus hæc lascivientis Eloquentiæ libertate; sed quæ *Xaverius* ipse Simoni Rodericio editarum vocum testi & curioso indagatori manifestavit, enarramus. Quare ab imaginaria Heroicorum facinorum pictura ad exhibitam eorundem veritatem transferte cogitationem: ut intelligatis scilicet, si ad audendum animus, ad aggrediendum robur, ad confligendum spiritus, ad superandum vires desiderantur, neminem esse ex omni retro antiquitatis commendatione, qui cum *Xaverij* virtute componi, fortitudine comparari, magnanimitate ac constantia possit decertare. Cujus si res gestæ tantum ad calculos revocentur, dies ipse; si itinera, & peregrinationes, non exiguis circumscripti terminis vita; si Victoriæ, si triumphi, si cætera laude dignissima, linguæ ipsæ, debitaque ijs pro merito celebrandis eloquentia deficiat. Qui pauperibus in Nosoco-

Nosocomiis curandis famulus, miseris ope sublevandis Pater, rudibus instituendis Doctor, nocentibus reprehendendis vindex acerrimus; in conversatione agnus, in cathedra Leo, mitis & asper, mollis & durus, suavis & acerbus: qui nullo labore à procuranda hominum salute prohiberetur, nullo damno concideret, nullo respectu moveretur, nullo periculo à virtute deterreretur, nulla spe ad turpia suâque indignâ magnanimitate flecteretur: cui voluptates erant odio, incommoda amori, pericula desiderio, labores cupiditati, mors ipsa lucro; qui nullum nisi ex rebus humanis fastidium, nullum nisi ex rebus cœlestibus hauriebat solatium: qui plura Regna & provincias laborando excoluit, quàm cæteri oculis meditando pervolverunt; plura itinera confecit, quàm cæteri legerunt; plura vitæ discrimina adijt, quàm cæteri mente conceperunt. Sileant Macedones suos Philippos & Alexandros; Persæ Cyros & Artaxerxes; Græci Epaminondas & Pericles; Romani Marios & Scipiones, quorum quidem facinora præterquàm quòd à vera virtute, tantùm etiam à fortitudine, ac magnanimitate deficiebant, quantum à ratione totiusque recti ac justitiæ regula discedebant: Quos, ut omnia concuterent, armabat ambitio; ut regna & provincias depopularentur, incitabat audacia; ut urbes everterent, stimulabat insania, ut cinerarent populos, incendebat iracundia; ut flammâ & ferro sacra & profana confunderent, populos imperandi libido præcipitabat. Non est gloriosum facinus, quod vilis animus imperavit: Ubi refert quantum agas, plurimùm refert, qua mente. Fortitudini laudem furatur am-

bitio, victoriam defœdat avaritia, sceptrorum merita evertit regnandi libido. Nihil est tam honestum, cui turpis animus labem non aspergat. Unus memoretur *Xaverius* post tot ab Apostolis sæcula Thaumaturgus, in cujus animo cùm propagandæ divini Numinis gloriæ sitis æstuaret, tum ardentissima charitatis incendia per ipsa facta erumpebant. Invasit oram Piscariam zelus, & quà per sentes & dumos figebat pedem, ad turpe Adonidis per spinam vulnerati dedecus sanctissima rosarum vestigia imprimebat: quâ arentes calcabat arenas, sudore ad copiosissimam messem irrigabat. Lassatum diurno labore corpus ad nocturnum soporem vel anchoris injiciebat, nec dentibus tamen anchorarum incitatissimum animi cursum morabatur; vel morientium sese pedibus adsternebat, sive pietate commoriturus, sive dulcissimum reperturus somnum, ubi soror somni quiescebat. Involavit in Æthiopiam industria, & suo sudore comprobavit, non amplius esse inanem laborem, *Æthiopem lavare*. Occupavit Brasiliam pietas, & cùm parricidalem parentum in filios, filiorum in parentes crudelitatem cicuraret, Saturnia jura extinxit, Saturnia tamen sæcula revocavit. Irrupit in Travancoridem ardor, & cùm natantes humano sanguine aras perpurgasset, divinis eas victimis immolandis consecravit. Penetravit in Ceilanum religio, & cùm innumera dæmonum simulachra suis basibus evertisset, delubra & aras supremo Numini vendicavit. Immisit in Moluccos constantiam, & inconstantissimam Deam Fortunam, seu liberaliter donaret, seu avarè eriperet, seu vulneraret severè, seu tonaret acerbè, seu blandiretur amicè, inconcussus semper

suique

suique similis aspexit. Ingessit in opulentissimos thesauros moderationem, & possidendi licentiam vel munificentiæ legibus compescuit, vel spontè susceptæ egestatis frœno temperavit. Percurrit barbariem mansuetudo, & aurearum Gallicani Herculis catenarum memoriam extinxit omninò, dum ferocissimos populos vinculis charitatis colligavit. Afflavit Orientem affabilitas, & uno propè anhelitu omnem efflavit idololatriam. Quid dicam succussam frequente convulsione terram? dicam non emotum animo *Xaverium*; dum ne suis evelleretur cardinibus terra, gravi fundatorum ab eo templorum pondere est stabilita. Quid dicam conjurata in perniciem cum terris maria? Dicam Apocalypticum Angelum *Xaverium* uno pede terræ insultasse, altero maria compressisse. Quid dicam inhumanam pelagus intumuisse in superbiam? Dicam felicem Dyrrachij ratem, quæ *fortunam Cæsaris* vehebat; feliciorem illam, quâ *Xaverij* magnanimitas ferebatur. Dicam in omnia elementa *Xaverium* felicissimo imperio dominatum, omnium obsequia vel solo nutu extorsisse. Audivimus enim & perterrita incendia ad unius vocem compressisse licentiam, provocatas è cœlo flammas inter tonitrua & cineres ad Christianorū tutelam in Tolanos idololatras esse delapsas; ut si Metapsychosin vetustatis commentum esse nescíremus, facilè Eliæ spiritum in *Xaverium* transmigrasse crederemus. Vidimus ipsius terræ, pigri cæteroquin elementi, expeditam ad obsequendum velocitatem, quando vel insulas & promontoria horrendis motibus concussit, ut ejectâ perfidiâ fidem confirmaret; vel ad Tolum immanes sub montium prærup-

tis fauces aperuit, seu ut uno hiatu omnem iniquitatem absorberet, seu ut planam Evangelio semitam reseraret. Admirati sumus aëris officiosa obsequia, sive cùm ad unjus imperiū serenitatem revocavit, quàm vel turbatę ventorum rixę involverant, vel coactæ in densum exercitum nubes sepeliverant; sive cùm *Xaverij* corpus non sine prodigio in sublime libratum frequenter excepit, ut optimè de terris meritum cœlo tantum inferret; sive, cùm solo *Xaveriani* cadaveris odore purgatus efflato pestifero halitu, qui totam circùm Malacensem regionem occupaverat, se restituit salubritati. Quæ verò portenta non obstupuimus in Oceano? Non memorentur, pacatæ ad unius nutum turbatissimę aquarum seditiones; taceantur hiantes toties ac propè dilaceratæ naves, quæ contra rebelles procellarum insultus integræ constiterunt: prætereantur, quæ jam syrtibus adhærebant, uno *Xaverij* imperio in altum retrusæ: sileantur, quæ vel sine vulnere ad scopulos allisæ, vel sauciatæ lateribus, totisque solutæ compagibus, nullas in naufragium aquas admiserunt: non repetantur vel in fatalem malaciam advocata ventorum obsequia, vel eorundem violentia sæviente Oceano exturbata. Ut vel negligente hæc oculo meditantes, ni fabula esset Neptunus, facile Gentilium affectum probaremus, qui *Xaverio* Neptuni nomen imposuerunt. Sed nec memoremus illustre prodigium servientis Cancri, qui ereptam per undarum injurias pendentis è ligno DEI imaginem dolenti *Xaverio* reportavit: nec repetantur post diuturnos quidem, irritos tamen & desperatos Piscatorum labores ingenti agmine pisces in retia convocati. Illud verò non

sine

sine palmari injuria præteriremus, quod inter prima Gentium Apostoli decora adnumeramus: *Xaverium* triplici absorptum naufragio cum ventis & mari luctatum duas noctes, duosque dies inter aquas exegisse. Dicerem in uno *Xaverij* naufragio totum Orientem submergendum, nisi intelligerem sacræ diphtheræ testimonio *aquas multas populos esse multos*; quos jam tunc suo imperio *DEVS Xaverio* committebat, quando eum glorioso naufragio in profundum demersit. Dicerem vel fortunæ acerbitatem, vel ventorum violentiam allatam in *Xaverio* salutem Indis & Japonibus invidisse; nisi scirem sub prima mundi libramenta *Spiritum Domini super aquas* illatum parturiendæ naturæ liquido illi elemento incubuisse; addisceremque probè incubare *Xaverium* aquis, ut nova prole Gangis deserta fœcundaret. Dicerem absorbendum oscitante abysso *Xaverium*, nisi ex aurea Chrysostomi eloquentia didicissem, *pugnantem cum fluctibus Paulum animas è diaboli faucibus extraxisse*; intelligeremque *Xaverium* pari nisu innumerabiles populos & nationes ex abyssi tenebris ad purissimam lucem revocare. Dicerem sepulto interfluctus *Xaverio*, repetito inundationis diluvio Orientalem orbem interiturum; nisi audivissem, unum corrupto sæculo integrum Noë in medio ponto portum naufraganti mundo constituisse, colligeremque superiorem fluctibus innatare *Xaverium*, ut securitatis arcam perituris ministraret. Dicerem amœnam illam *Xaverij* affabilitatem aquarum salsugine amaricatam; nisi legissem aliquando navigaturo Dionysio Tyranno *accidisse in portu, ut mare dulcesceret*:

 intelli-

intelligeremque ſæpiùs imperante *Xaverio* amarorem Oceani dulcorem nectaris induiſſe. Ut vel hinc ambigere omninò prohibeamur ; vitioſo illi elemento ambroſiæ inductum ſaporem , quod ſui guſtu deinde præter glorioſam illam Martyrum triadem, quam nuper inter Divos nominatam gloriati ſumus , traxit etiam Antonios Criminales & Aloyſios Mendez , Alphonſos à Caſtro , & Franciſcos Lopez , Gregorios Ferdinandez & Petros Correas, Joannes Soſas & Petros Martinez , Baptiſtas Seguras, & Sanctios Savallios, Chriſtophoros Rotundos & Rudolphos Aquavivas , Nunnios & Paciecos , Silverias & Venuſtos , & (ut ſua etiam ſint Auſtriæ nomina) Adolphos de la Pedroſa, & Andreas Xaverios , & propè infinitos alios vel Apoſtolicis facinoribus , vel Martyrij palmis celeberrimos viros, ac etiam hodie complures ex omni mundi regione æquè eximiæ ſanctitatis ac ſpectatæ ſapientiæ, quos licèt quàm remotiſſimos , ſuaviſſimus ille degenerantis à ſuo ſale Oceani ſapor ſui amore inebriat. Dicerem denique infelicitate ſuprema *inſigendum in limo profundi Xaverium*; *niſi* erudiret à Plinio , *tecum Orientis Oceanum ſylvis refertum eſſe* ; deduceremque conſectaria neceſſitate, non tam in mare ejectum, quàm ad amœnam ferarum venationem in ſylvas deductum. Quæ univerſa ſi ad juſtam rationis trutinam ponderatis; dicetis aſſuetam hyperbolis antiquitatem minùs audacem fuiſſe in affingenda Deorum manibus in res creatas poteſtate, quàm *Xaverius* potens fuerit ad obedientiam ab omnibus elementis extorquendam. Fingit enim illa, neſcio quem, Soli Jovem dominari : admirabimur nos quidem, vel ad Ezechiæ

vota Solem per denas lineas recessisse, vel ad unius Josue imperium suspenso cursu immotum constitisse; sed celebrabimus tamen orbi, eundem unius *Xaverij* nutu vel imperatâ sese eclipsi involvisse: ut communi lucis usurâ se indignos agnoscerent, qui sacrum fidei lumen ejurassent: vel intercepto gradu trihoræ spatio prodigiosè quievisse: ut sopitam exasperati Numinis iram intelligerent illi, quos super innatâ facilitate DEUS Solem suum non jam oriri tantùm faceret, sed productiore lumine radiare. Mentiatur illa nescio quem Æsculapium aut Podalyrium animas inter vitæ mortisque confinia dubitantes efficaci herbarum medicinâ ad stabilem sanitatem revocasse; narrabunt Venetiæ *Xaverium* non modò fœtentem ulcerum putredinem cum voluptate detersisse, sed admoto etiam ore ad perdomandam nauseæ contumaciam ægrotantis saniem linxisse avidè, & aquam à perlutorum ulcerum tabo squallentem exhausisse: ac simul tam omnium ærumnarum gustum percepisse, quam profluam in omnes pietatem suxisse: narrabunt leprosi illius manibus abluti, vel solo ejus attactu abolitum malum: narrabunt Europa & India sine herbarum miraculis solâ *Xaverij* umbrâ innumeris ægris prosperam valetudinem restitutam: ut sciamus neque *Xaverij* umbram fuisse otiosam. Comminiscatur illa Mercurium per umbrosi itineris errores defunctorum manes ad inferos deducere: affirmabit cum universa Malaca Mahometanus Saranguis filium suum viventium consortio ereptum, *Xaverij* suspirio inter vivos repositum: affirmabit ora Piscaria, Comorinum, Goa, Bazainum, & Japonia quinque supra vicenos in mortuorum numerum

ad-

adſcriptos,ac etiam triduana humatione in putredinem defluos in vivorum cenſum repoſitos: Ut pene Chriſtum in illo venerari debeamus,qui tot Lazaros ad vitam revocavit. Jactet illa benignioris Fortunæ arbitrio potentiorum liminibus aurum affluere, & opulentâ gemmarũ grandine arces flagellari: opponemus nos *Xaverium* ſolo luſoriarum chartarum attactu contuliſſe deſperato luſori felicitatem,& gravem perditarum fortunarum jacturã, & acerbum exulcerati animi vulnus reparandi: opponet nobiſcum Mechaum nobile illud Sinarum emporium Petri Vellij fortunatiſſimâ lucra; cujus arcas in Cœli fœnora liberaliter evacuatas occultâ rurſus argenti aurique multiplicatione *Xaverius* locupletavit; docebitque ſpontaneas divitiarum jacturas plurimum cœlo fœnerari. Intrudat illa vel Æolum Ventorum inſanias refrænantem,vel Neptunum tridentis imperio fluctuanti pelago dominantem: Objiciemus nos *Xaverium* commoventem pro libitu ſedantemque ventos,tranquillantem maria, ambigua dirigentem vela, laceras protegentem naves, inſultantem monſtrorum horrori, & veſanis pelagi tempeſtatibus imperantem: ut diſcat Perſa catenas olim minatus Helleſponto; inanem ſuam eſſe jactantiam, ubi contumaces procellas ad arbitrium *Xaverius* compreſſit, excitavit. Ingerat illa ſive Orpheum chordarum titillatione rigentes ſcopulos in amœnas choreas excitantem; ſive Amphionem citharæ poteſtate ad humanitatis leges in ſylvis belluas cicurantem: regeremus nos *Xaverium* mitigantem populos ſitu extremos, moribus barbaros, ritu ſacrilegos, animis feros, immanitate crudeles; quibus

fero-

ferocire aſſuetudo ; occidere ludus, dilaniare jocus, devorare voluptas : ut ſi ſtellas cœli oculos credidimus hactenus, hodie Dei pupillam concedamus *Xaverium*, per quem ille tot barbaris nationibus amorem infudit. Non advocabo in hanc diſceptationem centum linguarum Famam totidem Poëtarum hyperbolis celebratam ; qui *Xaverium* intelligo centum diſparibus ac diſſonis nationibus, non expeditè tantùm, ſed etiam diſertè concionatum, non ſine prodigij additamento, ſive quod una eademque ad conflatam è varijs gentibus dicentis oratio ; ſuo ſingulis idiomate novo Apoſtolici nominis teſtimonio perſonaret ; ſive quòd multis ſimul diverſiſſimi argumenti quęſtionibus laceſſitus, unâ omnibus reſponſione ſatisfaceret : unius verbi compendio omnibus omnia factus, qui unicum *DEI Verbum* prædicatione aſſiduâ circumferebat. Non adſciſcam in comparationem, neſcio quem Gallicum Herculem ex fabularum artifice vetuſtate ; qui animadverto *Xaverium*, non tantùm dicendi vi & efficaciâ Indorum Brachmanes, Hebræorum Rabbinos, Turcorum Imanes, Japonum Bonzios conjuncto velut agmine veritati inſultantes, in turpiſſimum ſilentium pudoremque retruſiſſe; ſed à ſenis etiam milliarium millibus, ſui, veluti prodigij, videndi audiendique deſiderio Ethnicum, ad pacandas animi tempeſtates attraxiſſe. Non adducam glorioſum illum per commenta Græciæ totius Orientis triumphatorem Bacchum; qui *Xaverium* audio à Romanæ tripodis Oraculo poſt ſolo alliſa & confracta quadraginta Idolorum millia, poſt coronata Regum Dynaſtarumque capita Chriſti jugo inclinata ; poſt vicies centena capitum,

pitum millia in triumphum ducta, aucto æternitatis Catalogo *Indiarum Apostolum* nuncupatum. Non provocabo formidatum vel solo nomine Martem, quem sui jam pulveres sepelierunt; quando *Xaverius* vel suo Zelo justissimi belli facem immisit in Acenos, & exili manu ingentem Deo victoriam reportavit: vel in bonæ causæ triumphum armatas preces eduxit in aciem: vel unus & inermis solo Exercituum Deo armatus, ipse Dux & Miles, ipse Imperator & Eques, crudelissimum Badagarum exercitum cùm causâ vinceret, etiam bellandi felicitate superavit: vel demum coactam sępiùs in verbera & flagella *tenebrarum potestatem* unus *filius lucis* inexpugnabili patientiâ toleravit. Quæ omnia cùm ab agendi aviditate magnanimum, à patiendi pertinacia constantem *Xaverium* probent; tum verò illud nobis violenter persuadent, ut Romani oraculi voce eum meritò totius *Orientis Apostolum* veneremur. Quare non inane fuit illud figmentum Morphei; quando oppressis sensibus vigil animus ingentis magnitudinis Æthiopem humeris suis non sine sudore gestare sibi videbatur. Quo uno veluti præsagio intelligebat, in humeros suos Orientalem orbem inclinari, quod novus Atlas nec sine labore susciperet, nec sine sudore gestaret: id tamen ex eo fructus consequeretur, ut suo laborantis anhelitu afflaretur sanctitas Orienti, suo sudore non tam vultuum nigror, quàm animorum fœditas ablueretur. De quorum omnium fœcundissimo eventu, cùm nondum sera posteritas, gratulemur: credamus à *Xaverio* nobis hodie suavissimum salutis nomen, quod, sive reipsa, sive ingeniosâ Pictoris fictione, à puero *IESV* è manibus

Vir-

Virginis prono radijs circumfusam acceperat, eminus commonstrari; ut si illud *oleum effusum* agnovimus, vel hoc ceromate ad gerenda pro Christi fide bella, novi Apostoli, perungamur; vel hoc oleo Mystæ pro Orbis incolumitate etiam sanguinem litaturi inauguremur; vel publicis mundi vulneribus sanitatem procuraturi medico hoc unguento instruamur; vel denique coram gentibus & Regibus Apostolorum vice DEI Legati compărituri, salutifero hoc nomine, unico salutis clypeo, muniamur.

Dicta Viennæ Austriæ.

ORATIO XXVI.

DE S. MAURITIO, ET THEBÆIS

Martyribus.

SI Spartanorum vetus ad harmonicas lyræ voces bellandi ritus nostram superstes fluxisset in ætatem, Auditores Academici; optarem ego, Thebæa Legio, gloriæ tuæ, triumphorumque præceptorem Thebanæ fidicinem lyræ Amphionem, cujus animata sonore, non tam ferventem Martiali pectore calorem ebullires, quàm totum famâ diffusa per orbem utriusque Fortunæ victrix celebrareris. Etenim si laudum suarum Panegyristen non nisi è domesticis, aut agnominibus superstitiosè cauta admittebat Antiquitas, præterquam quòd demandato

to dicendi munere sublevarer ego, Tu quoque eum sortita esses Laudatorem, cujus ipsa affinis es nomini, cujus Poësis omnis Numen adorat, cujus Eloquentia gloriam veneratur. Sed nec bene audiuntur fides, cùm pro fide effervescunt prælia; nec Thebæa Legio Thebanum postulat Oratorem solâ verborum pompâ magnificum. Affectata Heroum commendatio detractionis est species. Quæ vultui allinitur cerussa, eodem colore deformitatem prodit, quoad venustatem pingit. Quidquid adscititijs indiget, suo deficit. Quæ procuratis ornatur sententijs virtus, vituperij subjicitur argumentis. Precaria à Laudatoris suffragio petita encomia, aut falsi sunt, mordacesque Fescennini, aut deducta per continuas ironias vituperia. Quare sapientissimè illud à te factum est, Inclyta Saxonica Natio, quòd eum delegeris Oratorem, cujus non possit laciniosa eloquentia virtutis veræ frontem obnubere, nec arrogato splendore clarissimum Thebæorum Militum diem illustrare. Unde & ego mearum illud partium intelligo, gesta duntaxat Heroum bella recensere; ut vos parem victoriæ triumphum decernatis. Ne verò præliorum omnium calore ferventium, multitudine innumerabilium, magnitudine stupendorum inconsulto seriem, & inextricabilem prope Labyrinthum ingrediamur: illa duo, quibus & contra blandientem lenocinijs Maximiani vultum, & contra eundem crudelitatis ardentem incendio conflixerunt, ejusmodi esse statuite; quibus nihil vitium ad arma, armorum ad furorem, furoris ad insaniam, insaniæ ad crudelitatem addi posse videatur. Utroque Fides impetitur, neutro tamen superatur. Non emol-

emollitur prosperis*, non opprimitur adversis. Quia *Vna* est, vultum non variat. Affectuum ignara, nec amat, nec timet. Ad immortalitatem nata, nec vitæ servandæ desiderio illicitur, nec perituræ periculo concutitur. Favoris divini conciliatrix mortalium odia non pertimescit. Solem dixeris; quem nubes possunt tegere, non lucem eripere. Oceanum nominaveris, qui tot supernè delabentium imbrium, tot infernè illabentium fluviorum aquas in suum colorem trahit. Impugnata non frangitur; laudata non flectitur; concussa non nutat, delinita non ridet, depressa non jacet, erecta non tumet; ad lenocinia surda, ad gloriam cœca, in utriusque Fortunæ vicissitudine semper sua.
Inaudiit extremum illud mundi probrum & nauseantis naturæ vomitus Maximianus Imperator dictum lustrationi diem locumque vitari à Mauritio, sociam longiùs recessisse Legionem; Quirinalia detestari sacra, Deos Patrios Orco devovere, Christianum Numen adorare. Ilicet mordere dolor animum, moveri indignatione, fervere irâ, æstuare furore; os, oculos, frontem, vultumque omnem Crudelitas inflammare. Actum est Mauriti, periistis Thebæi Milites. Hæc frontis succensæ nubes non nisi in fulmen resolvitur. Cæsareus furor non lentè tonat; ut fulmen simul cadit, ferit, contrucidat. Ille tamen per quem premi omnino, comprimique non poteras, furoris impetus premitur animo, & simulatione coërcetur. Explicantur mendaces per frontem Charites, fingitur arrisu gratia, simulatur commiseratio, exaggerantur laudes, cumulantur promissa, totus Cæsareus vultus lenocinijs inducitur. Fingite si potestis animo generosa illa Martis pectora,
&

& ad cumulandas Imperio victorias educatos ſpiritus Imperatoriâ oratione dilaudari: ibi florentia eorum nomina oſtendi, quocunque ſeſe Maximiani laureæ protendunt: quà Cæſaris auditur fama, illic eorum glorias commonſtrari. Fingite ſpes Cæſaris univerſas in eorum ferro, Galliæ felicitatem in eorum victorijs, Romani Imperij ſecuritatem in eorum fide collocari. Fingite glorioſa illis populorum judicia, Provinciarum plauſus, Civium æſtimationem, paratos Romę triumphos repreſęntari. Fingite adjunctas preces, ne quam tot Heroicis facinoribus ſibi compararunt nominis immortalitatem, eandem uno repente tumulo per degenerem actionem ſepeliant: ne ex ſupremo gloriæ vertice ſe ſpontè præcipitent, ad quem per manantia cruore vulnera, per tot aperta capitis diſcrimina pertigerunt. Fingite doloſè piam admoveri cohortationem, ut patibularem *DEUM* ejurent, Chriſtianorum ritus deteſtentur, & patria Numina ſacrâ thuris effumantis nube venerentur. Id ſi præſtiterint, ſponderi opes, Cæſareos amplexus, vectigalia Romæ, populorum obſequia, Deorum immortalium favores adpromitti. Quo verò ad hæc illicia Heroos animos conſtitiſſe ſpiritu exiſtimatis? Scio inter Sirenum blandimenta prudentiſſimos etiam Ulyſſes periclitatos, monſtrorum Domitores Hercules ad Omphales lenocinia enervatos; Philiſtæorum terrorem Sampſonem ex unius Dalilæ amore in turpiſſimam ſervitutem abſtractum. Adeò blanditiæ etiam in eos poſſunt quamplurimùm, quibus nulli cruciatus timorem incutere valuerunt. At fregerint ſanè multos, enervaverint plures, non potuerunt tamen vel movere Heroos animos, non Mauri-

tium,

tium, non Thebæorum Legionem. Advertitur dolosa Siren, & per melleum illum frontis arrisum latens animi fel introspicitur. Quid enim? inquit Mauritius, gratiam polliceris? nempe ludentem lævâ Hyænam ostentas, quæ dexterâ contrucidabit. Blandientes Imperatoris affatus spondes Favonios? nempe Finnorum mercibus pretium facis. Nō emo mulcentes Etesias, tutius per Borealis furoris insaniam portum obtenturus. Quid honorem vulgi æstimationemque obtrudis? nulla est major miseria, quam præcaria felicitas. Nihil est ibi tuum, ubi à vulgo petuntur suffragia. Ambire honorem potes: at nisi voluerit alter, non obtinere. Quid invida cœlis Prætoria, Numidicis circumvestita crustis palatia, quid maculosa Corinthi marmora, quid maritas Cœlo Ægypti pyramides exstruis? Nempe graviore strage ruituram famam paras educare. Quid dignitatis fastigia, quid honorum apices suspicis? Excelsis prærupta adjacent, & lubrica est statio, cùm per pendula & præcipitio proxima ambulatur. Quid Luculli arcas, Pygmalionis opes, Daunorum messes ingeris? Aureum dives mancipium est. Habetur à divitijs, quas habere se falsò existimabat. Non est dives, qui multùm possidet, sed qui nihil desiderat. Omnes Mauritio, Thebæisque Heroibus divitiæ sunt, unum illum tenuisse, in quo *infinitus est thesaurus*. Apage lemniscatæ titulorum umbræ, fatui nominum splendores, aggregata maris vectigalia, & quidquid amplissimis Regnis venit annuum in tributum. Apage ad Sardanapali, & Sybaritarum opprobrium apparatæ voluptates. Frontem veris remittant; rideant, blandiantur: non credo. Immanes sub illo blanditiarum risu

latent

latent chelydri. Frons licèt exporrecta sine severioris umbræ ruga magra spondeat: non credo, Serenitas hæc ingentes sinu colligit tempestates. Vertuntur in tormentum, quæ præparantur voluptati. Diffugiunt celeriùs, quò captantur avidiùs. Brevi gaudio longa fastidia nundinantur. Magnæ nobis divitiæ sunt divitiarum contemptus, Maximamque à Voluptatis exilio capiemus voluptatem; Opes dominos suos sæpiùs prediderunt, quàm servârunt. Nunquam tenetur securè, cui multorum invidia insidiatur. Quid ad hæc indomitus furor? Exulceratur scilicet animus, vesaniæ erumpit incendium: non frontis, non oris color unus: fremit, frendet, pallet, rubet, æstuat, ardet, & voce manuque funera minitatur. Stant tamen intrepidi Heroës, nullo alio loricati munimine, quàm virtutis: constantiâ impetum, fortitudine iram, animi magnitudine Tyranni frangunt insaniam. Equidem tibi Sacramentum diximus; Imperator; sed DEO priùs. Sub tua labara sanguinem oppignoravimus, sed cœlo non subtraximus. Utrique militare si possumus, utrique prodigas cruoris animas immolamus. Alteruter si ejurandus est; DEUM veneramur. Hâc solùm lege debetur Cæsari fides, ut DEO obligata non frangatur. Honesta si imperes, habebis obsequentes: Numini detestanda si jubeas, desinis esse Imperator. Vicarium cœli te colimus: potestate si abuteris, non es Cæsar. Jube, quod Milites decet, excubias agere, stare in acie, confligere, & patriæ incolumitatem venali sanguine reparare: experieris, quam debet Cæsari miles reverentiam, amorem, observantiam, non magis Sacramento juratam, quàm glo-

gloriosè profuso sanguine contestatam. Ubi cœlo nihil repugnas, tui sumus in vitam, in bella, in vulnera, in mortem: si Cœlo indicis bellum, baltheum exuimus, arma deponimus, non militamus. Fortes esse dicimus pro Cæsare: sed non minùs constantes pro DEO. Pro te mortem triumphavimus sæpè, pro cœlo nunquam formidavimus. Ut fidos tibi conserves, non doceas debitam Numinis fidem ejurare. Quid sperare possis à nobis Heroicæ fortitudinis pro salute patriæ, si experiaris imbelles pro Religione luctatores? Metum intentare poteris: non incutere. Occidere poteris; sed non vitam eripere. Virtus etiam post funera vivit; cui per ipsa funera ad vitam aditus aperitur. O gloriosam libertatem! ô memorandam futuris sæculis animi célsitudinem! Frustra jam vesana rabies minitaris carceres: liber animus semper habet effugium, & ubi caliginosam in noctem eos demerseris, ad publicam lucem emergent illustriores. Frustra paratis in supplicium flammis ardorem mentium moliris extinguere, si animorum calor majora inde sumit incrementa. Frustra secures & ferrum, cædes & funera designas, si Thebæa Legio

Per damna, per cædes, ab ipso
Ducis opes, animumque ferro.

Insanit tamen Oreste impotentior immanitate barbarâ, & indictâ capitum decimatione horrendam animis instruit lanienam. Quia peccare nemo voluit, peccâsse omnes arguuntur. Ne omnes plectantur, decimus trahitur ad securim. Sed ubi fidelissimorum sibi militum numerum accidit, immortale Divorum capitolium funeribus auget; & repetitâ ferali decimatione accumulat horrea Divini-

tatis. At etiam perempto decimo ſtant viribus integri, ſuo quisque ſanguine nobiliſſimam ſignare victoriam præparatus. Neque ſpes ulla vincendi eſt immitis Tyranne, niſi ſublato decimationis præcepto, omnes eadem involvas tempeſtate. Sed neque pro te ſtabit victoria, cùm funeratos omnes faſtuoſo inceſſu proculcâtis. Equidem mori poſſunt, ſed à morte ipſa vitam fœnerântur. Eadem eſt Phœnicis natura, & Amoris indoles, ab ipſo tumulo vivaciorem ſurgere, & recentem à funere ſpiritum auſpicari. Antæi lapſus eſt amantis occaſus: ut ille à caſu fortior, ſic iſte à morte felicior. Quod ſi enim amor ſpontaneus eſt animi exitus, & quædam quaſi in eum quem amat affectuum peregrinatio, dum amans ſuos in cineres reſolvitur, aut quadam quaſi diſtillatione liquatus in Authorem, vitæ influit, nullâ eum patitur morte ſuccidi. Egiſtis id Heroæ Thebæorum animæ. Irruit furibunda cohors amoris veſtri roborisque acceptura experimentum, & dum vago per colla & jugulos, per fibras & medullas acinace vitam ſcrutatur, ediſcit quam in vobis, ſi in ullo unquam, fuerit *fortis, ut mors, dilectio*. Cædimini omnes ſed ut veſtro ipſi ſanguine, qui propius eſt amoris color, amorem veſtrum depingatis. Parente pectore (hoc eſt in ipſa amoris ſede) hiantia excipitis vulnera, ut intelligamus univerſi, apertiſſimi Vos fuiſſe pectoris Germanos, qui nulli periculo terga vertere didiceritis. Terram denique cruore veſtro fœcundatis, ut vel ex ea vobis victoriarum teſtes laureæ enaſcantur; vel poſt redditas Cœlo decimas, ipſum etiam agrum Deo conſignetis. Sed exurgite invicti Heroes, blanditiarum & furoris, iræ & favoris, utrius-

utriuque fortunæ triumphatores; jam enim veteri triumphantium ritu corpora veſtra ſi non minio, certè ſanguine illita conſpicamur. Exurgite inexpugnabiles acies in curules honori veſtro præparatas, & quo Cœlum apparatu ſubitis, eodem Clientis veſtræ, Saxonicæ Nationis corda ſubintrate. Exurgite victores Divi! aut ſi Cœlitûm jam mixti triumphis humanos deſpicitis, concedite ſaltem, ut quòd Trajano ante triumphum funerato Senatus Pololuſque Romanus decrevit, id quoque honori veſtro devoti Saxones decernant. Vivi Trajani vicem juſſa eſt in triumpho ejus imago ſupplere: ſuppleat & veſtri vicem glorioſa imago, quem triumphatricem ſinguli pectoribus noſtris inſertam ſemper circumferemus.

Dicta Viennæ Auſtriæ in Baſilica S. Stephani ad Academicos nomine Nationis Saxonicæ.

FINIS.

APPROBATIO
PROVINCIALIS.

E*Go Bernardus Geyer, Societatis IESV per Provinciam Austriæ Præpositus Provincialis, potestate mihi factâ ab Admodum* R. P. N. *Goswino Nickel Præposito Generali, facultatem concedo, ut liber, qui inscribitur :* Orationes P. NICOLAI AVANCINI, in tres Partes divisæ, *à certis nostræ Societatis Patribus census probatusque, typis mandetur. In cujus rei fidem, has literas manu propria suscriptas, & officij Sigillo munitas, dedi Viennæ Austriæ,* 30. *Martij* 1656.

BERNARDUS GEYER.

FACUL-

FACULTAS PROVINCIALIS.

EGo infrascriptus Societatis JESU per Flandro-Belgicam Provinciam Præpositus Provincialis, potestate mihi facta à Rev. Adm. Patre Nostro Thyrso Gonzalez Societatis ejusdem Præposito Generali, permitto Viduæ & Hæredibus JOANNIS BAPTISTÆ VERDUSSEN, Typographi Antverpiensis; intra hoc proximum decennium denuò typis mandare, jam alibi aliquoties excusa opera P. Nicolai Avancini de eadem Societate Sacerdotis, antehac à deputatis ad id Theologis lecta & approbata. In cujus rei fidem has litteras, manu mea subscriptas, consuetoque Officij sigillo munitas, dedi Antverpiæ, 12. Februarij 1693.

PHILIPPUS REGAUS.

TENOR

TENOR PRIVILEGII.

CAROLI II. Hiſpaniarum Regis Catholici, Ducis Brabantiæ &c. Privilegio cautum eſt, ne quis citra VIDUAM JOANNIS BAPTISTÆ VERDUSSEN Typographi voluntatem, librum cui titulus eſt, *Orationes P. Nicolai Avancini, è Societate IESV, In tres Partes diviſæ.* In Belgio imprimat, aut alibi locorum impreſſum in has Inferioris Germaniæ ditiones importet, venalémve exponat. Qui ſecus faxit, confiſcatione exemplarium &. aliâ gravi pœnâ mulctabitur, uti latiùs patet in litteris datis Bruxellæ

Signat

LOYENS.

ANTVERPIÆ,

Apud Viduam Ioannis Baptistæ Verdussen, viâ vulgò Cammerstraet, sub signo duarum Ciconiarum.
Anno M. DC. XCIII.

Cum Privilegio Regis, & Facultate Provincialis.